




Google











endorp sculp.

69.

Plinius Caecilius Secundus, C.

C. PLINII CÆCILII SECUNDI

EPISTOLARUM LIBRI X.

NOTIS INTEGRIS

IS. CASAUBONI, JANI GRUTERI, H. STEPHANI, AUGUSTI BUCHNERI, CASP. BARTHII, JOH. FRED. GRONOVII,

SELECTISSIMISQUE

JOH. MARIÆ CATANÆI, RITTERSHUSII & aliorum, insertis suo loco integris Commentariis FRANCISCI BALDUINI, J.C. CUNRADI RITTERSHUSII, J.C. & GERH. JOH. VOSSII in *Relationem* seu Consultationem *Plinii*, & ad hanc *Rescriptum Trajani* Imper. de *Christianis*, illustrati & accuratè recensiti,

A

JOHANNE VEENHUSIO, Brem.



LUGD. BATAV. ROTERODAMI. } Ex Officina HACKIANA. 1669.



VIRIS

Nobiliſſimis, Magnificis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis ac Spectatiſſimis

DN. DN.

CONSULIBUS, SYNDICIS, ET SENATORIBUS

Liberæ ac Imperialis Reipublicæ Bremenſis, Patriæ Patribus digniſſimis, prudentiſſimis, Dominis Promotoribus ac Fautoribus meis ſummè colendis, venerandis,

JOHANNES VEENHUSEN

D. C. Q.



UI antiqua ſeculorumque barbarie corrupta opera in lucem mittunt, næ! illi magnam ſu-

ſtinent molem ; adeo ut multo majus id existimandum ſit opus, quam ſi ex ſe aliquid conati fuiſſent. Acrioris hoc ingenii eſt, exactioris illud judicii & laboris ; auguſtiori hîc campo evagari licet, anguſtiſſimis ibi finium limitibus coërcemur ; cùm hîc ingenii habenas laxaveris, ferri, quocunque placuerit, potes ; ibi ita ingenio eſt moderandum, ut, cùm maximè eo opus, circumſcriptum tamen terminis continendum ſit. Non unum hîc ſufficit perlegiſſe exemplar, ſed plurima, eaque antiquiſſimis contuliſſe. Timon Pyrrhonis, ut Athenæus vocat, genere Phliaſius, ut Diogenes Laërtius, Sillorum ille petulantiſſimus ſcriptor, ut eſt apud A. Gellium, interrogatus ab Arato, quo pacto quis ſine menda Homeri opera poſſideret ? *Si quis*, reſpondit, *vetera exemplaria nactus fuerit, non verò nuper emendata.* Variantium lectionum, non, quæ tibi maximè arrideat,

ſed

ſed, quæ reliquis ipſius Auctoris ſcriptis accommodata magis judicetur, eligenda; ut illius animum proxime induiſſe neceſſum habeas. Quæ in univerſum quanti ſint laboris, quantæque induſtriæ & judicii, quiſque expertus facilè judicabit. Periculum feci laborum atque induſtriæ in C. PLINII CAECILII Epiſtolis: eæ, favente Supremi Numinis gratia, feliciter proceſſere: ſuſtuli, ac emolumento hoc auctus ſum. Equidem non ignoro, hoc ſtudii genus hactenus multos latere, qui ad ſordidas quaſque & quæſtuoſas artes ruunt, & cupiditatibus involuti hinc ſuam felicitatem metiuntur; cùm tamen leviſſimo quovis momento infelix illa felicitas non interpellari tantùm, ſed everti prorſum ſoleat. Ego tamen minimè gentium ea vulgi mente pro temporum injuria à propoſito abſterritus ſum. quanquam menti ſe offerret, quod

memoria dignum est apud Strabonem de quodam Citharœdo. Hic cùm publicè lassiis caneret, audirentque lassii, statim, ut increpuit tintinabulum (signum venum expositorum piscium) eo relicto, ad emtionem dilapsi sunt, excepto surdastro, qui, sonitum non percipiens, remanserat; cui Citharœdus, Gratias, ait, tibi habeo, quòd cum cæteris ad signum non exiveris. At hic, Quid? Num jam tintinabulum crepuit? Affirmanti, at bene tibi sit, respondet, ac protinus ad pisces procurrit. Beatiore enim vivimus seculo, & meliori in Musas expositi fuimus orbi, quo, renatis feliciter literis, sub otiorum tutela ad invidiam & aliarum quoque Gentium stuporem usque iis operam navare licuit: unde hic etiam, qualiscunque est, judicii fœtus profectus est. Qui, cùm ei Nominum auctoritas præstruenda sit, quibus se ab edace seculi

livore tueatur, non diu ancipiti deliberationis lance consultandum fuit, an cum Magnif. & Amplisſ. vestr. Nominum præscriptione doctiorum orbi exponi debeat? Causæ enim sunt plurimæ, gravissimæ, omnibusque planissimæ, ut vel hinc linearum aliâs celeriter ac quodam festinationis impetu ductarum silentio sint involvendæ. Tantum enim abest, ut splendorem aliquem hinc accessurum credam Magnif. Vestr. Nominibus, ut metuam, ne existimationi vestræ detrahere videar, qui tam levidense vel invitis obtruserim, qui vestris in Patriam meritis famam Nominis æternitati commendatis. Sola jam explorata favoris vestri aura hos nobis fecit animos, ut quo affectus vocaret, inclinaret voluntas, juberet officium, ab eo nos pudor non revocaret; cùm imprimis etiam in celsissimo humani generis fa-

ſtigio poſitos religiosè à ſalutantibus adiri, ſciremus. Opus quod attinet, videtur prolixiores patronos haud inventurum aliud. Plinius eſt, ad cujus patrocinium & famam digniſſimas veſtras Muſas invocamus, Vir conſularis & maximarum Dignitatum, veſtro Magnificentiſſ. ac Digniſſimo Nomine nequaquam indigniſſimus. Ejus Epiſtolæ ſunt, uſque adeo Juri Romano conjunctæ, ut ad exercitium ejus, & aliquem uſum, in iis maxime, quæ Juris Publici ſunt, ſibi comparandum conferre plurimum poſſint. Seneſcentem rerum Romanarum faciem memoriæ ſeculorum tradunt, & liberrimæ veritatis cum incorrupta facundia certantis imaginem exprimunt. Multæ in iis latent obſervationes eruditæ antiquitatis, multæ præceptiones Politicæ, iis ſanè, qui in Republica verſantur, non modo utiles, ſed ſummè neceſſariæ. Sed de earum precio ſuper-

ſupervacuum eſt dicere, quum neminem vel mediocriter doctum non earum elegantia devinciat. Quibus quum à mei exiguitate ingenii parum potuerit accedere, operam dedi, ut ornamenta, ex myrotheciis doctiſſimorum virorum depromta, ei non deeſſent. Quem laborem meum oro velitis habere teſſeram meæ erga Amplit. V. & Dignit. devotionis & gratitudinis, meique & meorum ſtudiorum, reliquorumque conatuum, quorum omnium patrocinium jam benevole ſuſcepiſtis, favoris clementiâ conſtanter perſeverantes ſitis adjutores. Ego verò animi vota calidiſſima ingeminare pergam, ut ſummus rerum Arbiter Amplit. V. & S. V. Dignit. omnibus bonis cumulet, eaque prudentia, pietate, & zelo coronet, ut incluta Reſpublica, Dilecta Patria, turbulenta hac rerum facie ſit tran-

quilla

quilla; inque ea unà cum ſalutari veritatis cognitione bonarum literarum incrementa, eo quo hactenus flore ad poſteros tranſmitti poſſint, ut habeant, quod ipſi colant, omnes admirentur. Valete & negotia, ut facitis, publica in Reipublicæ & Eccleſiæ emolumentum feliciſſime peragite.

Dab. LUGDUNI BATAVORUM, Anno patientiæ ultimæ cIɔ Iɔ c LXVIII.

IN PLINII SECUNDI EPISTOLAS

PRÆFATIO

HENR. STEPHANI,

In qua, utiliorne an jucundior earum sit lectio, differit: & de quibusdam, quæ in ea observanda sunt, admonet.

PLINII *Secundi epistolas quo sæpius lego, eo magis illas à plerisque tam raro legi miror: multo etiam magis, à nonnullis ne legi quidem omnino. Neque vero de iis tantum loquor, qui multos scriptores non aspernantur solum, sed etiam aversantur, atque adeo lectione illorum sibi interdicunt, non alia de causa, quam quod verentur, ne suum Ciceronianum stylum aliqua sermonis non satis Ciceroniani contagione inficiant: sed de aliis etiam nonnullis, qui, quanvis illo superstitiosæ Latinitatis morbo non laborent, quosdam tamen è scriptoribus seculo Ciceronis posterioribus lectione sua non dignantur. Quid ergo habent istæ epistolæ, propter quod tam dignæ sint quæ legantur? excipiet fortasse vel horum vel illorum aliquis. Ego vero, illas aliquid habere propter quod legi mereantur, non respondebo, sed habere omnia, quæ nos ad epistolarum aut Latinarum aut Græcarum lectionem invitare & possint & debeant. Nam sive utilitatem, sive delectationem, sive etiam utrunque in istarum lectione sibi quis proponat, eum, quod abunde suo desiderio satisfaciat, inventurum esse dico.*

Ut enim de utilitate prius verba faciam, nullas se tam varia doctrina refertas legisse epistolas, non sine magna ad-

admiratione fatebitur, si, quam decet, attentionem, quodque decet, judicium lectioni eorum adhibuerit. Eorumne studiosus est, quæ ad Politica sive ad Politicen pertinent? Multa certe in epistolis Ciceronianis (de iis tantum loquor, quæ ad multos è familiaribus scriptæ sunt) eo pertinentia invenire potuit: sed non pauciora in hisce Plinianis inventurus est. quanvis ipse Plinius longe alium esse rerum Romanarum statum, quantum ad earum administrationem attinet, fateatur, in ea epistola, quæ libri tertii vigesima est. Hæc enim verba eam claudunt: Hæc tibi scripsi, primum ut aliquid novi scriberem, deinde ut nonnunquam de republ. loquerer. cujus materiæ nobis quanto rarior quam veteribus occasio, tanto minus omittenda est. Et hercule quousque illa vulgaria? Eho quid agis? ecquid commode vales? Habeant nostræ quoque literæ aliquid non humile, nec sordidum, nec privatis rebus inclusum. *Et, ne quis objiceret, quid tandem de republ. loquêris, cujus vix jam umbra superest? subjungit:* Sunt quidem cuncta sub unius arbitrio, qui pro utilitate communi solus omnium curas laboresque suscepit: quidam tamen, salubri temperamento, ad nos quoque, velut rivi ex illo benignissimo fonte decurrunt: quos & haurire ipsi & absentibus amicis quasi ministrare epistolis possumus. *Quamvis* (inquam) *& hîc & alibi etiam longè alium esse Romanarum rerum statum, quantum ad earum administrationem attinet, minime neget, non pauca tamen de republ. disserit, quæ ad politicen omnino spectant: &, quum præclaræ apud Ciceronem extent ad politicen pertinentes sententiæ, habere Plinium contendo, quæ illis nequaquam cedant: & quidem nonnullas, quo rariores, eo etiam insigniores. Harum è numero est ista, pag.* 101. Etenim tum maxime favor & ambitio dominatur, quum sub aliqua specie severitatis delitescere potest. *In eo ponere & istam possumus, quæ non in eadem pagina, sed in*

eadem

eadem epiſtola legitur. Nam fides in præſentia eos, quibus reſiſtit, offendit: deinde ab illis ipſis ſuſpicitur laudaturque. *Quinetiam, quod ſit quorundam magiſtratuum officium, & quomodo ſuum eos tueri gradum oporteat, aliquot locis docet. Neque vero minus iis, quæ ad politicen ſpectant, annumeranda ſunt, quæ, ad legum juriſque civilis ſcientiam pertinentia, hoc epiſtolarum volumen habet. Habet autem plurima. Quinetiam ad quæſtionem quandam vel peritiſſimo juriſconſulto dignam prudentiſſime ab eo reſpondere videmus, epiſtola decima libri quarti: dicentem tamen (pro ſua modeſtia) ſe cum prudentibus contuliſſe.*

Eane ille lubentius legit, quæ ad Ethica ſive ad Ethicen referri poſſunt? Ne in his quidem à Cicerone ſuperari Plinius dici poteſt. Quo autem plura hujus probitatem nobis teſtantur, eo majorem varii illius de moribus ſermones auctoritatem apud nos habere debent. quum verum ſit illud: h Menandri

Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος. NB

Quod ſi inſignes itidem ſententias (quarum nonnullæ velut apophthegmata quædam ſunt) eo pertinentes legere cupiat, occurrent cum alibi, tum pag. cxxiij. Multi famam, conſcientiam pauci verentur. *Item pag. cxxxiij.* Recta ingenia debilitat verecundia, perverſa confirmat audacia. *Addam & tertiam, quæ mihi, dum illas ſcriberem, in mentem venit, ex pag. xc.* Conſervandum veteris officii meritum novo videbatur. *Cujus rei rationem reddens, ſubjungit:* Eſt enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia ſubvertas, niſi illa poſterioribus cumules. nam, quamlibet ſæpe obligati, ſiquid unum neges, hoc ſolum meminerunt, quod negatum eſt.

Quid quod Phyſica etiam nonnulla in his eſt epiſtolis inventurus? Nemo enim mihi negaverit, quin illa epiſtola (ut de aliis aliarum locis taceam) cujus initium eſt: Attuli

tibi

tibi ex patria mea pro munusculo quæstionem altissima ista eruditione dignissimam, *tota inquam illa epistola eo pertinens argumentum tractetur.*

Jam vero, siquis, nihil se illa, quæ enumeravi, sed Oeconomica tantum curare dicat, quanvis horum cognitio ex epistolis peti minime soleat, multa hîc tamen, quæ ad eam faciant, in promptu ei futura esse, aio. Neque fortasse ab illis alienæ censeri debent plenæ dulcedinis epistolæ, quas ad uxorem suam Calphurniam scribit: quum mutuus conjugum amor fundamentum Oeconomices videri possit. Quinetiam, quum res rusticæ quandam sibi peculiarem OEconomicen poscant, non pauca ad hanc quoque pertinentia hic eum lecturum esse dico. Atque adeo epistolam quandam jam nunc illi indicabo, qua non aliud argumentum tractatur. Ea est libri tertii vigesima, habetque hoc principium: Assumo te in consilium rei familiaris; ut soleo. Prædia agris meis vicina, atque etiam inserta, venalia sunt. *Ultima item libri primi epistola quædam continet, quæ eodem referri queunt, atque inter alia insignem hanc regulam:* Mala emptio semper ingrata est, eo maxime, quod exprobrare stultitiam domino videtur. *Sed quanvis ibi de agelli cujusdam emptione agatur, fateor & de domus urbanæ, quinetiam aliarum rerum emptione, idem dici posse, ideoque non ad rusticam Oeconomicen potius quam ad urbanam pertinere. Inter illa autem, quæ proprie ad Oeconomicen rusticanam pertinent, omittenda (ut opinor) non fuerit illa libri secundi epistola, qua villam, quæ Laurentinum sive Laurens vocabatur, tam accurata tamque exacta ecphrasi nobis describit, ut depingere potius videatur. Sed quare ad Oeconomicen sive rusticam sive rusticanam illa quoque descriptio facere dicenda est? Quoniam in ea quoque structura multa ejus providentiæ, quæ bonum patremfamiliâs decet, exempla observari possunt.*

Neque tamen omnia, quæ suum lectorem hæ docere epistolæ possunt, ad illa posse reduci capita dixerim. Eas enim sumant in manus aulici, aliquid, quod ad scientiam aulicam pertineat (neque enim aulicos esse duntaxat empiricos debere existimo) ex earum lectione reportabunt. Ibi enim crebram alicujus è Cæsaribus (præsertimque alterutrius è duobus) mentionem invenient: multa de illis, nonnulla etiam de illorum aulicis referentem Plinium audient: ut omittam librum earum decimum, cui insertæ sunt, quas ipse etiam Trajanus de variis rebus ad illum scripsit. Atque, ut missos faciam aulicos, alios item, quibus aliud est vitæ genus, aut etiam alia sunt vitæ genera, à lectione quorundam locorum hujus voluminis (quod in decem libros divisum est) prudentiores discessuros spero. Verum, ut ab iis, quæ ad vitam instituendam spectant (quæ certe ad unum è tribus illis primis capitibus, nimirum ad Ethicen, referenda sunt) ad alia etiam veniam, de quibus agitur in hisce epistolis: tam varium propemodum illarum esse argumentum, quam late se extendit philologia, dicere non dubitaverim. Romanas quidem certe ad res quod attinet, non tantum, quæ nunc tempora, qui mores essent, indicari, sed superiorum quoque mentionem ab eo fieri locis aliquot, atque disciplinam majorum, aut saltem avorum, commemorari videmus: quorum unus est in epistola libri tertii vigesima.

Ad delectationem ab utilitate transiens (nam & eos, qui hanc etiam in hisce epistolis quærent, quod desiderio suo satisfaciat inventuros esse dixi) hoc fateor, non tam multa esse, quæ delectare, quam quæ prodesse possint: sed esse tamen multa dico. varius enim in locis jocatur, & quidem festive. Ex iis est hic initio epistolæ XXI. *libri* I. Ut animi tuo judicio, sic oculorum plurimum tribuo: non quia multum (ne tibi placeas) sed quia tantum, quantum ego, sapis; quanquam hoc quoque multum est.

Quibus subjungit: Omissis jocis, credo decentes esse servos,&c. *quæ valde pauca sunt. brevissima enim est epistola. Epistolam autem totam jocosam habemus eam, quæ est libri octavi septima, cujus hoc est initium:* Neque ut magistro magister, neque ut discipulo discipulus (sic enim scribis) sed ut discipulo magister, (nam tu magister, ego contra: atque adeo tu in scholam revocas, ego adhuc Saturnalia extendo) librum misisti. *Et postquam dixit, se hoc ipso hyperbato, quo sit usus, probasse satis, eum esse, qui non modo magister ejus, sed ne discipulus quidem debeat dici: addit, se tamen sumpturum personam magistri:* exeramque (*inquit*) in librum tuum jus, quod mihi dedisti, eo liberius, quo nihil ex meis interim missurus sum tibi, in quo te ulciscaris. *Quibus verbis illa epistola clauditur. Atque hic omittendum non est principium illud epistolæ trigesimæ tertiæ libri sexti:* Tollite cuncta (*inquit*) cœptosque auferte labores. Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri jube, & accipe orationem meam, ut illi arma divina. Num superbius potui? revera ut inter meas pulchram. nam mihi satis est certare mecum. *Festiva est illa etiam epistola, vel potius illud festivum epistolium, libri noni, cujus initium est:* Quid agis? *Multarum quidem certe clausulæ saltem facetum aliquid habent & quod delectare possit. Talis est hæc epistolæ undecimæ libri quarti:* Denique quicquid voles, dummodo non minus longa epistola nunties: ego non paginas tantum, sed etiam versus syllabasque numerabo. *Jam vero & quædam festiva dicta, interdum aliena, nonnunquam sua, commemorat. Tale est quod legimus pag. xxxiv.* Dixit aliquando mihi Regulus, quum simul adessemus. Tu omnia quæ sunt in causa putas exequenda: ego jugulum statim video, hunc premo. (premit sane, quod eligit, sed in eligendo frequenter errat.) Respondi, posse fieri, ut genu esset, aut tibia, aut talus, ubi ille jugulum putaret.

Quod

Quod si & de artificio, quod his subest epistolis (sive hoc ad utilitatem, sive ad delectationem, sive potius ad utrunque pertinet) dicendum mihi aliquid est, ne in hac quidem parte eum Cicerone inferiorem comperiemus. Nam quæ petit (ut primum de hoc epistolarum genere loquar) ita petit, ut denegari nullo modo possint. Cujus rei exemplum habemus in ista clausula, illius, quæ nona est libri secundi. Te quoque obsecro, ut aliquam oneris mei partem suscipere tanti putes. Reddam vicem, si reposces: reddam & si non reposces. Diligeris, coleris, frequentaris: ostende modo velle te, nec deerunt, qui, quod tu velis, cupiant. *Ut autem hujus finem, ita principium pariter & finem alius cujusdam considerandum propono: quæ non longo eam sequitur intervallo. Hoc igitur est principium.* Et tu occasiones obligandi me avidissime amplecteris, & ego nemini libentius debeo. Duabus ergo de causis à te potissimum petere constitui, quod impetratum maxime cupio. *Hic autem est finis*, Extenderem preces, & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epistola fecissem. Rogat enim, & quidem efficacissime, qui reddit causas rogandi. *Dignus autem fuit, cui nihil petenti negaretur, quum ad aliorum ipse petitiones tam promptum se ostendit. Atque hujus tam promptæ & tam ad obsequium paratæ voluntatis exemplum extat in principio epistolæ xviij. libri secundi.* Quid mihi à te jucundius potuit injungi, quam ut præceptorem fratris tui liberis quærerem? *Verum à petitione ad commendationem ut veniam (quum commendatitiæ epistolæ species sint earum, quæ petitoriæ appellantur: atque adeo illa epistola, ex qua duo posteriora exempla jam attuli, sit commendatitia) quid ad illam addi potest artem, qua in commendandis suis amicis utitur? quid ad gratiam adjici, quam commendationibus suis adhibet? & (quod potissimum est) quæ Suadela major persuadendi artifex esse unquam potuit, quam illa est,*

quam apud eum audimus? Atque ut ne hîc quidem sine exemplo, vel potius sine exemplis, loquar, legimus in principio cujusdam, quæ est pag. lxxxvj. Quod ipse amicis tuis obtulissem, si mihi eadem materia suppeteret, id nunc jure videor à te meis petiturus. *Alter autem locus, quem in exemplum afferam (duobus enim contentus ero) Ciceronianum quiddam habet, id est, Ciceronianam quandam formulam, ut ita loquar. ita enim clauditur quædam epistola, pag.* cxxx. Multa beneficia in multos contulisti: ausim contendere, nullum te melius, æque bene vix unum aut alterum collocasse. *Quinetiam in eo, quod epistola decima septima libri quarti, se admoneri quidem, sed non rogari vult à Gallo, seu Antonino (ambigua enim est illius epistolæ inscriptio) Ciceronem aut quendam alium ex iis, quorum epistolæ Ciceronianis sunt insertæ, imitatur.* Et admones (*inquit*) & rogas, ut suscipiam absentis Corelliæ causam contra C. Cæcilium consulem designatum. Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. Admoneri enim debeo, ut sciam: rogari non debeo, ut faciam, quod mihi non facere turpissimum est. *Quæ tam honesta & officiosa ad petitionem responsio observanda est. Quædam vero est epist. libro 6. in qua vult Tacitum alios rogare, se autem precum ejus ministrum, adjutorem & participem fore dicit. Quum autem & ibi non minus officiosam (ut jam loquutus sum) sive obsequiosam habeamus responsionem, afferam totum locum, vel potius totam epistolam. Postquam igitur dixit:* Commendas mihi Julium Nasonem candidatum. Nasonem mihi? quid si meipsum? fero tamen, & ignosco. eundem enim commendassem tibi, si te Romæ morante ipse abfuissem. Habet hoc solicitudo, quod omnia necessaria putat. *Postquam hæc dixit, inquam, tandem his verbis finem epistolæ imponit.* Tu tamen, censeo, alios roges: ego precum tuarum minister, adjutor, particeps ero.

Enimvero omittendus hic non est & alius quidam libri noni locus, ubi deprecatorem agit apud Sabinianum pro ejus liberto. Quum enim dixisset, eum ad se venisse, advolutumque pedibus suis hæsisse, flevisse, multum rogavisse, multum etiam tacuisse: in summa, fecisse fidem pœnitentiæ: & quum alia quædam adjecisset, ita finit epistolam: Vereor ne videar non rogare, sed cogere, si precibus ejus meas junxero. Jungam tamen, tanto plenius & effusius, quanto ipsum acrius severiusque corripui: districte minatus, nunquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebat: tibi non idem. nam fortasse iterum rogabo, iterum impetrabo. Sit modo tale, ut rogare me, & te ut præstare deceat. *Quanvis porro unum cujusdam commendatitiæ Plinii epistolæ locum attulerim, in quo Ciceroniana quadam formula usum esse illum dixi, suas tamen alioqui habere, & quidem magis varias, quam Ciceronem, tacere nolo. Eadem enim à Cicerone libro illo 13. qui commendatitiis plenus est epistolis totus, multis in locis, & quidem verbis alicubi iisdem repetuntur.*

Longum esset, sicut exempla illius generis epistolarum attuli, sic etiam reliquorum afferre: & lectorem, à me præmonitum, diligentius artificium in illis observaturum spero. Quamobrem de narratoriis tantum aliquid addam: nimirum, in illis quoque scriptorem hunc excellere, ob brevitatem: quam nihil Ciceronianæ debere, potiusque hanc illi, ausim affirmare. Loquor autem de tali brevitate, qualis est hæc epistolæ quintæ libri primi. Evigilaveram: nuntius à Spurinna. Venio ad te. Imo eo ad te. Coimus in porticum Liviæ. Quum alter ad alterum tenderemus, &c. *Sed eadem opera lectorem monebo, crebrum esse apud eum figuræ, quæ ellipsis appellatur, usum. quod nisi animadvertat, quosdam locos immerito mendi suspectos habeat. Exemplum suppeditabit hic paginæ lxxxj. locus,* Primum impudentiam hominis, qui venerit ad

 ægram.

tegram. *Hîc enim non desiderare, sed subaudire verbum aliquod debemus. Sic pag.* CI. Erat in consilio Sertorianum illud exemplum, qui robustissimum & infirmissimum militem jussit caudam equi. reliqua nosti. *Verum quædam sunt, quæ justius quam hæ vel aliæ hujusmodi esse suspecta possint. Nec dubito, quin talis suspicio quosdam locos corruperit, vocabulo, quod adjectum margini ex conjectura erat, in textum irrepente. Sic pagina xiij. ubi legimus,* Qua ex causa sæpe ipse mecum tractavi, nobisne tantum, quicquid illud est, composuisse, an aliis debeamus, ut nobis: *suspectum mihi est verbum* tractavi: *ab aliquo profectum, ut opinor, cui suspecta esset ellipsis (quam tamen post illud adverbium suspectam habere non oportebat) aut certe ex scholio, quo docebatur, quidnam subaudiendum esset, profectum.*

Quanvis autem in iis, quæ proposui, Ciceroni minime cedere illum existimem, nequaquam tamen ejus eloquentiam, ne in ipso quidem Panegyrico, cum Ciceroniana comparandam dixerim: præsertim si non inventionem tantum ac dispositionem, sed ipsam quoque elocutionem spectemus. Ejus tamen æmulatorem se fatetur, in epist. libri primi quinta. Totum autem locum afferam, quoniam ibi quædam sunt, de quibus eadem opera sententiam meam proferre volo, quum alioqui exemplarium omnino contrariæ sint lectiones. Ita igitur in nostra editione, (cum alias quasdam tum vero Badianam sequente)

Ait, timere se, ne animo meo penitus hæreret, quod in centumvirali judicio aliquando dixisset, quum responderet mihi & Satrio Rufo, Satrius Rufus, cui est cum Cicerone æmulatio, & qui contentus non est eloquentia seculi nostri. Respondi, nunc me intelligere maligne dictum, quia ipse confiteretur: cæterum potuisse honorificum existimari. Est enim (inquam) *mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia seculi nostri. Nam stultissimum credo,*

ad imi-

ad imitandum non optima proponere.

At in Ald. editione aliisque multis, post nomen Satrius, plane contraria est lectio, hæc videlicet, Satrius, & cui non est cum Cicerone æmulatio, & qui contentus est eloquentia seculi nostri. Verum, quanvis multo plura exemplaria lectionem istam habeant, falsam esse puto. Quomodo enim cum ea convenire possent, quæ postea dicit Plinius? Est (inquam) *mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia seculi nostri. Sed enim ne nostram quidem lectionem usquequaque emendatam esse arbitror. Nam si hoc de Satrio Rufo dictum erat, cur in se transferebat Plinius? cur ita interpretabatur, acsi de se dictum esset? Existimo igitur scribendum: Satrius Rufus, & cui est cum Cicerone æmulatio. Id est: Et is, cui est cum Cicerone æmulatio, intelligendo Plinium. Ait enim Regulum hoc dixisse tum, quum responderet & ipsi & Satrio Rufo. Hanc autem æmulationem, aut saltem æmulandi desiderium, fatetur etiam Arriano, in octava libri quarti epistola: sed dicens tamen Æmulari illum in studiis, non autem Æmulari ejus eloquentiam. Ejus verba sunt: Te quidem (ut scribis) ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. lætaris enim, quod honoribus ejus insistam, quem æmulari in studiis cupio. Sed utinam, ut sacerdotium, idem & consulatum, multo etiam juvenior, quam ille, sum consequutus, ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte assequi possem. Hæc ibi ille: ex quibus suspicari possumus, solitum illi proponi Ciceronis exemplum in aliis etiam rebus, tanquam ejus, quem in illis, sicut in studiis, æmulari deberet. Auget certe hanc suspicionem, vel potius conjecturam hanc confirmat locus epistolæ decimæ quintæ libri tertii, ad Proculum:* Rogas etiam, ut aliquid succisivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis. Adjicis, M. Tullium mira benignitate poëtarum ingenia fovisse. *Perinde enim esse puto ac si diceret,*

ret, M. Tullium, cujus ego æmulator esse omnibus in rebus, quæ ad studia pertinent, studeo. Sed enim, quod ad epistolas attinet, earum materiam multo largiorem Ciceroni fuisse, quam sibi sit, queritur, in ea quæ secunda est libri noni. Præterea (*inquit*) nec materia plura scribendi dabatur, neque enim eadem nostra conditio, quæ M. Tullii: ad cujus exemplum nos vocas. Illi enim & copiosissimum ingenium, & par ingenio materia, quam tam varietas rerum, quam magnitudo largissime suppetebat. *Atque id quod de materia dicit, intelligendum est de materia scribendi res minime humiles. Nam, paucis interjectis, subjungit*, Nisi forte volumus scholasticas tibi, atque (ut ita dicam) umbraticas literas mittere. *Denique hic locus conferendus est cum isto, atque adeo ex isto intelligendus, libri tertii epistola vigesima.* Hæc tibi scripsi, primum ut aliquid novi scriberem, deinde ut nonnunquam de republica loquerer: cujus materiæ nobis quanto rarior quam veteribus occasio, tanto minus omittenda est. Et hercule quousque illa vulgaria? Eho quid agis? ecquid commode vales? Habeant nostræ quoque literæ aliquid non humile, nec sordidum, nec privatis rebus inclusum. *Ille* (inquam) *locus ex hoc est intelligendus: & umbraticas literas illic appellari dicendum est (meo quidem judicio) quæ habent aliquid privatis rebus inclusum, ut quidem hic loquitur.*

Sed enim admonendus es à me lector, quamvis tam multa de Pliniana Ciceronis æmulatione audieris, non esse hanc in Pliniano sermone quærendam. eum enim non solum habere quamplurima, quæ, quanvis Latina, Ciceroniana tamen non sint, sed etiam nonnulla, quæ illi peculiaria esse sis existimaturus, & ex quibus aliqua suspecta etiam fortassis habiturus. Atque id intelligi volo dictum tam de loquendi generibus, quam de quibusdam vocibus, eas seorsum etiam & per se considerando. Ex illis loquendi generibus

ribus est id, in quo particula Vero post adverbium utitur: ut in fine epistolæ octavæ libri tertii. Præterea intelligo, mihi quoque gloriæ fore si ex hoc tuo facto non fuerit ignotum, amicos meos non gerere tantum tribunatus posse, verum etiam dare. Quare ego vero honestissimæ voluntati tuæ pareo. *Ita enim in Ald. editione & Badiana, ita in aliis etiam, quæ & diversis in locis & diversis temporibus excusæ fuerunt (nisi quod quædam Honestissime habent, quas editio mea sequuta est, quum sequi eas potius debuerit, in quibus Honestissimæ est scriptum) atque hîc omnes optime inter se* consentiunt, *in aliis contra plerisque locis valde inter se dissentientes. Quid? annon plerunque exemplaria plurima inter se de mala etiam lectione consentire videmus? Fateor: sed de quo fidem exemplaribus habere nolles, cogeris quodammodo loco alii, ubi Vero postponitur itidem adverbio, fidem habere. Is est in fine epistolæ octavæ libri octavi:* Plura laudabis, nonnulla ridebis. quanquam tu vero, quæ tua humanitas, nulla ridebis. *Est alioqui (quis hoc neget?) quod mireris hunc istius adverbii usum: atque augere hoc admirationem potest, quod & ille alter, qui apud primarios linguæ Latinæ scriptores extat, apud hunc quoque invenitur: nam in nona libri tertii epistola leges.* Dicet aliquis, Judicas ergo? Ego vero non judico: memini tamen me advocatum ex judicibus datum. *Ad aliud exemplum ut veniam, legimus in epistola libri tertii septima:* Annon videtur tibi Nero modo fuisse, quum interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo jam superest? *Atque huic lectioni assentiuntur omnes, quas consului, editiones, assentitur & quoddam vetus exemplar: & tamen Ciceronis ætas potius Supersit dixisset. Non apud solum alioqui Plinium talem indicativi modi usum mihi videor invenisse: apud Plautum quidem certe inveniri indicativum modum scio in nonnullis aliis loquendi generibus, quibus illa subjun-*

jun-

junctivum potius adhibuisset. Majori etiam (ut opinor) cum admiratione leges: Exiluit cathedram, pag. hujus editionis 198: sed exemplaria tamen quæ vidi omnia, quum in plerisque aliis locis valde à se dissentiant, de hujus lectione plane inter se consentiunt. Certe utrum cathedram an cathedra legas, ad sensum nihil, ad Latinitatem multum interest. Sunt autem alia majoris momenti exempla eorum loquendi generum, quæ mira pariter & suspecta esse tibi possint: sed mihi nunc in mentem non veniunt: sed tu fortasse, ab his commonefactus, illa statim observabis.

Ad vocabula autem quod attinet, seorsum & per se (ut antea dixi) considerata, mirari poteris cum alia, tum nomen Confusio, *in ea significatione quam habet epist. xx. libri tertii, ubi dicitur, Procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina in medio, multique circuli, & indecora confusio: sed in ea, quam habet in hac clausula epistolæ vigesimæ secundæ libri* I. Erit confusioni meæ non mediocre solatium, si tu nihil querêris. *Ponitur enim hîc pro perturbatione animi, quam mœror affert. Atque in hoc usu Græcum* σύγχυσις *(cui etiam in prima propriaque significatione respondet) imitatur. Eadem de re & verbum* Confundere *usurpat, ubi scribit:* Præterea veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem. *Usus est autem & Ovidius participio Confusa eodem modo:*

Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,
Quam juveni rupit quum ferus inguen aper.

sed quandam verbale illud majorem habere novitatem videtur. Ex iis, quæ mira pariter & suspecta esse tibi poterunt, est etiam verbum Advertere, *in eo usu, quem habet in isto loco pag.* 29. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in Euphrate sic eminent & elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant & afficiant. *Quod ego quomodo*

exponi

exponi posset quum cogitarem, nullam aptiorem invenire expositionem potui, iis quidem certe quibus Græca lingua est familiaris, quam si dicerem Advertere *hîc esse quod Græci dicunt* ἐπιστρέφειν. *Sed quum hoc quoque verbum varios usus habeat, addo, me de eo loqui quo res aliqua vel homo animi corporisve dotibus ornatus omnes ad se* ἐπιστρέφει. *quod etiam dicitur* πάντων τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφειν, *vel* πάντων τὰς ὄψεις: *ut legitur in quodam Herodiani loco, quem in meo Thesauro Græcæ linguæ attuli. Sed &* Convertere alicujus animum in se, *dicit Livius. Quinetiam sine adjectione à Cicerone dicitur res aliqua* Convertere ad se: *addente alicubi &* Rapere. *Ego certe Plinianum illud* Advertere *& hoc Ciceroniano & Liviano illo genere loquendi exponi posse arbitror. Sed à Livio dicitur etiam* Convertere in admirationem. *At sine adjectione ab eodem res etiam subita dicitur* Convertere in se: *ut in hoc loco Decadis primæ libro primo,* In vestibulo regiæ quam potuere tumultuosissime [*nisi potius* tumultuosissimæ *scribendum est*] in se omnes apparitores regios convertunt. *Verum ad aliud exemplum ut transeam, verbum quoque* Repetere *apud hunc non tantum, quod apud alios plerosque scriptores significare, sed poni etiam pro* Reminisci *comperies. Neque tamen peculiare hoc isti esse dici potest: at vero* Suppetere, *in activa significatione, pro Suppeditare, inter ea quæ illi aut peculiaria, aut cum paucissimis communia sunt, numerari fortasse debet. Extat autem in epist. 2. lib. 9. ubi de Cicerone loquens scribit:* Illi enim & copiosissimum ingenium & par ingenio materia: quam tam varietas rerum, quam magnitudo largissime suppetebat. *Hic plane* Suppetere *eum habere usum videmus, quem habere verbum* Suppeditare *solet: an autem illum Latinitas admittat, alii viderint. Suspectum quidem certe hoc loco illud verbum esse, non mirabor.*

At vero alia nonnulla, quæ à me prætermittuntur,

ejus-

ejusmodi sunt, ut mira tantum fortasse non etiam suspecta tibi esse debeant. Ad illa autem quod attinet; quæ suspecta etiam fore videbantur, ubi alia lectio se obtulit, quæ omni suspicione vacaret, & à sententia loci minime aliena esset, meis ut hanc in textu, illam in margine ponerent mandavi. Quod si non ubique, at certe plerisque in locis præstiterunt: è quibus est hic, in epistola decimatertia libri secundi: Quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale jucundius? mira in sermone, mira etiam in ore ipso vultuque suavitas. Ad hoc, ingenium excelsum, subtile, dulce, facile, eruditum in caussis agendis. *Hîc enim quædam exemplaria non* Ingenium excelsum, Ingenium excussum *habent: atque hanc lectionem probat Catanæus (alterius alioqui mentionem faciens) &* Excussum *exponit Elaboratum: (quanvis Elaboratum ingenium magis etiam quam Excussum mirari quis possit) addit vero illi* Exactum. *Quinetiam utens paulo ante hoc ipso adjectivo, tanquam eo, de quo minime dubitari posset, dixerat:* Et sane sunt Hispani ingenio excusso. *Ego tamen, si Excussum in textu ponendum existimarem, aliter exponendum censerem.*

Unum superest, lector, de quo admonitum esse te, antequam hasce Plinii epistolas in manus sumas, non parum tibi est profuturum. Quidnam illud est? Non eam semper lectionem, quæ in ipso sit textu (ut vulgo appellamus) ea quam habet margo esse potiorem: ideoque delectum esse adhibendum. quod ut fiat, judicium adhibeas necesse est. Exemplum est pag. 16, ubi legimus: Mirum est ut animus à cogitatione motuque corporis excitetur. *Hîc enim margini adscriptum est* Agitatione, *at in textu est;* A cogitatione. *Ac quanvis non dubitem, quin lectio illa huic longe sit anteferenda, plures tamen editiones (ex quibus est Aldina) illam, quam non probo, lectionem nobis exhibent. quinetiam quoddam manuscriptum exemplar, quod consului*

ſolui dum hæc ſcriberem, illam exhibere comperi. Et quod ad editiones illas attinet, ſicut Aldi, ita etiam Cratandri editio, quæ prodiit anno M. D. XXVI, *necnon aliquot aliæ, habent A cogitatione: at Badiana, cui inſerti ſunt commentarii, Cogitatione, ſine præpoſitione: quam is etiam, qui illorum auctor eſt, non agnoſcit. In editione autem hæredum Cratandri, quæ prodiit anno* M. D. XLII. *eſt illa, quam meliorem judico, lectio (& quidem præfixo pronomine* Hac) *quum alioqui minor adhibita fuiſſe videatur iſti editioni diligentia, & ſæpe mendoſi in ea ſint loci, qui in altera illa non item. Verùm ut ad alia exempla veniam, pag.* 16. *lectionem marginis ſequi potius debemus, ſi, quod Latinitati magis uſitatum eſt, ſequendum putemus. At l.*1.*ep.* 8.*eſt quidem æque Latina vox utraque. ſed quæ margini adſcripta, magis cum ea re, de qua agitur, convenit. Quædam ſunt denique lectiones margini adſcriptæ, quibus plenior ſubeſt ſententia: immo quibus ſolis fortaſſe plena ſubeſſe dici poſſit, quum illæ, quæ ſunt in textu, minime plenam ſed imperfectam habere ſententiam dicendæ ſint. Illarum è numero eſt quædam, in Panegyrico, pag.* XLIII. Quanto nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus, poſtquam ejus non crudelitatis ſed amoris excubiis, non ſolitudine & clauſtris defenditur! *Hæc enim lectio non plenam, ſed imperfectam ſententiam nobis dat, quum ut crudelitatis excubiis opponuntur amoris excubiæ, non item ſolitudini & clauſtris aliquid opponatur. At in lectione quæ margini eſt adſcripta, illud* ἀντίθεσιν *habemus. Ita enim legitur,* quanto nunc t. q. ſ. e. d. p. ejus non cr. ſed am. exc. non ſolitudine & clauſtris, ſed civium celebritate defenditur! *Verum de lectionibus margini adſcriptis, quæ meliores ſunt iis, quas habet textus, hactenus. Hæc enim ad reddendum te cautum ſatis eſſe poſſe exiſtimo. Interdum vero ex diverſa lectione aliquid tantum ſumere neceſſe eſt: ut pag.* 396. *in principio epiſtolæ* 29. *libri* 6. Avidius

Quie-

Quietus, qui me unice dilexit, & cui non minimum gaudeo. *Hic enim margini adscriptum est:* Quo non minus gaudeo. *Quam lectionem si totam non sumamus, saltem voculam* Quo *ex ea sumere & in locum voculæ* Cui *substituere necesse videtur.*

Alioqui certe lectiones in contextum receptæ plerumque sunt meliores iis, quæ margini adscriptæ fuerunt: quarum nonnullæ ex scholiis irrepsisse videri possunt. ut pagina 97. Non datur, *pro* Negatur. *Sic pag.* 347. *hæc duo verba margini adscripta:* Inoffensa valetudine, *ab aliquo profecta videri possunt qui exponere voluerit quod est in textu vocabulum. Sic supra monui (quum exempla quædam afferrem* ἐλλείψεων, *quibus brevitatis gratia utitur Plinius) non esse absimile vero verbum* Tractavi *ex scholio manasse. Quædam etiam lectiones ex iis, quas margo habet, credi possunt aut* ἐκ παραδιορθώσεως, *aut ex eo, quod non potuerit legi aliquod veteris exemplaris vocabulum, esse profectæ. ut epistola decima sexta libri sexti, pro his,* Retinæ classiarii imminenti periculo exterriti, *in margine legitur:* Retinere amici. *Ubi ex* Retinæ *factum* Retinere, *videri potest ab iis, qui vel* Retinere *pro* Retinæ *male legerunt, vel hoc* Retinæ *mendosum putantes,* Retinere *in ejus locum substituerunt. Hoc quidem certe constat, in nonnullis ignorationem alicujus vocabuli, aut cujuspiam generis loquendi perspici. Cujus rei exemplum habemus pagina* 165. *quum enim ibi legatur in textu:* Medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia principum, egisse pernoscitur. *Quum, inquam, ita legatur in textu, alia lectio irrepsit* Quam *pro* Qua: *ex ignorato illo particulæ* Qua *usu. Alioqui si in priore loco substitueretur* Quam *pro* Qua, *idem & in posteriore faciendum esset. Alicubi vocem magis frequentem magisque notam loco ejus, quæ rarior est, habet, lectio margini adscripta, ut in Panegyr. pag.* LII, Observabatur

pro

pro Obversabatur, *quod legitur in textu, legique omnino debet. Ne hoc quidem dissimulabo, quasdam esse margini adscriptas lectiones, cum quibus non satis cohæret quod sequitur in textu. ut epistola xx, libri tertii, quum in textu legatur:* Excesseramus, sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum, *margini adscriptum est, Excesseramus sane modum &c. quæ cohærere non possunt cum iis, quæ sequuntur, nisi aliquid ad ea connectenda addatur.*

Ad Græcas autem voces quod attinet, hisce epistolis insertas, de iis quoque dissentiunt interdum exemplaria: atque interdum lectiones eorum diversæ, sunt ejusmodi, ut, utram eligas, vix facile statuere possis. Exemplum habes in hoc loco epistolæ septimæ libri tertii. Erat φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem. *Nam hîc adscriptum est margini & καινόφιλος: quod non minus habere locum potest. Pariter enim sunt emaces qui res pulchras, & qui res novas, qualescunque sunt, amant. Dicuntur autem, qui sunt rerum novarum cupidi, etiam φιλόκαινοι, & quidem frequentius (quantum meminisse possum) quam καινόφιλοι. Emacitas quidem certe excusanda magis est in eo, qui sit φιλόκαλος, quam in eo, qui φιλόκαινος, seu καινόφιλος: quoniam ille magis ducitur judicio, quam hic. Illius autem prioris vocabuli contrarium legitur in epistola tertia libri secundi, ἀφιλόκαλον. Verum puto, ἀφιλόκαλον ibi sonare non tam Inelegans & rude, quam Alienum ab homine honestatis vel rerum honestarum studioso: sicut me in Thesauro meo exposuisse arbitror. Affertur autem ibi & alia lectio, ἀπειρόκαλον, quæ non aliena ab illius loci sententia est. Atque ex iis locis, in quibus utraque lectio æque potest ferri, est quidam & in epistola tertia libri secundi, in fine. nam ibi non solum μεγαλοφανότατος: sed etiam λαμπροφανότατος potest legi. At vero in epistola quinta libri primi haud itidem dixerim, non minus αἰθαίρεζον, quod est*

est in margine, quam δυσκαθαίρετον, quod est in contextu, posse legi: sed contra plane alienam ab hoc loco significationem habere αὐθαίρετον. At si margini adscriptum fuisset ἀκαταπάλαιστον (quod etiam affertur ex nonnullis exemplaribus) locum & hoc posse habere dicerem. Unicum superest vocabulum, cujus mentionem facere velim: id est λιτούργιον, in epistola undecima libri secundi. id quum margini esset adscribendum, & contra λειτούργιον in textu ponendum, hujus locum illud occupavit. Neque enim assentior iis, qui λιτούργιον (ex quocunque sit exemplari profectum) admitti posse arbitrantur, tanquam ex λιτὸν & ἔργον compositum, ut eo significetur Tenue & leve ministerium.

Cæterum hoc quoque iis observandum est qui linguam Græcam callent, quam aptas voces Græcas & quam non temere suis Latinis epistolis Plinius immisceat. Quam cautionem Ciceronem etiam adhibuisse videmus: quum hodie contra plerique in sua scripta, suasque præsertim epistolas vocabula Græca infarciant, non, quod aptiora sint Latinis, sed quod ea quum norint, etiam nosse sciri velint. quod si multa nossent, totas illis epistolas refarcirent. Sed cur (objiciet aliquis) Plinius epistola decima octava libri primi voce Græca λογισάμενος usus est, quum non esset significantior quam Latinæ aliquot, quæ in promptu erant? Dicere enim poterat: Quum illud cogitassem mecum: vel, Quum illud considerassem, vel perpendissem. Ego certe existimo, quod Græcus Homeri versus sequeretur, ideo illi ibi quoque Græce loqui placuisse. Quod si Græca non subjunxisset, putassem ideo usum illo participio Græco, quod concinnitatem majorem habere ibi videretur usus participii: quum Latini nullum habeant, quod plane Græco illi respondeat. nam Meditatus non æque loco illi convenit. Verum opponet mihi quispiam fortassis & vocem πλατανών, qua usus est libri primi epistola tertia, & rogabit quid in ea ἐλλωίζειν necesse fuerit, & annon Plata-

netum

netum dicere potuerit. Ego Platanetum, sequendo analogiam, posse dici non nego: sed Platanonem dixisse Romanos tum temporis, ex Martiali etiam colligo, apud quem legimus libro tertio.

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant pictæ qua platanona feræ.

Quod si ne huic quidem rationi acquiescat, Plinium non πλατανῶν (vel platanon) opacissimus, sed platanus opacissima scripsisse credat, ut habent alia exemplaria. Ineptus autem esset si etiam verba κίκεσθαι & ἐπίσταθαι objiceret (pro quibus & alia leguntur, ut dicam in Græcarum Plinii vocum interpretationibus) quum non ejus, sed aliorum sint, quorum sermonem refert. Ea autem quibus utitur, tam nomina quam verba, significantia sunt: neque certe cur nomine μικραίτιος (exempli gratia) potius quam Latino utatur quopiam, quæsiturus est is, qui vim ejus intelliget. Nihilo magis μικραίτιος quam μεμψίμοιρος (quod ad eandem significationem pertinet) exprimere unico vocabulo Latina lingua potest. Quod siquis vim illius vocabuli μικραίτιος perspectam habens, Plinium tamen in eo ἑλληνίσαι quereretur, næ is esset vere μικραίτιος. Insigne vocabulum est etiam ἀφιλόκαλον, quo utitur non multo post: sicut & ἀπειρόκαλον, quod nonnulla exemplaria loco illius habent. Et quod de ἀφιλόκαλον, idem de φιλόκαλος (cujus etiam usum apud eum habemus) dicendum est. Pro quo tamen scio καινόφιλος etiam legi: quod nihilo magis Latine voce una dici potuisset.

Enimvero non solum aperte ἑλληνίζει Plinius in suis hisce epistolis, (ἑλληνίζειν autem nunc appello Græca verba usurpare: quod facere dici potest & eo in loco, ubi Proœmiatur dicit) verumetiam occulte, ut ita dicam: quum (ut antea ostendi) verbis quibusdam Latinis eam det significationem, (inusitatam alioqui, aut certe parum usitatam) quam habent Græca quibus illa in prima & propria signi-

catione respondet. Atque hoc exemplis, quæ antea attuli, clarius fiet. Addo autem, & quædam Græca *loquendi genera imitari: ex quibus unum hoc in loco habemus, qui claudit epistolam vigesimam sextam libri septimi. Possum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihique præcipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitentur infirmi. Neque enim illud, Ut tales esse sani perseveremus, aliud sonare puto quam quod Græci dicerent* ἵνα ὑγιαίνοντες (*vel* ἐν τῷ ὑγιαίνειν) τοιοῦτοι διατελῶμεν ὄντες. *Sed hic tibi valedicam lector, & te, illo ipso Græco genere loquendi utens, rogabo ut velis pro hisce meis laboribus* καὶ φίλος ὢν διατελεῖν.

CAII PLINII CÆCILII NOVOCOMENSIS

VITA,

EX EJUS EPISTOLIS,

breviter à

CONRADO LYCOSTHENE

Excerpta, obſervatiſque aliorum illuſtrata.



CAIUS Plinius junior, ex Como novo Italiæ Tranſpadanæ oppido natus, patrem habuit Cæcilium, virum eo tempore pietate ſimul & eruditione in primis clarum: avunculum verò, Plinium Veronenſem, Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimum: ([1] cujus triginta ſeptem Rerum naturalium libri tanto ſtudio & labore conſcripti ſunt, ut doctorum omnium calculis digni judicati ſint, qui ob multifarias hiſtorias ex Græcis ſimul & Latinis philoſophis depromptas, raræque eruditionis theſaurum, non obiter tantùm legantur, ſed evolvantur, omniúmque ſtudioſorum aſſiduis conterantur manibus) à quo adoptatus, non tantùm ampliſſimorum avunculi bonorum, ſed [2] ſtudiorum quo-

1 *Cujus triginta, &c.*] Scripſit & alia, ut de bellis Germaniæ, &c. de quibus vide Noſt. lib. 3. Epiſt. 5. ad Macrum. Dicitur vero hic Plinius Veronenſis *Senior*, ſæpe *avunculus* cognomento ad differentiam hujus noſtri, qui à quibuſdam *Nepos* vocatur, quamvis Nepos ex ſorore pro filio ſororis parum latinè dicatur.

2 *Studiorum.*] Mira in utroque fuit & φιλομάθεια & πολυμάθεια, (quorum alterum ex altero ferè naſci teſtis eſt Iſocrates ad Demonicum) mira etiam induſtria, ne tunc quidem intermittens, quando corporis & valetudinis curationi aliquid temporis impendendum erat. De Avunculo extat Epiſtola ad Corn. Tacitum lib. 6.

 Epiſt.

quoque, ac [1] nominis successor factus est. Puer adhuc, cum egregiam præ se ferret indolem, ut liberalibus artibus imbueretur, Fabio Quintiliano, omnium fidissimo puerorum informatori, & in oratoria professione nulli secundo, datus, artes humaniores mira ingenii felicitate perdidicit. Aliarum disciplinarum avidus, paulo pòst Nicetem Smyrnæum sophistam, & præclarum eo tempore oratorem, audivit: qui adeo ingenium ad utramque rationem accommodabat, ut judiciale sophistica quadam facultate exornaverit, sophisticum verò & umbratile forensibus aculeis roboraverit, & cujus sententiæ ac paradoxa quasi bacchantes Thyrsi, mellis lactísque copiam præbere videbantur. Quibus artibus cùm Plinium probè instituisset, annuente avunculo in Syriam tanquam ad præclarissimarum artium omnísque philosophiæ mercaturam misit, ubi Euphratem philosophum naturæ arcana explicantem audivit. Verùm cùm post multos in studiorum curriculo exantlatos labores, jam sine cortice natare didicisset, & optimos quosque sibi autores legendos proposuisset, Livium

6. Epist. 16. & 20. de Nepote lib. 8. Epist. 6. & 40.

1 *Nominis.*] Dictus enim & ipse fuit C. PLINIUS *SECUNDUS*, reservato tantum paterno *Cæcilii* nomine, quod tamen antiquiores pauxillum immutare solent. Sic Pauli Æmilii filius à Scipione adoptatus vocabatur *P. Cornelius Scipio Æmilianus*. Caj. Octavius, qui postea Augustus, adoptatus à Cæsare dictus est *C. Julius Cæsar Octavianus*. Debuerat igitur more veteri Cæcilianus dici, quomodo & Josephus Scaliger appellat in animadversionibus Eusebianis ad Trajani tempora. Sed enim jam exoleverat ille mos ætate Plinii: Vid. Gerh. Joh. Vossium hac de re.

1 *Qui-*

vium tamen Romanæ historiæ antesignanum & principem cùm toties à Quintiliano præceptore laudibus celebrari audivisset (qui Patavinum in concionibus suprà quàm narrari potest eloquentissimum vocare solitus est, & ob id inter cæteros scriptores in scholis quàm diligenter legendum in oratoriis suis institutionibus præcipit) ejus historias lactea eloquentia descriptas, raró de manu deposuit, ex quibus eam etiam hausit eloquentiam, quam in doctissimis suis epistolis & Trajani imperatoris Panegyrico, magno verborum & sententiarum ornatu, orationísque fœcunditate abundè satis ostendit. Græca in Latinam, nostra in Græcam transferens, ingenium exercuit. Ad poëticæ studium furore quodam naturali raptus, comœdias assiduè audivit, inspexit mimos, legit Lyricos; [1] quibus adolescentiæ studiis cùm animum excoluisset, jámque ad graviora altioráque studia animum intenderet, undevigesimo ætatis suæ anno dicere in foro cœpit, ac in senatu plures gravissimasque causas magno audientium stupore egit. Beticis namque contra Bebium Massam, & iisdem de Cæcilio Classico querentibus adstitit. Marium Priscum repetundarum accusavit, Iulium Bassum & Vareum in capitalibus causis defendit & liberavit. Si quid verò temporis

1 *Quibus adolescentia.*] Huc spectat Epistola 3, lib. 5. ubi se versiculos parum severos non sine summorum virorum exemplo lusisse fatetur.

1 *Cele-*

poris à civilibus negotiis, quibus totum jam intenderat animum, ſuffurari potuit, colendis agris conſumpſit: priſcos illos Romanos, Numam Pompilium, C. Licinium, Catonem, Cincinnatum, Piſones, Fabios, Cicerones, alióſque virtute claros viros imitatus, qui in magno honore conſtituti, vites putare, ſtercorare agros & irrigare nequaquam turpe & inhoneſtum putarunt. Laurentinum ſuum rus, & alterum in Thuſcis (in quo templum principum ſtatuis mirificè ornatum ædificavit) doctiſſimis epiſtolis [1] celebravit, ut agriculturæ ſe ſtudioſiſſimum oſtenderet. Cui cùm venatio cognata eſſet, ſæpenumero calores, pluvias, ſudorem, frigora, nives, & id genus alia compluſcula, quæ venatoriæ voluptates continent, perpeſſus, [2] ad venabula ſedens, ſpumantes, & à canibus in furorem converſos apros propria manu confodit. Ad adminiſtrandam remp. aptiſſimus judicatus, celeriter ad ſummos honores, ampliſſimaſque in urbe dignitates, evectus eſt. Æmyliæ nanque viæ, quæ ab Æmylio Scauro poſt Ligures bello ſubactos, à Placentia Ariminium uſque ſtructa & ſtrata erat, curam adminiſtravit. Quæſturam cum Caleſtrio Tirone, cum quo ſtipendia ante fecerat, & Præturam cum eodem conſecutus eſt. Cornutum Tertullum præfectus

1 *Celebravit, ut &c.*] Imprimis, in Thuſcis, temperiem cœli, regionis ſitum, villæ amœnitatem mirè extollit Epiſt. 6. lib. 5. ad Apollinarem S.

2 *Ad venabula.*] Vide hac de re lib. 1. Epiſt. 7.

1 *Ha-*

ctus ærarii salutatus, collegam habuit. In Pontum & Bithyniam missus proconsul, non minorem prudentiæ, quàm moderationis & diligentiæ gloriam retulit. Consulatum summâ famâ, paríque integritate cum Tertullo, amicitiarum familiaritate semper conjunctissimo, gessit. In auguratu sacerdotio prisco, quod viventi nunquam adimebatur, Julio Frontino viro principi successit, quibus, aliisque multis dignitatibus, cùm sua industria Romanorum Rempublicam mirum in modum auxisset, in tantam apud bonos & claros viros existimationem venit, ut juveni ex clarissimis familiis in urbe uxores offerrent. [1] Habuit autem duas, ex quibus posterior erat Calphurnia, Pompejæ clarissimæ fœminæ filia: cum qua multos annos honestissimè, sine prole tamen, vixit. Vitæ suæ innocentia, & omni scientiarum eruditione principum multorum animos sibi conciliavit: in primis tamen Trajani, invictissimi imperatoris, à quo non tantùm sibi ipsi, sed amicis quoque multa impetrare potuit. Voconio quippe Romano, condiscipulo & contubernali suo, multas dignitates: Accio Suræ præturam: Harpocrati Iatraliptæ

1 *Habuit autem, &c.*] Sic ipse fatetur Epist. 2. lib. 10. ad Trajanum Imperatorem. Calphurnia fuit Calphurnii & Pompejæ clarissimæ fœminæ filia, cujus & sermonis & suavitatem miram literarum ipse prædicat Epist. 7. lib. 6. eruditionemque, frugalitatem ac cæteras dotes lib. 4. Epist. 9. Vide & Epist. 4. lib. 6. Charitas conjugalis inter eos quàm ardens fuerit, colligi licet ex Epist. 7. lib. 1. & Epist. 1. lib. 7. & 2. lib. 11. ubi abortum & morbum ejus describit. Memora.

liptæ peregrinæ conditionis homini, Chrysippi Mithridatis, Stratonicæ Epigoni, & uxori Chrysippi, Posthumii demum Marini propinquis aditum in urbem impetravit: libertis Antoniæ Maximillæ ornatissimæ matronæ, præterea Hediæ, Antoniæ, Harmeridique citra omnem difficultatem jus Quiritum obtinuit. Tanta fuit opulentia, ut ducenta millia nummûm pro accessione precii agrorum contempserit, emptrice Cornelia hoc petente. eas tamen facultates quas partim hæreditario jure à parentibus & avunculo, partim Trajani mecœnatis sui munificentia habuit, ab omni alienus avaritia, bene meritis, & quovis præmio dignis, summa liberalitate distribuit, & erogavit. His Caninium Rufum municipem suum, studiis jam valedicentem, ad artes, humanioraque studia revocavit. Valerium Martialem poëtam secedentem ab urbe, honestissimo viatico juvit. Romano condiscipulo tria millia nummûm ad equitis facultates implendas obtulit, & dedit. Fabium Quintilianum primæ pueritiæ præceptorem, senem jam, & pecunia carentem, dote, & omni impensa maritandæ filiæ necessaria ornavit, & quingenta millia nummûm, ut secundum mariti conditiones vestitu simul ac comitatu instrueretur, quasi parens alter contulit. Patriæ suæ annua sestertia tricena, quæ à nobis 750. aureis æstimantur, donavit. Ut ad bonarum artium studia

dia juventutem incitaret, in municipio ſuo bibliothecam optimis libris refertam, ad communem ſtudioſorum uſum dedicavit: annuos ſumptus in alimenta ingenuorum erogavit, ampliſſimaque præceptoribus conſtituit ſtipendia. Gentilis licèt fuerit, Chriſtianorum tamen in maxima perſecutione acerrimus propugnator extitit. Cum enim variis tormentis eos qui in Chriſtum crederent, cruciari videret, ut à fide deſciſcerent, miſericordia & interemptorum multitudine motus, eos apud Trajanum defendit, dum ſcribit, nihil omnino ſceleris in his deprehendi, aut quippiam committi quod Romanis legibus contrarium eſſet: quandoquidem adulteria, & cætera ejus notæ crimina illicita arcerent, & tantum antelucanos hymnos Chriſto cuidam Deo canerent. Ob morum ſtudiorumque ſimilitudinem præcipuè viros doctrina excellentiſſimos ſibi amicitiarum ſocietate devinxit. Ex poëtis quidem Virginium Romanum, hominem (ut ipſe appellat) probitate morum, ingenii elegantia, operumque varietate monſtrabilem: Valerium Martialem, Epicuri ſectatorem, & [1] Silium Italicum, in carmine heroico poſt Vergilium facilè principem. Ex hiſtoricis vero, [2] Suetonium Tranquillum, & [3] Cornelium Tacitum. Juriſperitis

1 *Silium Italicum.*] Hujus mortem luculenter deſcribit Ep. 7. lib. 3.

2 *Suetonium Tranquill.*] Scil. ut contubernalem ſuum, videatur Epiſt. 8. lib. 3. & lib. 10. Epiſtola 95.

3 *Cornelium Tacitum.*] Hunc imprimis

tis autem, Pomponium Saturninum causidicum, Arrianum, Titum Aristonem, & Cornelium Minutianum, rectissimos judices, & fortissimos advocatos: quos sæpe cum Frontino, si quando de rebus arduis agendum esset, consuluit. [1] Inter prædilectos autem libertorum suorum, præcipue, Zosimum, hominem ut probum & officiosum, ita maxime literatum habuit. Ut nomen suum immortalitati consecraret, non tantum Cornelii Taciti historiis laudari voluit, sed ipse quoque multa scripsit, quæ tamen ad posteros non venerunt, utpote Tragœdiam græcam, de Maris Icarii tempestatibus elegos, Hendecasyllaborum librum, Demonstrativas orationes, in quibus Demosthenem summum oratorem secutus est: De Helvidii ultione libros aliquot, quos Quadratus studiosissimè semper legere solitus est, & multa quidem alia, quæ temporis injuria magno Musarum mœrore ita interierunt, ut ne fragmenta quidem hodie exstent. Ex his tamen omnibus singulari divini Numinis beneficio

primis tantopere amavit, ut verè dici posset una anima in duobus corporibus. Huic lib. 2, Epist. 11. hoc tribuit elogium, quod orationi ejus insit eximia σεμνότης; id est *gravitas*, quodque responderit *eloquentissime*. Eundem gravissimum florentissimumque rerum Romanarum scriptorem quanti fecerit Plinius, cum aliis ex locis tum ex Epist. 16. lib. 6. apparet, ubi *immortalem gloriam ei propositam esse refert*. Vid. pluribus Epist. 1. lib. 2. & 32, lib. 8, 8. lib. 5, 20, lib. 7. & 31, lib. 9.

1 *Inter prædilectos.*] Ex senatoribus habuit Thraseam Pætum, cujus etiam meminit Tacitus in historiis, virum, nostro judice, mitissimum & ob hoc quoque maximum, Epist. 22. lib. 8. Ex Oratoribus inprimis Quinctilianum ad quem scribit Epist. 32, lib. 6. se ipsius Filiæ nubenti tanquam alterum parentem conferre, quinquaginta millia nummûm Ex Philosophis Artemidorum, qui fuit gener Musonii, quem laudat. Epist. 11. lib. 3.

ficio ad posteros venerunt, decem Epistolarum libri mira Eloquentia scripti; Libellus de viris in re militari & administranda Republica illustribus, & Panegyricus Trajani Romanorum invictissimi Imperatoris, qui post Nervam, juxta Eusebii supputationem, usque ad annum Christi Salvatoris nostri CXIX. regnavit; quo tempore, vel paulo post Plinium nostrum è vivis exemtum esse, ut conjicere & divinare licet.

Hæc Lycosthenes de Authore. Epistolas, qnod spectat, ex ætate Vincentiæ Bellovacensis (vixit ille Anno Christi cIↃccL. temporibus Papæ Innocentii IV.) circiter centum legebantur, convulso volumine. Primum libros novem continet, Decimum vero, quæ Epistolas habet ad Trajanum, & Panegyricum è Galliis in Italiam detulit, & Aldo Manutio excudendum dedit *Aloysius Mocenicus*, Reip. Venetæ apud Christianissimum Regem Orator. Verum cum de Decimo non omnes idem judicent, quod ea de re dicendum erit, ad decimi libri præfationem servabimus. Panegyricus peculiari libello sequetur.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII
DE
C. PLINIO CÆCILIO SECUNDO
JUDICIUM,
Quo Christianum eum non fuisse, ut volunt alii, ostenditur.

PErsecutionis Christianorum sub Trajano atrox tempestas non quidem desiit, sed minor ac quasi mitior tandem cœpit, admonente Trajanum Plinio, singularem Christianis innocentiam vitæ esse ac integritatem. Exstant hodieque scriptæ eâ de re Trajani & Plinii epistolæ; ex quibus utcunque cognosci potest, qualis ea tempestate Christianorum fuerit disciplina.

Non est mihi dubium, quin ex iis epistolis natum sit ridiculum eorum commentum, qui Christianum aliquando operâ Titi factum Plinium, in literas mittere ausi sunt. Flavius Dexter in Chronico; *Titus cognomento Justus, Episcopus factus, sequutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetania, ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus converterat ad fidem Plinium Juniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem, in Creta insula, ubi jussu Trajani Iovi templum exstruxerat. Nec desunt qui putent septima Sextilis ad Novocomum esse passum.* Si hunc audimus, non Christianus tantum Plinius, sed & martyr fuerit. Ceterum Pseudodexter est, qui hæc scribit. Qua de re plura nos alibi dicemus. Porro addit ad hunc locum Franciscus Bivarius de Plinio Christiano ista;

Sed unde habemus, in Creta Plinium Secundum Iuniorem ad fidem perductum opera S. Titi ? Ex Actis ipsius, quæ Zena, legisperitus & Apostoli discipulus, scripsit, refertque Equilinus, ubi eum Zena, cum præmisisset Titum, in Cretam iterum reversum, multos ad Christi fidem perduxisse, ordinasseque Presbyteros & Diaconos, subdit : *Cum die quadam transiret ante palatium, quod Secundus Proconsul* (is erat Plinius Secundus Iunior) *jussu imperatoris in Iovis nomine construebat, maledixit illud ; & statim opus funditus dissipatum est.* Nonne id dixerat Dexter illis verbis; *Is Titus converterat ad fidem Plinium Iuniorem in Creta insula, ubi jussu Trajani Iovi templum erexerat ?* Subjiciunt acta; *Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrymis rogans, se indemnem ab opere conservari. Cui Titus imposuit, ut opus in nomine unius Dei Christianorum inciperet, ut sic opus perficere posset; quod & factum est. Completo vero opere Secundus cum filio suo baptizatus est.* Fuit hic nepos ex sorore C. Plinii Secundi, cujus de natura rerum extant insignes Commentarii: ipsius vero Plinii Secundi Iunioris extat liber Epistolarum,

& Pane-

& Panegyricus Trajano Cæsari dictus, quo gratias agit Consulatum ejus auspiciis adeptus. Is etiam Hispanis nonnulla contulit beneficia. Nam Quintiliani filiam pauperem dote juvit, & Martialem Poëtam ab Urbe in Hispaniam secedentem, viatico prosecutus est, ut ipse in Epistolis testatur. De Martyribus sub Trajano passis agit ipse Lib. x. Epist. xcvii. Ceterum ipsum tandem Novocomi, patria sua, martyrium subiisse, inde nonnulli putant haberi, quod die vi Augusti seu Sextilis cum aliis quinque reperitur in Romano Martylogio, inter alios Martyres, quidam nomine *Secundus*. Nam in eo sic legimus: *Novocomi passio Sanctorum Martyrum Carpophori, Exanthi, Cassii, Severini, Secundi, & Licinii, qui in confessione Christi capite truncati sunt.* Meminit ipsorum Martyrum Galesinus ex veteribus monumentis Ecclesiæ Mediolanensis, Bergomensis, & Aquilegiensis. Ignorarunt sanè historiam istam Comenses cives, cum anno Domini cIↃccccxcviii, pro foribus ædis B. Virginis sui concivis junioris Plinii marmori incidi curarunt hujusmodi inscriptionem, sine Martyris titulo, quam Volaterranus refert lib. xviii.

C. PLINIO CÆCILIO SECUNDO,
QUI CONSULATU, AUGURATU, MILITIÆ
GESTIS, AC ORANDIS CAUSIS, POEMATIBUS,
ET HISTORIIS CONFICIENDIS,
CÆSAREM TRAIANUM AUGUST. LUCULENTISSIME LAUDANDO, ADFICIENDOQ. IMMENSA
LIBERALITATE PATRIAM SUAM, EIDEM
IMMORTALE CONTULIT ORNAMENTUM,
ORDO COMENSIS CONCIVI SUO DESIDERABILI,
HONORE ACCEPTO,
MONUMENTUM POSUIT.
M.CCCC.LXXXX.VIII.
KAL. MAII.

FUNCTUS ERAM SED TUM VETERI PRÆCLARUS HONORE;
VIVEBAM, PERII: NUNC QUOQUE VITA MIHI EST.

E latere dextro hujus memoria extat alia C. Plinii Secundi senioris, quam tu, lector, apud eumdem Volaterranum legere poteris.

Hæc & similia istis alia quoties lego, non possum satis mirari stuporem hominum, qui talia aut scribere aut credere potuerunt. Hoc demum est cum ratione insanire. An quia in Actis Martyrum legitur, pro Christi nomine Secundum passum fuisse, Plinius Secundus intelligendus est? Plures Secundi dicti sunt, quam hic Plinius. Solæ illæ literæ, quæ hodie exstant, Christianum eum fuisse, primis hujus fabulæ auctoribus persuascre. Agnosco quidem ego luculentum exstare in iis de Christianorum innocentia ac integritate testimonium; sed & illud in iis invenio, Christianam

nam religionem, *exitiabilem superstitionem* appellari. Si Christianorum doctrina exitiabilis superstitio visa ei sit, quare aut quomodo dicitur Christianus? Si Christianorum aliquis Stoïcorum & in docendo & in scribendo severitatem laudibus extolleret, an iccirco Stoïcus merito diceretur? Qui paganus Christianorum vitam moresque commendat, non eo minus paganus est. Sed dictu prope infinitum est, quam levi & nulla ratione moti jam olim nonnulli Christianæ Historiæ scriptores plurimos Christi nomen professos tradiderint, qui Christiani non fuere. Cum hoc, quod hic nobis oblatum est, exemplo unum modo jam conjungam; ex quo & liquidò constabit verissimam esse eam rationem hujus de Plinio Christiano commenti, quam jam dedi. Pontii Pilati, sub quo Dominus noster passus est, uxor (Claudiam Proculam vocant, quorum animo sedet ac fixa quidvis fingendi libido) Christiana fuisse dicitur. Pseudodexter ille, cujus jam meminimus, in Chronico: *Claudia Procula, uxor Pilati, admonita per somnium, in Christum credit, & salutem consequitur.* Certe huic etiam quorundam sententiæ occasionem dedere illa, quæ apud Matthæum de Pilati conjuge leguntur verba; *Sedente autem illo*, Pilato nempe, *pro tribunali, misit ad eum uxor, dicens; Nihil tibi & justo illi; multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Quia igitur marito dixit illa; *Nihil tibi & justo illi*, scilicet Christo, Christiana fuit. Qua ratione id colligant, qui tradunt, scire ego velim. Pro innocentia Christi, tanquam non damnandi aut crucifigendi, vel non rei, pronunciat, non autem pro Christo, tanquam cujus sanguine ac morte genus humanum redimendum esset. Sed hæc obiter. Alibi plura de ejusmodi veterum Christianorum commentis dicemus. Unum hoc modo nunc addam, mirum videri posse, quare & iidem Pilatum Christianum non fecerint. Nam hæc ejus de Christo verba exstant; *Nihil mali fecit.* Sed quia alio & sequuto postremo Pilati de Christo judicio, in gratiam Iudæorum, Christus damnatus est, Christianum factum Pilatum credere non debuere.

DE
C. PLINIO CÆCILIO SECUNDO
Veterum ac recentiorum quorundam authorum
TESTIMONIA.

M. VALER. MARTIALIS *Epigr. lib. X. epigr. XIX.*

ALloquitur hoc epigrammate Musam, mandatque ut Plinii domum in Exquiliis quærat, laudat etiam Plinium ab Eloquentia, quem cum Cicerone contendit.

Nec doctum satis & parum severum
Sed non rusticulum nimis libellum

Facun-

Facundo mea Plinio Thalia
I, perfer: brevis est labor peractæ
Album vincere tramitem Suburæ.
Illic Orphęa protinus videbis
Ubi vertice lubricum theatri
Mirantesque feras, avemque regi
Raptum, quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parva tui domus Pedonis
Cælata est aquilæ minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria januam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc quod secula, posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas:
Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli:
Tunc me vel rigidi legant Catones.

C. SOL. APOLLIN. SIDONIUS *Avernorum Episcopus lib. 1. Epistola 1. ad Constantium.*

Diu præcipis, Domine Major, summa suadendi authoritate, sicut es in iis, quæ deliberabuntur consiliosissimus, ut si quæ literæ paulo politiores, varia occasione fluxerunt, prout eas causa, persona, tempus elicuit, omnes retractis exemplaribus enucleatisque uno volumine includam, Q. SYMMACHI rotunditatem, C. PLINII disciplinam maturitatemque vestigiis præsumtiosis insequuturus, &c.

Et lib. IV. Epist. 22. ad Leonem, quæ ejusdem est argumenti cum ea, quam habet Plinius Epist. 22. lib. III.

Nam & antiquitus cum C. Cornelius C. Secundo paria suasisset, ipse postmodum quod injunxit, arripuit. Idque ab exemplo nunc me melius aggrederis, quia & ego PLINIO, ut discipulus assurgo, & Tu Vetusto genere narrandi jure Cornelium antevenis, &c.

Et lib. VIII. Epist. 10. ad Rauricium.

M. Tullius in actionibus cæteris cæteros, pro A. Cluentio ipse se vicit. M. Fronto cum reliquis orationibus emineret, in Pelopem se sibi prætulit. CAIUS PLINIUS pro Accia Variola plus gloriæ de Centumvirali suggestu domum retulit, quàm cum M. Ulpio Trajano incomparabili Principi incomparabilem panegyricum dixit.

JOHAN-

Johannes Maria Catanæus *Commentario ad Plinii Epistolas.*

Hoc in se habent Secundi literæ, ut longiores sint fructuosiores, breviores gratiosiores.

Et ad Epist. 13. lib. VIII.

Habet hoc Secundi Epistola, ut quò longior, eò emendatior, & quò brevior, eò argutior.

Ad Epist. 22. lib. VIII.

Impar igitur (Plinius) tanto dolori (concepto ex Junii Aviti morte) Marcellino rem totam per hanc Epistolam exponit, inter pulchriores pulcherrimam, inter tristiores tristissimam, inter amantiores amantissimam.

Idem *Epistola ad Præsidem Gratianopolis ac Medionali J. C.*

Sicut M. Tullio in epistolis copia parataque dicendi facultas elucet, ita Plinio exculta, pensitata, amputata: utque illius reliqua divini ejus ingenii opera maximam Familiaribus epistolis commendationem afferunt, sic Plinio tum rerum tum verborum & splendor ac dignitas & ordo faciunt, ut quæ non exstant ejus scripta, summo cum desiderio requiramus, quem cum deponere constitueris iterum resumes; tot illecebris lectorem tenet & afficit, ut cupidum ulteriora legendi rerum novitate faciat, nolentemque aculeis trahat, neque brevitate officiat, sed magis lectorem capiat.

D. Erasmus Roterod. *in brevissima & compendiaria conficiendarum Epistolarum formula.*

Esse enim Epistolicus stilus simplex debet ac velut negligentiusculus. Nam est etiam quædam negligentia diligens; exemplo sunt Plinii Cæcilii Epistolæ, acutæ eleganter, expressæ, in quibus nihil nisi domesticum, quotidianum, sed omnia tantùm latina, casta ornataque leguntur. Cumque sit stilus ille multa arte atque ingenio cultuque subactus & elaboratus, illaboratus tamen pene, subitus atque extemporaneus videtur.

Et alibi de demonstrativo Genere.

Ad hoc genus referendæ sunt Epistolæ, quæ vel laudant aliquem vel vituperant. Ejus generis est Epistola Plinii, cujus principium est: Si quando urbs nostra, *&c.* Primo Euphratem Philosophum Plinius ab animi bonis eximiisque virtutibus, ut humanitate & eloquentia, deinde à bonis corporis, ut corporis proceritate, decora facie, demisso capillo, ingenti & cana barba; postremò ab externis quanquam leviter & obiter, ut cum dicit: *Juliani Pompeji clarissimi J. Consulti, & Consulis generum fuisse.* Ejus generis est Epistola apud eundem: *Petis ut fratris tui filiæ,* &c. Laudat enim Minutium ab honestate morum, clara patria, clarisque

que parentibus & ab ea maxime verecundia, qua magistratus plurimos gesserat, deîn à facie liberali ingenuaque, à totius corporis pulchritudine & quodam senatorio decore, denique ab amplis facultatibus & maximo censu majorum.

JOHANNES LUDOVICUS VIVES *de conscribendis Epistolis, cap. de auctoribus Epistolarum.*

Antiquissimæ verò Epistolæ exstant *Platonis* perpaucæ & *Demosthenis*. Hinc M. Tullii amissæ quidem multæ, sed multæ etiam in hanc usque ætatem reservatæ, in quibus præter verba & dictionem, quibus vir ille cæteros omnes scriptores Latinos duntaxat tanto post se intervallo relinquit, plurimum inest & ad respublicas & privatas judicii ac prudentiæ. *Senecæ* Epistolæ volumina sunt de Philosophia. Accommodatior ad usum PLINIUS CÆCILIUS, eorum præsertim, qui de negotiis privatis aut Republica non scribunt. Nam hujusmodi melior est Cicero : *Plinius* vero succinctus & festivus & facetus & acutus & frequens concinnis sententiis, doctis atque acutis ingeniis mirificè est aptus, qui scholasticas inter se mittunt Epistolas, & umbraticas, ut idem ipse ait, quibus oportet plus ornatus & condimenti adjungi, quando rebus non perinde nituntur.

GERHARDUS JOHANNES VOSSIUS *operis de Historicis Latinis, lib. I.*

Uti autem Tacitus, ita & cum ante, tum sub Trajano imprimis fuit C. PLINIUS CÆCILIUS SECUNDUS, Novocomensis, C. Plinii Veronensis sororis filius, Quintiliani, ut de se ipse (lib. 2. Epist. 14. ad Maximum) testatur, discipulus. Hic à multis auctor creditus est libri de viris Illustribus; sed ejus quidem nomine ab Aldo & aliis editus fuit. Ac similiter M. S. inter alios, qui Oxonii est in Bibliotheca, collegii Christi corporis, atque iterum in collegio Lincolniensi; Ubi & M. S. ejus epistolæ & libellus ei præmissus cum hac epigraphe : *Brevis animadversio de duobus Pliniis Veronensibus oratoribus ex multis hinc inde collecta per Johannem Mausionarium Veronensem.* Incipit, *Plinii duo.* Sed quod ad opusculum de viris illustribus, illud esse Sex. Aurelii Victoris, diximus superius, cum de Cornelio Nepote ageremus. Videtur interim scripsisse, vel saltem cogitasse de historia condenda. Vide Epist. VIII. lib. V. Novocomi legitur Inscriptio hujusmodi. *C. Plinio Secundo, qui consulatu, Auguratu, militiæ gestis, orandis causis, poëmatibus & historiis conficiendis, Cæsare Trajano Augusto luculentissimè laudando, afficiendoque immensa liberalitate patriam suam eidem immortale contulit ornamentum, Ordo Comensis concivi suo desiderabili, honore accepto* monumenta posuit. M. CCCCLXXXIIX. Cal. Maji.

Plura testimonia vide apud Conradum Celtem de Methodo Epistolarum, Christophorum Hegendorphium Epistola ad Laurentium Czoch. & alios.

**** COMI

COMI IN EXTERIORE STRUCTURA
Templi maximi.

C. PLINIO L. F. O. V. F. CÆCILIO SECVNDO. COS. AVG. CVRAT. TIBER.

MEDIOLANI IN ÆDE D. AMBROSII
in arca lapidea ex tabulis confractis.

C. PLINIUS L. F. O. V. F. CÆCILIUS AUGUR LEGAT. PROPR. PROVINCIÆ. PON. CONSULARI POTESTA. IN EAM PROVINCIAM ET IMP. CÆSAR. NERVA TRAIANO AUG. GERMAN. CURATOR ALVEI TIBERIS ET RIPARUM ET PRÆF. ÆRARI. SATURNI PRÆF. ÆRARI. MIL. QUÆSTOR. IMP. SEVIR EQUITUM TRIB. MILIT. LEG. VI. GALLICÆ. XVIR. STLITIB. JUDICAND. ADIECTIS THERM. IN ORNATUM HS. CCC. ET HOC AMPLIUS IN TUTELAM HS. CC. T. F. I. ET IN LIBER. TOR. SUORUM NOMIN. HS. XVIII. LXVI. D. CLVI. REI. INCREMEN. POSTEA AD EPULUM. PLEB. URBAN. VOLVIT PERTINERE HOC AMPLIUS DEDIT IN ALIMENTA PUERORUM ET PUELLARUM. PLEB. VRBAN. HS. CCC. IN TUTELAM BIBLIOTHECÆ. HS. C.

IN SEMIDIRUTA ÆDE D. JULIANI
apud Fegium agri Mediolanensis.

C. PLINIO. L. F. O. V. F. CÆCILIO SECUNDO COS. AVGVR. CVR. ALV. TIBER. ET CLOAC. VRB. PRÆF. ÆR. SAT. PRÆF. ÆR. MILI. QV. IMP. SEVIR. EQ. R. TR. M. LEG. VI. GALL. XVIRO. STLIT. JVD. FL. DIVI. T. AVG. RCELIENS.

NO-

NOMENCLATOR
Eorum ad quos Plinius Epistolas scripsit.

Primus numerus Epistolam, secundus Librum indicat.

INDEX SCRIPTORUM,

Quorum Notae & observationes hoc commentario exhibentur.



C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

Epist. I. C. [1]PLINIUS SECUNDUS [2]SEPTITIO SUO S.

ARGUMENTUM.

Septitio Claro epistolas suas dedicat, promittens plures, si nec eum consilii, nec se obsequii pœniteat.



FREQUENTER hortatus es ut epistolas, si quas paulo [3]accuratius scripsissem, colligerem, [4]publicaremque. Collegi, non servato tem-

1 C. PLINIVS.] Primum præfari libet inscribendum esse ex veteribus marmorum titulis, C. Plinius Cæcilius Secundus: ad hoc Tranquillo & Dione in Augusto tradentibus, lege cautum fuisse, ut adoptatus adoptantis appellationem sumeret, id est, nomen familiamque: sua etiam retenta. unde Octavius à Julio adoptatus C. Julius Cæsar Octavius est appellatus. & P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Pauli filius & Africani per adoptionem nepos: neque refert utra familia præcedat. *Cat.*

2 *Septitio.*] Hic fuit vir, judicio Secundi, ab omni fraude remotus, Erucii Clari avunculus: Præfecto Prætorii Turboni, Adriano volente, successit, deinde tamen illi successorem dedit Imperator, quod apud Sabinam uxorem injussu ejus familiarius ageret, quam reverentia domus Cæsareæ postulabat: moxque eum loco hostis habuit. *Idem.* Alii *Secundo* legunt. *Boxb.* Et sic quoque Palatinus codex, sed alterum, constanter occupat omnes editiones antiquas. *Janus Gruterus.*

3 *Accuratius.*] Id est, cura majore, sicut in codice antiquo scriptum fuit. *Catan.*

4 *Publicaremque.*] *Publicare* autem est publici juris facere, in lucem emittere.

temporis ordine (¹ neque enim historiam componebam) sed,² ut quæque in manus venerat. Superest ut nec te consilii, nec me pœniteat obsequii. Ita enim fiet, ut eas quæ adhuc neglectæ jacent, requiram: &, si quas ³ addidero, ⁴ non supprimam. *Vale.*

II. C. PLINIUS ⁵ARRIANO SUO S.

Mittit librum promissum, rogatque, ut intendat limam, ejus consilio in editione usurus.

QUia tardiorem adventum tuum prospicio, * librum, quem prioribus epistolis promiseram, exhibeo. Hunc

Et Publicum est populi frequentia & conversatio, unde Phrases, in publicum prodire, Publico abstinere, &c. limitatius est publice scribere. hoc enim apud *Cicer.* imprimis significat Senatui P. Q. R. scribere. vid. *Epist.* 3. *lib.* 15. *ad famil. Publice propter duas causas nihil scripsi*; & ad hanc *Vit. Amerpath.* Sic publicæ literæ sunt literæ ad senatum missæ; *Breviorem me duæ res faciunt, una, quod publicis literis omnia sum prosecutus, altera, quod M. Varisidium equitem* R. &c. in *ep.* 7. *ad fam. l.* 10. ad quam conf *Sebast. Corrad.*

1 *Neque enim historiam componebam.*] In *Casparis Barthii* libro scriptum est, *ad neque enim historiam componebam.* Arbitrere, *subjicit his*, Plinium scripsisse, *neque enim ad historiam componebam.* Non ait componebam epistolas ad historiam singularum scriptarum. Ut ut velis, erudite Lector, scripta mihi lectio non fuit obliteranda. Hæc *Barth.* Ceterum *non servato temporis ordine* Plinium collegisse epistolas, id credit *Catanæus* ipsum fecisse ad exemplum Tyronis (Ciceronis) liberti, qui nullo certo compositionis ordine M. Tullii congessit epistolas, at in historia rerum ordo requiritur, plerumque tamen transmutatur: quod Tranquillus est secutus, per species, non per tempora dimensa Cæsarum vitas monumentis tradendo, non sine ratione, & excusatione.

2 *Ut quæque in manus venerat.*] Nota, In manus venire non solum significare intentionem, sed & recognitionem: sic dicitur in mentem venire, non recordationis causa tantum, sed recognitionis, considerationisque. *Cat.*

3 *Addidero.*] Composuero. *Idem.*

4 *Non supprimam.*] Non contineam apud me, sed publicem. *Catan.* *Supprimendi* vocabulum alio prorsus sensu est apud *Cicer. lib.* IX. *epist.* 22. *ad famil. Batuit*, (id est, percussit, ut opinantur, Salacis verbere caudæ, quia additur impudenter) *inquit*, *impudenter: suppressit* (sic enim legendum potius puto, quam depressit, aut depsit, ut quidam) *multo impudentius.* Hoc quivis videt, agit enim de quast. *An obscœni quid sit in verbis?*

5 *Arriano.*] Hic me fere confundit diversitas exemplarium: nam Adriano alia, alia rursus Arrio, plura Arriano scriptam, fidem faciunt: sed Arriano omnino contenderim; Arriano, inquam, Maturio Altinati equiti, cujus familiaritate & judicio in literis Secundus utebatur. eodem lib. III. mentionem ad Maximum faciente. Fuit & Arrianus philosophus ex Nicomedia Romæ clarus, Adriano & M. Antonino imperantibus, novus Xenophon cognomento, [Epicteti discipulus, qui auctore Luciano vitam Tili-

bon

Hunc rogo [1] ex consuetudine tua & legas & relegas & emendes: eo magis, quod nihil ante [2] peræque eodemque [3] stilo scripsisse videor. Tentavi enim imitari Demosthenem [4] semper tuum, Calvum [5] nuper meum duntaxat [6] figuris orationis. Nam * vim † tantorum verborum

bori latronis scripsit.] Et Arriani jurisconf. mentio fit ab Ulpiano: ut alios aliis temporibus Arrianos vigentes omittam. Nam & Jabolenus de jure fisci, scribit, Arrianum Severum præfectum ærarii; cum ejus, qui tacite rogatus fuerat non capienti fidei commissum reddere, bona publicata erant, pronunciasse nihilominus jus deferendi ex constitutione divi Trajani habere eum, cui fidei commissum erat relictum. Potest etiam videri scripta Arrio Antonino, ad quem alibi. Antonini, inquam, Pii avo materno, qui Nervam miseratus, quod imperare cœpisset, homo sanctus & bis consul, semel cum Mario Celso. authores habeo Spartianum & Tacitum. *Cat.* At, nec *Adriano*, nec *Arrio* est in Palatino, sed *Arrinio:* quod & conspicitur in editione Mediolaniensi anni 478. ejusque traduce Tarvisina, publicata Anno 1483. *Gruterus.*

* *Librum.*] Intelligit actionem pro Accia Variola. *Idem.*

1 *Ex consuetudine tua.*] Diligenter. *Catan.* Et ut familiaris meus, eodem est sensu. Consuetudinem enim familiaritatem & amicitiam significare, in vulgus notum est, sic apud *Cicer. l.* 13. *epist.* 23. *consuetudinem facere* est adjungere aliquem sibi propius. Idem & *Usus* valet ead. ep. *Vetus usus intercedit.*

2 *Peræque.*] Pariter. Cæsar lib. VII. Peræque è regione castrorum castra ponebat. Videtur tamen superfluum aut peræque aut eodem stilo: idem enim significant. *Catan.*

3 *Stilo.*] In quibusdam editionibus legitur ζήλῳ, Ien. Boxh. & aliæ. Qua voce notatur æmulatio, vel vehemens imitandi studium, ut explicat *Steph.* Subjungit enim: *Tentavi imitari Demosth.* Hoc tamen *Catanæo* non probatur: Nam, ait, qui pro stilo legunt ζήλῳ, non recte judicant, etsi Græci dicant ζῆλον, è quibus Ausonius & Seneca in Proverbiis, ubi etiam verbum zelari usurpavit: nisi fortasse volumus interpretari zelum pro nimia decoris affectatione. & ut observatur apud Cyprianum, & à Grammaticis dicitur, cacozelia est nimia decoris affectatio, corrupta sententia. [Quamvis Hammonius zelum esse voluerit imitationem boni: verumtamen etiam de malo dici idem asserit.] Hæc *Catan.* Utrumque genuinum esse potest, nec unum alterum tollit. Videmur enim, imitantes imprimis alios, nihil vel eo stilo vel eo ζήλῳ antea scripsisse. Et Plinius ad ζῆλον æmulationem magis respicit in sequentibus. Per *stilum* ex Catan. intelligitur dicendi genus. Nam stilus est ferrum acutum & obtusum: (illo, ut notarent: hoc, ut expungerent. nam utrumque stilo fiebat:) quo in pugillaribus scribitur: sæpe tamen pro compositione sumitur. Verba sunt ex primo de Oratore, Stilus optimus dicendi effector & magister. & tardum & diligentem Quintilianus stilum probat. at Donatus, ut alii & Euanthius, volunt stilum verbis, orationem sensu constare. *Catan.*

4 *Semper tuum.*] Quo maxime delectaris, quemque tibi proposuisti imprimis imitandum. *Idem.*

5 *Nuper meum.*] Quem in hoc libro imitatus sum primum. *Idem.*

6 *Figuris orationis.*] Dicendi genere. est enim figura conformatio quædam orationis remota à commu-

rum pauci, [1] quos æquus amavit, assequi possunt. Nec materia ipsa huic (vereor ne improbe dicam) [2] æmulationi repugnavit. Erat enim prope tota [3] in contentione dicendi, quod me [4] longæ desidiæ indormientem excitavit, si modo is sum ego, qui excitari possim. Non tamen omnino [5] Marci nostri τῆς [6] ληκύθους fugimus, quoties paululum

ni, & qua diversa sermonis forma conjungitur. Figuris igitur sententiarum, Fabio referente plurimum oratio insignitur, à quo etiam lib. XII. hæc pro Demosthene traduntur. *Nonne*, inquit, *cunctos illos teretes oratores, sublimitate, vi, impetu, cultu, compositione, superavit? non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? nam pene lex orandi fuit.* Catan.

* *Vim.*] Verbis tribuitur *vis* improprie. Proprius vocis significatus est apud *Cic. lib.* I. *ep.* 4. Pro imbecillitate enim *Vim* legit *Victor*, quod verba quæ sequuntur (*vi excepta*) sic legi debere ostendunt. Sane *vis* non tantum à Trib. plebis poterat fieri, sed & à privatis. Et forte verius ea dicitur vis quæ à privatis fit, quam quæ à Magistratu. Qui enim publicam personam gerunt, quamvis contra leges faciant, recte tamen se illa facere multis persuadent.

† *Tantorum verborum.*] Alia exemplaria habent *virorum, quos æquas.* Et omittunt *amavit*. Cujus lectionis hunc vult esse sensum *Catan.* In nulla alia oratione imitatum esse Calvum oratorem, quam in hac: & pauci oratores tibi pares possunt assequi vim tantorum virorum. Sed ut hanc lectionem non admittat, præter alia imprimis efficit, quod Plinius alibi ejusdem mentionem faciens, testatur tantum se imitari Demosthenem, nulla Calvi recordatione habita: & credibile sit, semper optima Plinium imitanda sibi proposuisse, Demosthenem scilicet & M. Tullium. quanquam fuerint qui Calvum omnibus oratoribus præferrent. *Catan.*

1 *Quos æquus amavit.*] Nescio, adjiciendum an subaudiendum sit τὸ *Jupiter*, ut & hemistichion & sensus impleatur. Et omisit auctor forte studio, quod versus Virgilianus notissimus esset, Arriano præcipue homini erudito. Sed viros ingenio præcellentes, quos hic intelligit Plinius, tanto videtur complexus magis Deus esse, quanto eosdem præstare aliis voluit. *Buchner.*

2 *Æmulationi.*] Demosthenicæ. Adverte, æmulatorem poni pro eo qui de pari loco contendit: secus imitatorem. Hic idem alibi, Non ut æmularer, sed tamen imitarer & sequerer tantum. Aliquando cum invidia ponitur, ut apud Apuleium in tertio Florid. Marcellus distinguit, *Æmulus*, inquit, *similitudinem vitæ vel instituti repræsentat.* Item æmulatio ab imitatione hoc distat, quod imitatio simplex est & invidiam non admittit: æmulatio habet quoddam imitandi studium, sed cum malitiæ operatione. M. Tullius pro sectatore indifferenter usurpat. *Catan.*

3 *In contentione dicendi.*] Hæc maxime consistit in confirmatione & confutatione. Eam Cicero in continuationem & distributionem divisit: neque hic locum habet exornatio ejusdem appellationis, quæ fit ex contrariis verbis. *Idem.*

4 *Longæ desidiæ.*] Desuetudini à forensibus causis. *Id.* *Longe* legit *Boxh.*

5 *Marci nostri.*] Ciceronem sign. Quem *nostrum*, id est Latinum appellat, respectu græci Demosthenis. *Catanaeus.*

6 *Ληκύθους.*] *Henr. Steph.* taxat eos, qui

lulum [1] itinere decedere non [2] intempestivis amœnitatibus admonebamur, acres enim esse, non tristes volebamus. [3] Nec est, quod putes me sub hac exceptione [4] veniam postulare. immo quo magis [5] intendam [6] limam tuam, confitebor & ipsum me & [7] contubernales ab editione non abhorrere, si modo tu fortasse errori nostro album

qui has lucubrationes sunt interpretati. Intelligit igitur excursus illos oratorios & αὐξήσεις, quibus exaggerantur res, ipsaque oratio exornatur, & quasi depingitur. λήκυθοι enim ampullæ sunt (plerumque ex alabastro) quibus pigmenta colorum pictores servabant. *Cic. ad Attic. lib.* 1. *Ep.* 14. Totum illum locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere de flamma, ferro (nosti illas ληκύθους) graviter pertexuit. *Buchner.* De ornatu & vi Ciceronis in dicendo passim veteres, etiam græci, ut Longinus περὶ ὕψους cap. 10. dictum quasi ἀγγεῖον, id est, receptaculum: quod capacissimum sit, παρὰ τὸ κύτος à vase λάκυθος, aut quod planum habet fundum, aut quod oleum celat. Lecythos quidam metaph. accipiunt pro gymnasio, authore Polluce, ut sit sensus. Plin. non declinasse à Cic. schola: ideoque in numero plurium dixisse Lecythos, quoniam M. T. cyclicam noscebat pædiam. anthores habeo Suidam, Hammonium, Athenæum: & Sophocles Euphoniæ causa Lecythismum dixit. Possemus etiam interpretari commiserationem. nam Aristoph. usurpat in Pluto. ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ, non movemur misericordia. *Catan.* Potior Etymologia est ex λα vel ἔλαιον & χύω vel κεύθω. Possit referri ad Hebr. לקט colligere, quasi sit vas colligens in se oleum, aut ad לקח capere, λήγειν. Ita esset λήχειθον, vel ut vult Martin. ab Arab. לח lucere, quia lucidi olei est receptaculum.

1 *Itinere decedere.*] Est à proposita causa digredi. Utile enim sæpe est digredi ab eo, quod proposueris movendorum animorum causa. *Catanaus.*

2 *Non intempestivis amœnitatibus.*] Opportune ad demulcendas judicum aures. Quintil. Orator erit egressionibus amœnus, in quibus M. Tullius excelluit. *Idem.*

3 *Nec est.*] Pro non opus est. Peculiare Secundo dicendi genus, quod interdum deprehendes apud Martial. ut, Non est quod timeas Candide. *Idem.*

4 *Veniam.*] Errorum, si quos in digrediendo cognoveris. *Idem.*

5 *Intendam limam tuam.*] Acuam tuum judicium, ac emendationem in hunc librum. *Idem.*

6 *Lima.*] Metaphorice est censura, & emendatio. A fabris, qui superflua abrodunt. Sane verbum frequens apud Plin. & Martial. & ante eos M. Tullius dixerat: *Veritas ipsa limatur in disputatione.*] Catan.

7 *Contubernales.*] Meos amicos, proprie de his, qui militiæ sub uno tentorio vitam degunt, & contubernium pro decem militibus una militantibus. Nam tabernæ appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium, non ex eo quod tabulis claudatur, inde tabernacula & contubernales. hæc *Juris. de verb. sign.* Festus tamen Pompejus contubernales à tabernis, quæ fiebant ex tabulis, dictos opinatur. Hîc simpliciter pro domesticis, è quibus erat Tranquillus, Voconius Romanus, & liberti non illiterati accipiun-

[1] album calculum adjeceris. Est enim plane aliquid edendum, atque utinam hoc potissimum, quod paratum est, (audis desidiæ votum) edendum autem ex pluribus causis: maxime quod [2] libelli, quos emisimus, dicuntur [3] in manibus esse, quamvis jam gratiam novitatis exuerint. Nisi tamen auribus nostris bibliopolæ blandiuntur. Sed sane blandiantur, dum per hoc mendacium nobis studia nostra [4] commendent. *Vale.*

III. C. PLINIUS CANINIO RUFO SUO S.

Caninium hortatur, ut se monumentis literarum à mortalitate vindicet, omissa vulgarium cura.

QUid agit [5] Comum, tuæ, meæque deliciæ? quid suburbanum amœnissimum? quid illa porticus, [6] verna semper? quid [7] πλαταγών opacissimus? quid Euri-

piuntur. sic lib. I. Columella, Villico mulierem contubernalem ex Celsi sententia assignavit. *Catan.*

1 *Album calculum adjeceris.*] Approbaveris, dignum editione judicaveris. Sidon. in epist. *Ego tamen hujusmodi consilio album calculum minime apponam.* mos erat per album calculum suffragari. (Agathias lib. III. epigram. λευκὴν ψῆφον ἐδεξάμεθα album calculum suscepimus, dum ostendit Theodoti & uxoris innocentiam comprobatam, & absolutos à crimine.) per nigrum autem condemnare. Ovid.

Calculus immitem demittitur ater in urnam.

& Apulejus lib. X. *Idem.*

2 *Libelli quos emisimus.*] Intelligerem libellos de ultione Helvidii, quos temporibus Nervæ scripsisse se, ac mox emisisse testatur alibi. *Idem.*

3 *In manibus esse.*] Laudari, probari, placere. *Idem.*

4 *Commendent.*] Et per hoc incitent me ad potiora publicanda. *Idem.*

5 *Comum.*] Patria nostra Olim mediocre oppidum. cæterum Pompejus Strabo, Magni pater colonos ab incumbentibus Rhetis vastato restituit: cui Cn. Scipio tria millia hominum insuper adjecit. Post Julius Cæsar quinque inquilinorum millia ad habitandum deduxit, è quibus quingenti illustres fuere Græci. Hos etiam civitate donatos in habitatorum numero descripsit: haud tamen ibi domicilium habuere, sed oppido nomen relinquentes, & Novum Comum appellantes, Novocomenses oppidanos vocavere. Nobilitatur Comum, Plinio referente, aqua ad temperaturam ferri. *Idem.*

6 *Verna.*] Aprica æstate & hyeme, ubi sit perpetuum ver. *Idem.*

7 Πλαταγών.] Est locus Platanis consitus, quasi dicas, platanetum, uti Δαφνών, lauretum, & Ἐλαιών olivetum appellatur. *Stephan.* Accusativus *platanona* est apud *Martial. lib.* 3. & *Sidon. l.* 8. Legitur & *Platanus opacissima.* Platanus arbor est umbra

[1]Euripus viridis, & gemmeus? quid subjectus, & serviens lacus? quid illa mollis, & tamen solida [2]gestatio? quid [3]balneum illud, quod plurimus sol implet & circumit? quid [4]triclinia illa [5]popularia? quid illa paucorum? quid

bræ gratia tantum expetita. & adeo postea honoris increvit, ut mero infuso enutriretur: nam præter Plinii testimonium accedit Martialis de Platano Cordubensi,

Crevit & effuso latior umbra mero.

1 *Euripus.*] Ut dici æstum redderent leniorem, aquam derivabant per varias semitas: rivi autem hujusmodi obliqui & reciproci, qui fluunt & refluunt, Euripi appellantur: de quorum instabilitate extant apud Suidam proverbia, ut ἄνθρωπος εὔριπος, & τύχη εὔριπος, καὶ διάνοια εὔριπος. Esse aquarum ductus Euripos satis constat Senecæ testimonio lib. xiv. epistolarum referentis: Qui Euripos subito aquarum impetu implet aut siccat. & Lampridii in Heliogabalo. & Plinii, Cæsar dictator in elephantorum munere Euripis arenam circumdedit. Ex quibus patet non satis veram illorum sententiam, qui rivulos per prata defluentes, si paulo murmuratiores essent, euripos: alios majusculos, nilos appellarunt: nam M. Tullius lib. I. de Leg. indifferenter posuit, Ductus inquit, aquarum, quos isti nilos euripósque vocant, quis cum viderit, non irriserit? Sed magis ridicula illorum opinio, qui euripum vitem malleolis circumquaque ductis in formam lacus esse crediderunt. Neque assentior dissentientibus, Euripos manu factos per fossas & cuniculos, dictos à similitudine Chalcidici freti septies in die reciprocantis, authoribus Justino & Suida: à quo Euripus fretum, locus aquosus inter duas terras Bœotiæ & Atticæ interpretatur. Livius tamen, Non septies die, sicut fama fert, temporibus statutis reciprocat euripus: sed, &c. & Pausanias lib. 2. testatur Euripum circumfluere in circuitu regionis Platanistæ: quæ quia multis platanis consita, inde traxit appellationem. Appellati Euripi παρὰ τὸ μὴ εὖ ῥεῖν, à latitudine per contrarium, quod non sint lati sed angusti: sic scriptum reperies apud magnum etymologicum. *Catan.* Vid. & *Salmas.* ad Tranq.

2 *Gestatio.*] Locus quo gestabantur sanitatis vel voluptatis gratia. de hac locutus satyra VII. Juvenalis,

Balnea, sexcentis, & pluris porticus, in qua
Gestetur dominus quoties pluit. ——

Et Paulus gestationem confici ex arboribus asserit, sed pro ipsa succollatione interdum usurpatur. Nam Celsus inquit, Lenis in navi, in lacu gestatio est: vehementior in alto, vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo. *Idem.*

3 *Balneum.*] Legitur in multis codicibus balineum, quod non abhorret à ratione, cum græci βαλανεῖον vocent: de cujus verbi derivatione, Suidam & magnum etymologicum lege. Poëtæ tamen balnea & non balinea usurpant. *Idem.*

4 *Triclinia.*] Triclinium nemo nescit locum esse convivii, dictum authore Servio à tribus lectis stratis: quod etiam vocabuli interpretatio ostendit, & Varro in re rustica, Triclinium sterni cœnandi causa dixit: sicut Apulejus comessatoribus inquietum. id Porphyrius Latine cœnaculum sentit. Lectos ejus pares & altitudine, & materia, & figura Varro fieri solitos asseverat: qui triclinaria æstiva ad frigus orientis, hyberna ad solem occidentem construi præcipit: à quo non multum dissentit Vitruvius. *Idem.*

5 *Popularia.*] Id est, Multorum, & communia multis. *Idem.*

[1] quid cubicula diurna nocturnaque? possidentne te, & per vices [2] partiuntur? An, ut solebas, intentione rei familiaris obeundæ, crebris [3] excursionibus avocaris: si te possident, felix beatusque es: sin minus, [4] unus ex multis. Quin tu (tempus est enim) humiles & sordidas curas aliis mandas: & ipse te in alto isto pinguique secessu studiis adseris. Hoc sit negocium tuum, hoc ocium, hic labor, hæc quies, in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. Effinge aliquid & excude, quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur. Hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit. Scio, quem animum, quod horter ingenium. Tu modo enitere, ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, [5] si tibi fueris. *Vale.*

IV. C. Plin. Pompeiæ Celerinæ Socrui S.

Pompejam invitat ad sua prædia.

QUantum copiarum in [6] Ocriculano, in [7] Narniensi, in

1 *Quid cubicula.*] Recentiores editiones interseruerant, *paucorum? quid popinæ? quid cubicula, &c.* Ejeci ego, quod non compareret in antiquioribus, & videretur natum ex illo *popularia.* Certe Ms. Pal. tantum præ se fert: *quid triclinia illa? popina quid cubicula, &c.* Gruter.

2 *Partiuntur.*] Sortiuntur, in alia lectione patiuntur fuit. utmodo in unum te transferas, modo inaliud. *Cat.*

3 *Excursionibus.*] Motibus, perturbationibus. Nam illi dicuntur excurrere, qui causa rei familiaris obeundæ, ut negociatores, modo huc modo illuc currunt. *Idem.*

4 *Unus ex multis.*] Plebejus es, & vulgaris. [Cic. 2. de finib.] Hic dicendi mos apud græcos usitatissimus: nam cum volunt ostendere aliquem nulla virtute eminere, inquiunt, ἐστὶ τῶν πολλῶν; hic est ex multis, id est infelix. *Idem.*

5 *Si tibi fueris.*] Si judicio tuo virum doctum te putaveris. *Catanæus.* Videtur tamen aliquid subaudiendum, sc. *id fiet*, vel saltem repetendum, *eniteris*, aut simile quid.

6 *In Ocriculano.*] Prædio. Ocriculani populi, si Plinio credimus, in Gallia togata. Ocriculam Strabo refert ad viam Flaminiam Ariminum versus: & Dionysius inquit: Ocricula civitas Tyrrhenorum, cujus gentile Ocriculanus tradenre Stephano. *Catan.*

7 *Narniensi.*] Prædio tuo. Est Narnia Ocriculo vicina civitas Sannitum, per quam Nar amnis labitur, unde etiam Narnia dicta, cum antea Nequinium vocaretur, colonia à Tito Flaminio adversus Umbros eo missa. auctores sunt Livius, Strabo, Plinius, & Stephanus, Martialis l. VII. & Claud. in laudibus Honorii asserentes, Narniam

in [1] Carsulano, in [2] Perusino tuo, in Narniensi vero etiam balineum, ex epistolis meis [nam jam tuis opus non est] una illa brevis & vetus sufficit. Non, me hercule, tam mea sunt, quae mea sunt, quam quæ tua: hoc tamen differunt, quod solicitius & intentius [3] tui me, quam mei excipiunt. Idem fortasse eveniet tibi, si quando in nostra diverteris: quod velim facias, primum ut perinde tu nostris rebus, ac nos tuis, perfruaris: deinde, ut mei expergiscantur aliquando, qui me secure, ac prope negligenter expectant. Nam [4] mitium dominorum apud servos ipsa consuetudine metus exolescit: novitatibus excitantur, probarique dominis per alios magis, [5] quam per ipsos laborant. *Vale*.

V. C. PLINIUS [6] VOCONIO ROMANO SUO S.

Mores subdolos M. Reguli causidici Voconio ostendit.

VIdistine quenquam [7] Marco Regulo timidiorem, humi-

niam in edito conditam, & in Narniensi agro siccitate lutum fieri. *Idem*.

1 *Carsulano.*] Carsulani, quos Strabo Casulos nominat, populi sunt, & ipsi parum à Narnia distantes. At Columella lib. IV. Carseolanum scribit: & ita in quibusdam Secundi codicibus legere memini. Nam & Ovidius Fast. IV. Carseolos oppidum fuisse testatur, qua via ab urbe in Pelignos itur. agrosque inibi frumento fertiles, oliveto steriles. Carseolanæ quoque vulpis fabellam recitat sed cum Carseolani sint juxta Marsos, illi vero in Umbria prope Nursiam, Carsulani legerim. *Catan.*

2 *Perusino.*] Tuo fundo. Perusia juxta Clusium civitas, illustrata Augusti obsidione adversus L. Antonium, M. Antonii fratrem. *Idem*.

3 *Tui.*] Servi domestici. *Idem*.

4 *Mitium.*] Nam si essent crudeles magis gliscceret. in secunda lectione vitium fuit. *Idem*.

5 *Quam per ipsos.*] Quam per dominos solertes ipsis se monstrando. Vel legas, *Quam per seipsos* scilicet servos: ut sit sensus, cupiunt magis apud dominos ab aliis laudari, quam ipsos facere laudanda à dominis. *Idem*.

6 *Voconio.*] Voconius erat Romanus equestri familia ex citeriore Hispania, Flamen Dialis, & Secundo contubernalis, ac orationum castigator: mira in sermone ipsoque vultu suavitate, adhæc fidelis, & jucundus, causidicus eruditus, cujus epistolas musæ dictare videbatur, sub Adriano interiit: & tumulo ejus, dum velut amicum, & poëtam imperator veneraretur, ita scripsit secundum Apulejum; *Lascivus versu, mente pudicus erat.* Fuit & Voconius Saxa, ad quem divos fratres rescripsisse testatur *Ulpianus*.

7 *M. Regulo.*] Hic captator testamentorum, ex paupere & tenui, ad maximas

humilioremque post [1] Domitiani mortem: sub quo non minora [2] flagitia commiserat, quam sub [3] Nerone, sed [4] tectiora. Cœpit vereri ne sibi irascerer: nec fallebatur, irascebar. [5] Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam [6] *Stoicorum simiam* appellat. Adjicit [7] Vitelliana cicatrice stigmosum. Agnoscis [8] eloquentiam Reguli. Lacerat [9] Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, ut dixerit ei [10] Metius Carus, [11] *Quid tibi cum meis mortuis?* Nun-

maximas opes per flagitia processerat: hujus loquentiam, & temeritatem sæpe mordet Secundus. *Catan.*

1 *Domitiani mortem.*] Fuit enim Regulus Domitiano acceptus, quia malus. *Idem.*

2 *Flagitia.*] Flagitium more militari dicitur res flagitatione, hoc est, increpatione digna. Nam flagitatio ad strepitum refertur, unde flammam & flagellum & flagitare [id est] personare intelligimus, author *Donatus.*

3 *Quam sub Nerone.*] Vide hac de re Tacitum prolixe. *Catan.*

4 *Tectiora.*] Secundum Imperatorum ingenium: sub Nerone in propatulo peccabat, sub Domitiano, malitiam dissimulabat. *Idem.*

5 *Rustici Aruleni.*] Adjuvit Rustici accusationem Regulus sub Domitiano, quod philosopharetur, & Thraseam laudasset, virumque sanctum dixisset: neque in ipsum modo auctorem, sed in libros quoque ejus sævitum est, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in foro urerentur. Hæc *Catanæus* ex Dione Græco & Tacito, apud quos adhuc plura.

6 *Stoicorum simiam.*] Sic Titianus appellatus est simia temporis sui quod omnia imitaretur: cum simia sit animal imitativum. *Catan.*

7 *Vitelliana, &c.*] Notatum cicatrice ex vulnere, quod tumultu Vitelliano acceperat. Victor namque Vitellius (ut scribit Tacitus) legatos pro concordia & pace suadenda ad duces Vespasiani misit, sed varia legatorum sors fuit: nam qui Petilio Cereali occurrerunt, extremum discrimen adiere, vulnerato prætore Aruleno Rustico, auxit invidiam super legati, prætorisque nomen, propria dignatio viri. [Sunt qui referant Vitellianam cicatricem ad mores, quod cum Vitellio conspirasset. M. Tullius de officiis, non stigmosum: sed stigmatiam, notis hominem compunctum dixit. *Idem.*]

8 *Eloquentiam.*] Ironice. nam erat vir malus dicendi imperitus. *Idem.*

9 *Herennium Senecionem.*] Hic in Bætica natus, & ibi Quæstor. Accusante Metio Caro, interficitur à Domitiano, quod nullum magistratum post Quæsturam longo tempore medio petiisset, quod Helvidii Prisci vitam composuisset, acceptis à Fannia uxore commentariis. *Idem.*

10 *Metius Carus.*] Cui videbatur Regulus exprobrare necem Senecionis, quem reum impietatis se fecisse testatur lib. VII. Secundus, & summum delatorem sub Domitiano, Juvenalis & Martialis.

11 *Quid tibi cum meis mortuis?*] Fuit mos antiquis secundum Aristophanem non accusare defunctos. sic Homerus lib. VII. Iliados, *nullum esse odium*

Nunquid ego aut [1] *Crasso aut Camerino molestus sum?* quos ille sub Nerone accusaverat. Hæc me Regulus dolenter tulisse credebat: ideoque etiam cum recitaret librum, [2] non adhibuerat. Præterea reminiscebatur quam capitaliter ipsum me apud [3] centumviros lacessisset. Aderam [4] Arrionillæ Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici: Regulus contra. Nitebamur nos in parte causæ sententia [5] Vectii Modesti optimi viri: is tunc in exilio erat à Domitiano relegatus. Ecce [6] ibi Regulus. *Quæro*, inquit, *Secunde: quid de Modesto sentias.* Vides quod periculum, [7] si respondissem bene: quod flagitium, si male. Non possum dicere aliud tunc mihi quam deos adfuisse. Respondebo, inquam, quid sentiam, si de hoc centumviri judicaturi sunt. Rursus ille, Quæro, quid de Modesto sentias. Iterum ego, [8] Solebant testes in reos, non in damnatos interrogari. Tertio ille, Non jam quid de Modesto, sed quid de pietate Modesti sentias, quæro. Quæris, inquam, quid sentiam? at ego ne interrogare quidem

odium cum hominibus vita functis. unde proverbium „ ἀσεβὲς ὅσιον φθιμένοισι λοιδορεῖν, impium defunctis conviciari. Vid. ad libr. VIII. plura.

1 *Crasso.*] Pisonis fratre, Regulo accusante, interfecto à Nereno *Catan.*

2 *Non adhibuerat.*] Non invitaverat me. *Idem.*

3 *Centumviros.*] Apud quos Secundus plurimum excelluit. solet enim arenam suam appellare. In causis centumviralibus, usucapionum, gentilitatum, agnationum, cæterarumque rerum innumerabilium causæ versabantur. Ante Secundum, & Tacitum, centumvirales causæ adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut nec Ciceronis, nec Cæsaris, nec ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii pro hæredibus Liburniæ. *Idem.*

4 *Arrionillæ Timonis.*] Neque Arrionillæ mentio, neque Timonis apud ullum scriptorum, qui fuerint illa tempestate, mihi occurrit. *Idem.* Alia lectio omisso altero *r* habet *Arionillæ.*

5 *Vectii Modesti.*] Quidam legunt *Metii Modesti*, & sic in iis, quæ sequuntur legitur. Modestum præfectum Ægyptii tradit Suidas, & Modesti acumen circa difficilia poëtarum commendat: Vectii declamatoris meminit Juvenalis, & Julium Modestum recenset Gellius. *Cat.*

6 *Ibi.*] Melius ut more Plautino legatur *ecce tibi:* quo dicendi genere Cicero etiam lib. III. Offic. utitur: & in epistolis ad Attic. *Idem.*

7 *Si respondissem bene.*] Si dixissem me bene sentire de Modesto exule: verum si male respondissem, magnam infamiam mihi inussissem. *Idem.*

8 *Solebant.*] Apud justos judices: ut tacite ostenderet temporibus Domitiani solere testes etiam in damnatos injuste produci. *Idem.*

1 *Pro*

dem fas puto de quo [1] pronunciatum eſt. Conticuit. me laus, & gratulatio ſecuta eſt, quod nec famam meam aliquo reſponſo utili fortaſſe, inhoneſto tamen læſeram, nec me laqueis tam inſidioſæ interrogationis involveram. Nunc ergo [2] conſcientia exterritus apprehendit [3] Cæcilium Celerem, mox [4] Fabium Juſtum rogat, ut me ſibi reconcilient: nec contentus pervenit ad [5] Spurinam. Huic ſuppliciter (ut eſt, cum timet abjectiſſimus) Rogo, inquit, mane videas Plinium domi, ſed plane mane. (neque enim diutius ferre ſolicitudinem poſſum) & quoquo modo efficias, ne mihi irraſcatur. Evigilaveram. Nuncius Spurina; Venio ad te: [6] Immo ego ad te. Coimus [7] in porticum Liviæ, cum alter ad alterum tenderemus. Exponit Reguli mandata, addit preces ſuas, ut decebat optimum virum pro diſſimillimo: Parce [8] inquiens. Cui

ego,

1 *Pronunciatum.*] Judicatum, nam pronunciare ii dicuntur, qui habent jus cognoſcendi. Ulpianus de rerum ſignific. Promiſcue & pronunciaſſe, & ſtatuiſſe ſolemus dicere eos, qui jus habent dicendi, vel cognoſcendi. Alias M. Tullius pronunciatum vocat axioma. Interdum pronunciare abſolute pro dicere. *Catan.*

2 *Conſcientia.*] Exterritus Regulus: nam mali quodam latenti cruciatu ſemper flagellantur. unde Satyricum illud,

—— Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putas, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit, &c. Idem.

3 *Cæcilium Celerem.*] Gentilem Secundo: ambiguum an is ſit, quem Martialis lib. VII. fuiſſe teſtatur in Hiſpania, cum imperio. *Idem.*

4 *Juſtum Fabium.*] Cui Tacitus Opus de cauſis corruptæ eloquentiæ inſcripſit, & Secundus interdum literas mittit. *Idem.*

5 *Spurinam.*] Veſtricius Spurina vir rebus geſtis præclarus, ejus vitam per epiſtolam paucis abſolvit Secundus libro tertio: vixit ad multum ætatis cum uxore Coccia, ſed filium Coccium admodum juvenem amiſit, in cujus laudem Secundus quædam compoſuit. *Idem.* [illegible]

6 *Immo ego ad te.*] Inquit Secundus, venio, nam dignior erat Veſtricius. *Idem.*

7 *In porticum Liviæ.*] Porticum Liviæ in tertia regione urbis, juxta caſtra Miſenatium non procul à Suburra, & via ſacra, ubi domus C. Cæſaris erat, conſtruxit Auguſtus tradente Dione, demolita Ovidii Pollionis liberti crudeliſſimi ſimul, & ditiſſimi domo ſibi teſtamento relicta, in quam nomen Liviæ uxoris inſcripſit. Hinc Ovid. in Faſtis,

Diſce tamen veniens ætas, ubi Livia nunc eſt
Porticus! ——

authores ſunt Plinius ſenior, Tranquillus, & Victor. *Catan. & Sabell.*

8 *Inquiens.*] Probo, ait *Iſ. Caſaubonus*, alteram lectionem, quæ non agnoſcit vocem *inquiens*. Parce eſt

[illegible]

ego, [1] Dispicies ipse quid renunciandum Regulo putes, te decipi à me non oportet. Expecto [2] Mauricum (nondum enim ab exilio venerat) ideo nihil alterutram in partem respondere tibi possum, facturus quicquid ille decreverit. Illum enim esse hujus consilii ducem, me comitem decet. Paucos post dies ipse me Regulus convenit in [3] prætoris officio. Illuc me persecutus [4] secretum petit. ait timere se, ne animo meo penitus [5] hæreret, quod in Centumvirali judicio aliquando dixisset, cum respondet mihi & [6] Satrio Rufo, [7] *Satrius Rufus, cui est cum Cicerone æmulatio: & qui contentus non est eloquentia seculi nostri.* Respondi, nunc me intelligere maligne dictum, quia ipse confiteretur: cæterum potuisse honorificum existimari. Est [8] enim inquam mihi cum Cicerone æmulatio: nec [9] sum contentus eloquentia seculi nostri. Nam stultissimum

πεφεισμένως & moderatè cauteque, non φειδῶ aut συγχέωσι, quod qui non animadvertebant, locum corruperunt. Sic *Casaub.*

1 *Dispicies.*] Cognosces. sic libro tertio idem, & Justinianus utuntur. Servius & Donatus dispicere dicunt esse disquirere consilium. *Catan.*

2 *Mauricum.*] Junium Mauricum Rustici Aruleni fratrem, virum gravem, & constantem, qui Nervæ Catullum Messalinum sævissimum Senatorem quod foveret, exprobravit. Apud Tac. & Secundum, scriptum indifferenter offendi Maricum & Mauricum. Martialis Mauricorum æquitatem laudat. *Idem.*

3 *In prætoris officio.*] In prætorio, ubi prætor officium suum exercet: vel, apud prætorem, quo conveneram officii causa. *Idem.* Male qui legunt in *prætoris judicio.* Nam officium in hoc auctore, Suetonio, Juvenale & aliis, est id genus, quam Græci recentiores τὸ δεξιοῦσθαι vocant, cum honoris causa præsentiam nostram alicui commodamus. *Is. Casaub.*

4 *Secretum petit.*] Quærit mecum secreto loqui: quo dicendi genere Suetonius interdum utitur. *Catan.*

5 *Penitus hæreret.*] Valde in eum irascerer. Hærere animo dicuntur maledicta, ac injuriæ: quando à memoria nunquam recedunt. *Idem.*

6 *Satrio Rufo.*] advocato: quem lib. VIII. commemorat pro Publico Certo quædam dixisse in Senatu ambigua: & aquis publicis præfectum testatur *Julius Frontinus.*

7 *Satrius Rufus, cui est, &c.*] Scribendum *Satrius Rufus, & cui est.* Is. Casaub. In monumentis Mediolani testatur *Catan.* se legisse L. Satrium.

8 *Enim.*] At. sic Terentius, Enim non sinam: pro at non sinam, & Diomedes, inquit, enim esse interjectionem cum intentius aliquid demonstramus: ex quibus apparet non semper reddere causam. *Catan.*

9 *Non contentus eloquentia nostri seculi.*] Ironice dictum. Erant seculi Plinii oratores in eloquentia minores, quam ante: quod Tacitus luculenter differit de causis corruptæ eloquentiæ. *Idem.*

1 Nam

tissimum credo, ad imitandum [1] non optima quæque proponere. Sed tu, qui hujus judicii meministi, cur illius oblitus es, in quo me interrogasti, quid de Metii Modesti pietate sentirem? Expalluit notabiliter: quamvis [2] palleat semper. Hæsitabundus, Interrogavi, non ut tibi nocerem, sed ut Modesto. Vide hominis crudelitatem: qui se non dissimulet exuli nocere voluisse. Subjunxit egregiam causam. Scripsit, inquit, in epistola quadam, quæ apud Domitianum recitata est, Regulus omnium [3] bipedum nequissimus. Quod quidem Modestus verissime scripserat. Hic fere nobis sermonis terminus. Neque enim volui progredi longius: ut mihi omnia libera servarem, dum Mauricus venit. Nec me præterit esse Regulum [4] δυσκαθαίρετον. Est enim locuples, [5] factiosus; curatur à multis, timetur à pluribus: quod plerumque [6] fortius amore est. Potest tamen fieri, ut hæc concussa labantur. nam gratia malorum tam infida est, quam ipsi. Verum, ut idem sæpius dicam, expecto Mauricum. Vir est gravis, prudens, multis experimentis [7] eruditus, & qui futura possit ex præteritis providere. Mihi & tentendi aliquid, & quiescendi illo authore [8] ratio constabit.

Hæc

1 *Non optima quæque proponere.*] Secutus est judicium præceptoris Quintiliani in Institutionibus: prius tamen hoc scripserat Seneca, & ante eum M. Tullius de oratore libro secundo, *Quæ*, inquit, *maxime excellunt*, *imitanda sunt*. Cat.

2 *Palleat semper.*] Sic libro sexto de eodem. Pallor est malorum morum index, rubor bonorum. *Idem.*

3 *Bipedum nequissimus.*] Satis modeste Modestus: at M. Tullius pro domo sua asperius. *Hoc ministro*, inquit, *omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum nequissimo Rempub. perdidisti.*

4 Δυσκαθαίρετον.] Difficilem ad subvertendum. alii legunt ἀκαταπάλαιστον, ineluctabilem. *Catan.* Hoc plus est, juxta. *Steph.* At, αὐθαίρετον plane alienam ab hoc loco significationem habet. *Idem.* Quamvis sic legant alii. *Boxhorn.*

5 *Factiosus.*] Discordiarum fautor. Factio enim pro divisione civium in malum legitur apud Livium & Tacitum. *Catan.*

6 *Fortius.*] Sensus est, interdum timore majora obsequia præstantur, quam amore. *Idem.*

7 *Eruditus.*] Est eruditio multarum rerum exculta cognitio: & quanquam de literis sæpius dicatur, ut Tranquillus in Caligula, tamen & de rebus aliis. Plin. libro XI. de araneis, Erudita operatione conspicuum. *Idem.*

8 *Ratio constabit.*] Erit legitima caussa. Constat enim ratio, quando legitima

Hæc tibi scripsi, quia æquum erat, te pro amore mutuo, non solum omnia mea facta dictaque, verumetiam consilia cognoscere. *Vale.*

VI. C. PLIN. CORN. TACITO SUO S.

Tacitum monet, ipsum in silvis exemplo suo posse & studere & venari commode.

RIdebis, & licet rideas. Ego [1] Plinius ille, quem nosti, apros treis, & quidem pulcherrimos, cepi. Ipse, inquis? [2] Ipse, non tamen ut omnino [3] ab inertia mea, & quiete discederem. Ad retia sedebam. Erant in proximo non [4] venabulum, aut [5] lancea, sed stylus & [6] pugillares. Meditabar [7] aliquid, enotabamque: ut si manus

tima reddi potest. [Valerius, Libera litatis duo maxime probabiles fontes, verum judicium, & honesta benevolentia; nam cum ab his oritur, tunc demum ejus ratio constat.] Quod dicendi genus frequens est apud Secundum. *Catan.*

1 *Plinius.*] Per bene præstantissimi judicii vir *Gruterus* noster vocem *Plinius* resipere glossam librarii autumat. Non enim exstat nec in codice nostro scripto, nec in editione Bononiensi Beroaldi. *Barth.*

2 *Ipse.*] Inquam, Plinius, venatus sum, Alii sic conjungunt. ipse non, scilicet cepi. & tunc inertia & quiete accipietur pro cameraria sedentatione, cum studiosi homines sint genus ignavum, quod tecto gaudet & umbra. *Catan.*

3 *Ab inertia mea, &c.*] Id est, studiis, quæ inter venandum tractavit. Vid. Epist. 19. lib. v. & lib. IX. ep. 36. *Buchn.*

4 *Venabulum.*] Telum ad venandum. hinc Martialis:

Excipient apros, expectabuntque leones:
Intrabunt ursos, sit modo firma manus.

5 *Lancea.*] Hispanicum verbum est, referente Gellio longius telum. Græci vocant λόγχην. *Catan.* λόγχην græci *fortem* quoque dicunt, & sic est ex λαγχάνω vid. *Hesych. Eustath. & Gloss. Cyr.* quæ tamen radix hujus significatus non videtur esse. *Martinio* in Cadmo videtur à Germanico lang vel Latino *longus* esse.

6 *Pugillares.*] Tabulæ de ligno sive alia materia ceratæ: dicti à pugno videntur, quod eo contineri possent, de quibus Martialis:

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

sed Gellii verba hæc clarius exprimunt, *Asdrubal*, inquit, *epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondit: pugillaria nova nondum etiam cera illita accepit, literas in lignum incidit, postea tabulas, uti solitum est, cera collivit.* Plinius ex Homero asserit pugillarium usum fuisse ante Trojana tempora. Ex præcedentibus colligitur dici pugillares & pugillaria numero plurium. *Catanæus.*

7 *Aliquid.*] Vox *aliquid* non est in libro. In edit. cæsca: *aliqua.* quia mutat in editis. Ego in eum sensum inclino, ut scripti libri ope furcillandam in malam omnino rem arbitrer. Præcipue cum ita absolute *enotandi verbo* *solem utatur Plinius.* Barth.

[1] manus vacuas; plenas tamen ceras reportarem. Non est, quod contemnas hoc studendi genus. Mirum est, ut animus hac agitatione, motuque corporis excitetur. [2] Jam undique sylvæ, & solitudo: ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde, cum venabere licebit authore me, ut [3] panarium & [4] lagunculam sic etiam pugillares feras. Experieris non [5] Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare. *Vale.*

VII. C. Plinius Octavio Rufo Suo S.

Roganti Octavio, ut vellet adesse Gallo contra Bæticos, pollicetur saltem ab advocatione Bæticorum se destiturum, quos etiam cum suo periculo sæpe juvisset: in fine petit sibi fieri copiam carminum, quæ Octavius componebat.

VIde, in quo me fastigio collocaris, cum mihi idem potestatis, idemque regni dederis, quod Hom. Jovi Opt. Max. [6] *Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.* Nam

1 *Manus vacuas.*] Alludit ad locum Virg. in Bucol.

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

Batth.

2 *Jam.*] Valet quod *præterea*, sic Tacit. *jam opes tot victoriis quæsitæ.* Cat. Cæterum ab hac Plinii suasione multum recessit *Quint.* lib. x. cap. 3. Cujus institutionem Tacitus observans, epistolam rescripsit, non posse simul Dianæ & Minervæ operam dare.

3 *Panarium.*] Panis receptaculum, ut granarium grani. *Catan.*

4 *Lagunculam.*] Diminutivum à lagena, quæ tumorem in medio extendit secundum Juvenalem. Græci *λάγυνον* vocant per tria genera indiscrete, ut Athenæus in suis cœnis notat. *Idem.* Scribunt & *λάγυνος* ex *λαγὼν*, non ex *λα*, & *γυιὼν*, estque mensura capiens Atticas cotylas XII. hinc est *λαγυνάρχης*, qui lagenis præest, & *τὰ λαγυνοφόρια*, festa in quibus *τὰ κομισθέντα ἕκαστος δειπνοῦσι, κατακλιθέντες ἐπὶ στιβάδων καὶ ἐξ ἰδίας ἕκαστος λαγύνου πίνουσιν.*

5 *Dianam.*] Venationis deam. *Cat.*

6 *Τῷ δ' ἕτερον.*] Huic autem alterum quidem pater (Jupiter *Steph.*) dedit, alterum vero renuit. carmen ex *π* vel sextodecimo Iliados: ubi Achilles precatur Iovem ut Patroclus pugnaturus à navibus pugnam removeret, & ad se incolumis rediret: cui prius Iupitur concessit, ut rediret incolumis, non dedit. Hoc carmen imitatus & ex parte interpretatus est Virgilius lib. XI.

Nam ego quoque ſimili nutu ac renutu, reſpondere voto tuo poſſum. Etenim ſicut fas eſt mihi, præſertim te exigente, excuſare [1] Bæticis contra unum hominem advocationem: ita nec fidei noſtræ, nec conſtantiæ, quam diligis, convenit adeſſe contra [2] provinciam, quam [3] tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando devinxerim. Tenebo ergo hoc temperamentum, ut ex duobus, quorum [4] alterutrum petis, eligam id potius, in quo non ſolum ſtudio tuo, verum etiam judicio ſatisfaciam. Neque enim tantopere mihi conſiderandum eſt, quid vir optimus [5] in præſentia velis, quam quid ſemper ſis probaturus. Me circa idus Octobreis ſpero Romæ futurum: eademque hæc præſentem quoque tua meaque fide [6] Gallo confirmaturum: cui tamen [7] jam nunc licet ſpondeas de animo meo, [8] Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. Cur enim non [9] uſquequaque Homericis verſibus agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris: quorum tanta cupiditate ardeo, ut videar mihi hac ſola mercede poſſe corrumpi, ut vel contra Bæticos adſim. Pene præte-

Audiit & voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.

Et Stratonicus citharœdus in remi ſuam aliter τὸ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε, hoc eſt, male quidem pulſare dedit, bene autem cantare renuit: *Athenæus.*

1 *Bæticis.*] Hiſpanis à flumine Bæti defluente à monte Caſtaone: qui naturam oceani erga fluxum refluxumque imitatur. Lege plura apud Philoſtratum. Bætica eſt pars Hiſpaniæ. *Cat.*

2 *Provinciam.*] Sc. Bæticam. *Idem.*

3 *Tot officiis.*] Non ſemel enim pro Bæticis egit, ut adverſum Cæcilium Claſſicum: in qua cauſa magnos labores paſſus eſt, ut adverſum Bebium Maſſam, ubi fere periclitatus eſt. *Cat.* Simili ratione Cicero adeſſe Cæcilio contra Satyrum noluit. Vid. lib. I. ad Attic. ep. I. *Buchn.*

4 *Alterutrum.*] Alterum legit *Boxhornius.*

5 *In præſentia.*] Et impræſentiatum, auctores indiſcrete utuntur. Ulp. fere ſemper impræſentiarum, ſic Apulejus in Floridis. Alii interdum in præſens, ac in præſente, & ad præſens, contenderim impræſentiarum legi debere conjunctim. *Catan.*

6 *Gallo.*] Aquilium Gallum fuiſſe Juriſconſultum teſtantur Scævola & Florent. *Idem.*

7 *Jam nunc.*] Nunc jam. *Boxhorn.*

8 Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ', *&c.*] Dixit, & cæruleis ſuperciliis annuit Saturnius. verſus ex primo Iliad. & libro XVII. ejuſdem repetitus. *Catan.* ubi ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε pro ἐπινεῦσε ὀφρύσι dictum eſt. *Steph.*

9 *Uſquequaque.*] Semper. Sic idem lib. VII. & Columella, & Cic. *Cat.*

terii, quod minime prætereundum fuit, accepisse me [1] cariotas optimas, quæ nunc cum ficis & [2] boletis [3] certandum habent. *Vale.*

VIII. C. PLINIUS [4] POMPEIO SATURNINO SUO S.

Mittit Pompeio orationem, quam apud municipes suos habuerat, dedicaturus ibidem bibliothecam, & annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicitus: excusat quod in ea majores suos, & se laudet; denique Pompeio defert, ut de editione pro illius arbitrio sit facturus.

PEropportune mihi redditæ sunt literæ tuæ, quibus flagitabas, ut tibi aliquid ex scriptis meis mitterem, cum ego idipsum destinassem. Addidisti ergo [5] calcaria sponte currenti, pariterque & tibi veniam recusandi laboris;

1 *Cariotas.*] Palmæ fructus. Scribit Plin. sua tempestate celebratas fuisse in cibo, cum succo uberrimæ sint. ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti, unde etiam pomo nomen est à capite: verum nobilitas in Hierecunte Judææ. Sunt & succo pingui lactentes, quodamque vini sapore in melle prædulci. Diodorus in interiore Syria fieri Cariotas aliis excellentiores tum dulcedine, tum magnitudine, ac humore, testatur: his majores multo Arabia fert ac Babylonia, quarum magnitudo est sex digitorum. colore sunt quædam subæræo, nonnullæ puniceo: aliæ porphyreo aspectu, amœnæ & suaves gustu. Deaurari solitas, & Calendis Januariis mitti, tradit Martialis. *Catan.* Careotas legit *Boxhorn.*

2 *Boletis.*] Quanti fecerit *boletos* antiquitas, Martial. notat in distichis, asserens, facilius donare Romanos aurum & argentum, quam boletos. & Juvenalis, *boletos* lautissimum ciborum regi & domino apponi pulsat. Plin. *Boletos* suillosque gulæ novissima irritamenta vocat. *Catan.*

3 *Certandum.*] Alia lectio habet *certamen*, ut Catan. Sed nihil erat causæ, cur hac lectione viri docti offenderentur: qui profecto non meminerant, dixisse Plinium ep seq. *cum enitendum haberemus*, Et lib. VIII. *quæ facienda ipsi ac pervices quasdam tradenda minoribus haberemus.* Casaub.

4 *Pompejo Saturnino.*] Fuit hic acer caussidicus, sive ex tempore, sive meditata proferret: tum prosa, tum versu clarus: in orationibus & historia mirabilis. Alterius Saturnini historici meminit Tranquil. Saturninum nominat Lucianus, & Q. Saturninum jurisconsultum Pomponius citat. Ille igitur Pompejus Saturninus moriens Secundum reliquit hæredem. *Catanæus.*

5 *Calcaria.*] Translatio ab equo, id est, jam paratum ad id magis incitasti. Ovid.

Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus.

Idem.

1 *Eo.*]

ris, & mihi exigendi verecundiam sustulisti. Nam nec me timide uti decet [1] eo quod oblatum est; nec te gravari quod depoposcisti. [2] Non est tamen quod ad homine [3] desidioso aliquid novi operis expectes. petiturus sum enim, ut rursus vaces [4] sermoni, quem apud [5] municipes meos habui, bibliothecam [6] dedicaturus. Memini quidem te jam quædam adnotasse; sed generaliter: ideo nunc rogo, ut non tantum [7] universitati ejus attendas, verumetiam particulas qua soles lima persequaris. Erit enim & post emendationem liberum nobis, vel publicare vel continere. Quinimo fortasse hanc ipsam [8] cunctationem nostram in alterutram sententiam emendationis ratio deducet:

1 *Eo.*] Opera tua in corrigendis meis libellis, quam tu ultro mihi obtulisti. *Catan.*

2 *Non.*] *Nec.* Jenens. & Boxhornius.

3 *Desidioso.*] Semper de se parce loquitur, extenuando facultatem, & se desidem appellando. *Cat.*

4 *Sermoni.*] Orationi: an ideo sermonem appellavit, quia secundum Porphyrionem ad præsentes dicitur, an quod oratio illa esset remissa, & finitima quotidianæ locutioni? Nam præter M. T. testimonium, Seneca tradit sermonem esse *orationem voce demissa, & tenui figura prolatam.* Accedit authoritas Fabii scribentis, parum admodum sermonem ab oratione differre. Servius inquit, *Sermo est consertio orationis, & confabulatio duorum, vel plurium, à serendo dictus.* Antisthenes apud Diogenem primus ita diffinivit, *Sermo est qui quid sit aut fuerit, exprimit.* Idem.

5 *Municipes.*] Novocomenses. sunt Municipes cives Romani in oppidis municipalibus suo jure, & suis legibus utentes, muneris tantum honorarii cum populo Rom. participes, à quo munere capessendo appellari videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populo Romano lege astricti. Satis constat municipium fuisse in meliori conditione, quam coloniam. Hæc *Gellius.* Ulp. Jurisc. Proprie quidem municipes appellantur muneris participes recepti in civitate, ut munera nobiscum facerent: sed nunc abusive dicimus municipes suæ cujusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos, sic JCti. Nisi in quantum Paulus apertius videtur vocabulum interpretari de significatione verborum, *Municipes*, inquit, *dicti, quod munera civilia capiant.* Siculus Flaccus, *Municipia*, inquit, *quidam putant, à munitionibus dicta, alii à munificentia: eo quod munificæ essent civitates.* Festus tres municipiorum species facit, sed authorem satis est indicasse. *Idem.*

6 *Dedicaturus.*] Assignaturus titulo, & Pomponio tradente, quasi dicendo deserturus. Nam etiam nunc Mediolani est videre in tabula licet confracta, Plin. in tutelam bibliothecæ quædam sestertia contulisse. Ostendit libro XXXV. Plin. consuevisse Romanos, bibliothecas, id est librorum repositoria, quas Latinorum aliqui librarias vocant, consecrare. *Idem.*

7 *Universitati.*] Argumento, [toti operis summæ.] *Idem.*

8 *Cunctationem.*] Edendi moram. *Idem.*

cet: quæ aut indignum editione, dum ſæpius retractat, inveniet: aut dignum, dum idipſum experitur, efficiet. Quanquam hujus cunctationis meæ cauſæ non tam in ſcriptis quam in ipſo [1] materiæ genere conſiſtunt. Eſt enim paulo quaſi gloriosius & [2] elatius. Onerabit hoc modeſtiam noſtram, etiamſi ſtilus ipſe [3] fuerit [4] preſſus demiſſuſque; propterea quod cogimur, cum de munificentia [5] parentum noſtrorum, tum de noſtra diſputare. [6] Anceps hic & [7] lubricus locus eſt, [8] etiam cum illi neceſſitas [9] lenocinetur. ~~Etenim ſi alienæ quoque~~ laudes parum æquis auribus accipi ſolent, quam difficile eſt obtinere, ne moleſta videatur oratio de ſe aut de ſuis diſſerentis? N~~am cum ipſi [10] honeſtati, tum aliquanto m~~agis gloriæ ejus prædicationique invidemus: atque ea demum recte facta minus detorquemus & carpimus, quæ in obſcuritate & ſilentio reponuntur. [11] Qua ex cauſa ſæpe [12] mecum,

1 *Materia.*] Senſu rerum. *Cat.*

2 *Elatius.*] Jactantius. Legimus etiam latius, & in aliquibus exemplaribus lautius, id eſt uberius, ut quod digrediatur. Placet prima lectio. *Idem.*

3 *Fuerit.*] *Fuerat.* Boxhorn.

4 *Preſſus.*] In tenui figura. quare potius ſermonem quam orationem appellavit. *Cat.*

5 *Parentum.*] Majorum, qui uſi fuerant liberalitate erga patriam Comum: ex quibus apparet non ſolum Cæcilium fuiſſe Comenſem, ſed etiam majores ſuos. *Idem.*

6 *Anceps locus.*] Dubius, anceps enim pro mortifero & periculo proximo Plinius ſenior uſurpat. *Voluptas*, inquit, *tanta ancipitis cibi.* & Livius, *Quia revocare, aut vi retinere eos anceps erat:* & Virg. *ferrum anceps.* quod grammatici interpretantur utrinque acutum. *Idem.*

7 *Lubricus.*] Qui facile ad malum flecti poteſt. *Idem.*

8 *Etiam.*] Alibi conſentientis adverbium, quandoque pro adhuc & præterea. *Idem.* utrumque apud Ter. in Andr.

9 *Lenocinetur.*] Blandiatur. tranſlatum à lenonibus. *Catan.*

10 *Honeſtati.*] Invidemus honeſtis viris, ſed præcipue eorum gloriæ & laudi: quæ vero bene geſta latent, & à nullo prædicantur, minus reprehendimus. *Idem.*

11 *Qua ex cauſa.*] Scripti Palatini lectionem habes ex *J. Grutero*: in noſtro codice ne apex quidem unus mutatus à vulgata ſcriptura habetur. Et ſane videtur diſtinctione omne negotium belle poſſe componi: Lege, *Qua ex cauſa ſæpe ipſe mecum, nobiſne tantum, quicquid illud eſt, compoſuiſſe; an & aliis debeamus? Ut nobis, admonet iſtud quoque, quod pleraque, &c.* in omni nodo abſolutum videbis, quiſquis inſpicere non noles, in quo hæſit vir ſummæ in inveniendo & judicando dexteritatis. *Barth.*

12 *Mecum.*] Addunt alii *tractari.* Boxhorn.

1 *Agen-*

cum, nobiſne tantum quicquid illuſt eſt, compoſuiſſe, an & aliis debeamus ut nobis? Admonet iſtud quoque, quod pleraque quæ ſunt [1] agendæ rei neceſſaria, eadem peracta, nec utilitatem parem, nec gratiam retinent. Ac, ne longius exempla repetamus, quid utilius fuit, quam munificentiæ rationem etiam ſtilo proſequi? Per hoc enim aſſequebamur, primum, ut [2] honeſtis cogitationibus immoraremur: deinde, ut pulchritudinem illarum longiore [3] tractu [4] perspideremus: poſtremo ut ſubitæ [5] largitionis comitem pœnitentiam caveremus. Naſcebatur ex his exercitatio quædam contemnendæ pecuniæ. Nam cum omnes homines ad cuſtodiam ejus [6] natura reſtrinxerit, nos contra multum ac diu penſitatus amor liberalitatis communibus avaritiæ vinculis eximebat: tantoque laudabilior munificentia noſtra fore videbatur, quod ad illam non impetu quodam, ſed conſilio trahebamur. Accedebat his cauſis, quod non [7] ludos aut [8] gladiatores, ſed [9] annuos ſumptus in alimenta [10] ingenuorum

1 *Agenda rei neceſſaria.*] Dum rem agimus, neceſſaria ſunt, ſicut commendare liberalitatem ſuam, & majorum. *Catan.*

2 *Honeſtis cogitationibus.*] Munificentiæ laudibus. *Idem.*

3 *Tractu.*] Placet ſic magis, quam *tractatu*, nam præter fidem exemplarium ipſe ad Capitonem de oratione; inquit: *Illa tractu placet.* & M. T. de Oratore, *tractum verborum* in Antonio laudat. Tacitus, *tractum belli* pro mora & productione. *Idem.*

4 *Perspideremus.*] Alii *provideremus*, vel *produceremus.* Boxhorn.

5 *Largitionis.*] Liberalitatis. improprie uſus. Nam largitio eſt nimia & immoderata pecuniarum profuſio: & alii ſic uſurpant. *Cat.*

6 *Natura reſtrinxerit.*] Pecuniarum avidi ſumus à natura. Vide de avaritia Senecam in epiſtolis. *Avarus* autem is dicitur apud Nigid. qui eſt avidus æris; de qua re conſ. *A. Gell. in Noct. Attic. lib. x. cap. 5.*

7 *Ludos.*] Qui evaneſcunt, non relicto aliquo utilitatis in poſterum exemplo, *ſeu* ſpectacula: erant enim ludorum genera. *Catan.*

8 *Gladiatores.*] Quos in funeribus illuſtrium dari populo notum, & poſt cœnam interdum, referente Athenæo, qui ex authoritate Hermippi aſſerit, Mantinenſes inveniſſe gladiatores, Demea oſtendente, qui in urbe primum Brutum in honorem patris defuncti, ſed Valerium in foro boario primum munus dediſſe teſtatur. *Idem.*

9 *Annuos ſumptus.*] Ut ex reditu agri, (quem actori publico emancipaverat, & impoſito vectigali conduxerat,) pueri pauperes ingenui alerentur & educarentur. meminit hujus rei latius lib. VII. ad Caninium. *Idem.*

10 *Ingenuorum.*] Ingenui qui, & qui ab iis

genuorum pollicebamur. Oculorum [1] porro & aurium voluptates adeo non egent commendatione, ut non tam incitari debeant oratione, quam reprimi. Ut vero aliquis libenter educationis tædium, laboremque suscipiat, non præmiis modo, verum etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est. Nam si medici salubres, sed [2] voluptate carentes, cibos blandioribus alloquiis prosequuntur: quanto magis decuit publice consulentem utilissimum munus, sed [3] non perinde populare, comitate orationis [4] inducere? Præsertim cum enitendum haberemus, ut quod [5] parentibus [6] dabatur, etiam nobis probaretur, honoremque paucorum cæteri patienter [7] & spectarent & [8] mirarentur. Sed ut tunc communibus magis commodis quam privatæ jactantiæ studebamus, cum intentionem effectumque muneris nostri vellemus intelligi: ita nunc in ratione edendi veremur, ne forte non aliorum utilitatibus, sed propriæ laudi servisse videamur. Præterea meminimus [9] quanto majore animo honestatis fru-

ab iis libertini adoptentur, vid. *A. Gell. Noct. Attic. lib.* v. *c.* 19.

1 *Porro.*] Præterea: ut apud Terent. in Hecyra. aliis affirmantis adverbium. significat etiam minus, interdum postea; quandoque temporis adverbium: alias expletiva, nonnunquam procul: alias hortantis. Exempla sumes à Teront. & Virg. *Cat.*

2 *Voluptate carentes.*] Alii *voluptatis parum habentes.* Boxhorn.

3 *Non perinde pop.*] Non multum vel æque populo gratum: nam perinde multum significat. & æque Tranquillus, *Quare adventus ejus non perinde gratus fuit.* Catan.

4 *Inducere.*] Instituere, persuadere per inductionem, quæ, secundum rhetores, est oratio de rebus non dubiis captans assensionem ejus rei quæ instituta est. *Idem.*

5 *Parentibus dab.*] Quod in laudem majorum meorum dissertabam, & nobis præpararetur, qui eramus apud posteros gloriam ex hoc munere consecuturi. In alia lectione est, *dabatur etiam orbis probaretur.* ut intelligatur, hoc munus parentibus oblatum, & ideo ab illis probandum esse: ab his expectandum, donec filios susciperent. *Idem.*

6 *Dabatur, etiam nobis probaretur.*] *Datur & orbis probaretur.* Boxh.

7 *Et spectarent.*] *Exspectarent* legit *Idem.*

8 *Mirarentur.*] Legitur & *imitarentur*, etiam *mererentur.* Catan. Posterius sequitur quoque *Boxhorn.*

9 *Quanto majore animo.*] Esse indicium excellentioris animi, contentos esse potius sua conscientia pro benefactis, quam laude. Sic Secundus Aristonem commendans, *Ornat hæc,* inquit, *magnitudo animi: qua nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert; recteque facti non ex populi sermone*

mer-

fructus in conſcientia, quam in fama reponatur. [1] Sequi enim gloria, non appeti debet: nec, ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quod [2] gloriam non meruit, minus pulchrum eſt. Ii vero qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, ſed ut prædicarent [3] feciſſe creduntur. Sic, quod magnificum referente alio fuiſſet, ipſo qui geſſerat recenſente, vaneſcit. Homines enim, cum rem deſtruere non poſſunt, jactatione ejus [4] inceſſunt: ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum: ſi laudanda, quod non ſileas ipſe, [5] culpatur. Me vero peculiaris quædam impedit ratio: etenim hunc ipſum ſermonem non apud populum, ſed apud [6] Decuriones habui, nec in propatulo, ſed in curia. Vereor ergo ne ſit ſatis congruens, cum in dicendo aſſentationem vulgi [7] acclamationemque deſu-

mercedem, ſed ex facto petit. Videtur Plinius imitatus fuiſſe Tullium in Philippicis, *Satis*, inquit, *in ipſa conſcientia pulcherrimi facti fructus erat.* & in Tuſculanis. *Quinetiam, &c.* Catan.

1 *Sequi.*] Per ſe comitari. *nam etſi* (ut idem refert Cicero) *nihil in ſe habeat gloria cur expetatur, tamen virtutem tanquam umbra ſequitur.* Idem.

2 *Gloriam non meruit.*] Hæc vera eſt lectio, nam quod negationem quidam non agnoſcunt, illi vero fruſtra ſunt, *meruit* eſt ἔτυχε. Senſus eſt: Præclara facta etiamſi laudatores non inveniant, non ideo minus eſſe pulchra. Verbum *mereri* non ſemper ἀξιῶσαι ſignificare, ſed τυχεῖν & factum notare, non jus, notius eſt, quam ut probatione egeat. *Iſ. Caſaub.*

3 *Feciſſe.*] Secus laudat Trajanum in panegyrica oratione: Non ideo dixit viciſſe videaris ut triumphares, ſed triumphare, quia viceris. *Catan.*

4 *Inceſſunt.*] Infamant, (vellicant,) invehuntur. *Idem.*

5 *Culpatur.*] Sic præter alios MS. etiam Palatinus; magis coacte hactenus: *ipſe culparis.* At apertior exit ſententia repetito bis illo *culpatur.* Gruterus.

6 *Decuriones.*] Senatores in municipiis, in quibus idem erat decurio, qui Romæ ſenator, quod in ſenatu & conciliis municipalibus intereſſe poterat, ſi habuiſſet cenſum centum millium nummum. & decuriones quidam dictos ajunt ex eo, quod in initio coloniæ cum deducerentur, decima pars eorum qui deducerentur, concilii publici gratia conſcribi ſolita ſit. Porro decurio ordo in militia, & qui ſuam quiſque curiam tuebatur, decurionem appellatum Dionyſ. aſſerit. decuriones quinquennales Apul. uſurpat pro ſacerdotibus Iſidis in quinquennium cæteris præfectis. *Catan.* *Decuriæ* ſæpe pro loco, hominibus proque jure, uti Senatus, civitas, &c. vid. *Gel. l.* VIII. *cap.* 7.

7 *Acclamationem.*] Laudem cum aſſenſu. quod juniores hiſtorici frequenter uſurparunt, & ipſe in orat. paneg. Interdum pro convicio accipitur, ut apud Lamprid. & Tranquil. Reclamationes autem contrariæ ſunt acclamationibus. *Catan.*

defugerim, nunc eadem illa editione sectari: cumque plebem ipsam cui consulebatur, limine curiæ parietibusque discreverim, ne quam in speciem [1] ambitionis inciderem, nunc eos etiam, ad quos ex munere nostro nihil pertinet præter exemplum, velut obvia [2] assentatione conquirere. Habes cunctationis meæ causas; obsequar tamen consilio tuo, cujus mihi authoritas pro ratione [3] sufficiet. *Vale.*

IX. C. PLINIUS [4] MINUTIO FUNDANO SUO S.

Minutium hortatur ad secessum & studium, cum in urbe occupati sint homines rebus inanibus, ruri nihil audiant, quod audisse pœniteat.

MIrum est, quam singulis diebus in urbe ratio aut constet, aut constare videatur, [5] pluribus cunctisque non constet. Nam, si quem interroges, *hodie quid egisti?* respondeat, [6] *officio togæ virilis interfui;* [7] *sponsalia aut*

1 *Ambitionis.*] Immoderatæ laudis cupiditate. Est autem ambitio, cum ad publicos honores, & magistratus turpibus atque inhonestis artibus & blandiciis, precibus, largitione, contendimus: at secundum Dionys. est inanis gloria. Vide & Claudian. *Cat.*

2 *Assentatione.*] *Ostentatione.* Jenens. & Boxhornius.

3 *Sufficiet.*] *Sufficit.* Idem.

4 *Minutio Fundano.*] Huic alibi in proximum annum consulatum auguratur. Eruditus fuit, ut qui se ab ineunte ætate altioribus studiis dederat: ex duabus natis alteram vix pubertatem ingressam amisit. proconsul Asiæ ex Adriani rescripto monitus ne sine objectu criminum Christianos condemnaret. authores Eusebius & Orosius. *Catan.*

5 *Pluribus.*] Diebus vel potius nominibus. *Idem.* Probandam omnino lectionem Ms. puto: *pluribus cunctisque.* Officiorum enim urbanorum occupationes uno aut altero die probari posse; quotidianos autem tædio & fastidio haberi mens est authoris, mox planius proponenda. Vulgata lectio *pluribus cunctisque* exsul bonæ mentis est. *Barthius.*

6 *Officio togæ virilis.*] Officiose comitatus sum aliquem, Præstiti officium meum dum amicus togam virilem sumeret: quæ, authore jurisconsulto, ad XVII. annum sumebatur, quam ætatem militarem appellavit antiquitas. Legimus tamen apud Tranquil. XVI. ætatis anno sumpsisse Augustum togam virilem, argumentum scilicet transeundi à pueris in virum: cui sententiæ Dio astipulatur, Et, *Seneca* inquit, *Pueritia deponitur, sed non puerilitas in plerisque hominibus.* Fere in eundem sensum Martialis ad Potitum scribit. *Catan.* Vid. pluribus infra.

7 *Sponsalia.*] Pacta ante nuptias. *Id.* Quo more autem & quo jure solita fieri, id explicat *Servius Sulpitius* libro, quem

aut nuptias frequentavi; ille me ad [1] *signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.* [2] Hæc quo die fece-

quem scripsit de dotibus. Vide alleg. A. Gell. lib. IV. cap. 4. & *Nerat.* in libro quem de nuptiis scripsit.

1 *Signandum testamentum.*] Tria testamentorum genera Gellius nixus Lælii Felicis authoritate tradit, sed postquam in unum jus civile & prætorium junctum est, septem testibus adhibitis, & subscriptione testium, signacula testamentis sunt imposita ex edicto prætoris, sicut subscriptiones ex sacris constitutionibus. Non enim olim ut nunc publici notarii stipulabantur, sed domini, vel alii eorum nomine tabulas scribebant, quas à septem testibus subscriptas, lineo vinculo claudebant, notatas testium sigillo. Testamentum compositum ex testatione mentis Sulpitius arbitratur: quod reprehendit Gellius arguens esse simplex verbum. *Catan.*

2 *Hæc quo die, &c.*] De varia & corrupta sequentium lectione prolixus hic est *Barthius*, sic ait: Ut lectionem quam pueri nos olim excogitavimus præ istâ non proponam, facere non possum: *in consilium rogavit. Hæc quo die feceris voces seria; eadem si quotidie fecisse te reputes, inania videantur. Multoque magis cum secesseris.* Et sane quis vetabit, ne ista dicam gemina Germana Plinii esse, ut Latinum & elegans tinniunt, præ glossematis illis vulgatorum. Nec voculam *ita hæc quo die* inserere ausim vetante libro nostro, etsi MS. Pal. volente; cum vel ex hoc uno loco pateat ingenio nonnunquam Codices cedere. Noster in hac Ep. multis modis variatà vulgatis. Mox. *quot dies quam frigidis rebus absum, ipsi!* in libro habeo: *quot dies quam frigidis rebus absumseris.* Porro: *nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit; neminem ipse reprehendo, nisi unum me cum parum commode scribo:* Ego scriptorem semper suspicatus sum membratim glossematis esse concisum; id quod magnopere urget hujus codicis evolutio. Hoc quidem in loco nullâ litterâ minus quam ad hunc modum præfert: *nemo apud me quemquam carpit, neminem ipse; nisi cum parum commode scribo, unum me:* Mox continuis verbis ubi vulgo est: *nulla spe, nullo timore sollicitor. Nullis rumoribus inquietor. mecum tantum & cum libellis loquor.* Nullo modo ausim scriptam lectionem præ istâ contemnere; *Nullis rumoribus inquietor. Mecum taceo, & cum libellis loquor.* Quod quietem animi fortassis alludit. Nec tamen sollicitamus hoc loco quod excusum est; Cum non sine causâ fortassis monachismum τὸ taceo olere possit. Post: *O rectam sinceramque vitam! ô dulce otium honestumque! ac pene omni negotio pulcrius! ô mare, ô littus verum secretumque Μουσεῖον quam multa invenitis! quam multa dictatis!* MS. non paullo aliter: *ô tersam sinceramque vitam! ô predulce otium honestumque ac pleve pulchrius omni negotio. ô mare, ô littus verum secretumque Musarum quam multa invenitis, quam multa dictatis!* Quæ ego non ideo indico, ut continuo admirer; sed cum in libro typographià longe antiquiore, videam, nolo ut per me stet quo minus *lucem videant.* Utinam vero integer esset Plinius in eo Codice. In fine Ep. reperio admodum elegantem scripturam, sed quæ videatur cum ultimis verbis non admodum convenire. Editur. *Proinde tu quoque strepitum istum inanemque discursum, & multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque; teque studiis vel otio redde: Satius est enim, ut Attilius noster, eruditissimè simul & facetissimè dixit, otiosum esse, quam nihil agere.* Integrum locum adscripsi, ut quivis de viâ sine labore judicare valeat. Manuscriptus: *teque studiis velut otio redde.* Quos elegans admodum

[1] nunc maxime floret. Multa [2] claraque exempla sunt: suffecerit nobis unum, [3] Euphrates philosophus. Hunc ego [4] in Syria, cum adolescentulus [5] militarem, penitus, & domi inspexi, amarique ab eo laboravi, etsi non erat laborandum. [6] Est enim [7] obvius, & expositus, plenusque [8] humanitate, quam præcipit. Atque utinam sic ipse,

ricam, grammaticam, geometriam, medicinam, jurisperitiam. *Catan.*

1 *Nunc.*] Sub Trajano. *Idem.*

2 *Claraque.*] Virorum clarorum ut Taciti, Juvenalis, Silii, Martialis, Saturnini, Voconii, Tranquilli. *Idem.*

3 *Euphrates.*] Hic Dinone patre genitus (quanquam pro Euphrate apud Lucianum Eutrates mendose legatur) Stoicam sectam professus, Vespasianum ab imperio deterrere conatus est, sub quo usque ad Adrianum vixit. comparatis maximis divitiis contra professionem suam. Nam ut omittamus Apollonium Tyaneum, multis illum immodicum mercatorem & arrogantem increpantem, Philostratus tradit, comparasse sibi divitiarum fontes. Jam enim inter fœneratorum mensas nuncupabatur caupo quæstuarius, fœnerator, publicanus, nummularius, ad omnia venalia se convertens, foribus potentiorum magis affixus quam janitores. voluntaria morte excessit è vita. Veniam dederat ei Adrianus citra ignominiam, ut cicutam senectute & morbo ingravescente bibere posset. Hoc refert *Dion.*

4 *In Syria.*] Etiam Artemidorum philosophum arcta familiaritate complexus est. Syria late littora tenet, terrasque etiam latius introrsus aliis aliisque nuncupata nominibus. Nam & Coele dicebatur, & Mesopotamia, & Damascena, & Adiabena, & Babylonia, & [illegible] & Sophena; eadem fere Plinius, ex Asia Pomponii mutuatus. Strabo aliter hæc determinat, quem, si placet, vide. *Catan.*

5 *Militarem.*] Tribunus militum essem. *Idem.*

6 *Est enim, &c.*] Prodigiosa lectio hæc est, cui ego quid faciam, ignoro. Ita in Optimis libris vulgatum, nec quisquam suspectam habeat scripturam. Sed in libro hæc est. *Est enim exobvius & expositus plenusque humanitate quam præcapit. Atque utinam sic ipse exemplum quod tunc ille de meis concepit, &c.* Nihil ego velim hinc veritati vendere longis logis, judicabit doctus aliquis; sed nemo nisi qui usu triverit Plinium. qui ex nullo auctore melius quam seipso unquam interpretabitur. Et eam ego methodum suadeo insistant omnes veterum auctorum tractatores, vulgo parum tritam. Librarium puto repetitione præpositionis *ex* sibi imposuisse hoc loco, cujus sonum auribus inhærentem calamo concepit. *Barth.*

7 *Obvius.*] Paratus, qui se ultro offert. *Catan.*

8 *Humanitate.*] Quæ vetat superbum esse in socios, vetat avarum. Præter ea autem, quæ hac de re recitantur à *Seneca*, *Plato* humanitatem triplicem inducit: aliam, ait, per salutationem fieri, ut cum obvium quemlibet quis salutat, & dextram porrigens comiter excipit: aliam, cum in ærumnas jacto quis opem clementer impendit; tertiam, qua cœnas & convivia inter se homines celebrant. At *Gellius* humanitatem non esse putat, amorem erga homines, quem φιλανθρωπίαν Græci vocant, etsi significet dexteritatem quandam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam; sed humanita-

ipse, quam spem tunc ille de me concepit, impleverim, ut ille multum virtutibus suis addidit! [1] At ego nunc illas miror, quia magis intelligo: quanquan ne nunc quidem satis intelligo. Ut enim de [2] pictore, [3] sculptore, [4] fictore, nisi artifex judicare: ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem. Quantum mihi tamen [5] cernere datur, multa in Euphrate sic eminent & elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant, & afficiant. Disputat subtiliter, graviter, ornate, frequenter etiam [6] Platonicam illam sublimitatem & [7] latitudinem effingit. Sermo est copiosus, & varius: dulcis imprimis, & qui repugnantes quoque ducat & impellat. [8] Ad hæc proceritas corporis & decora facies, demissus capillus, ingens & cana

manitatem, quam iidem Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem, institutionemque in bonas artes, quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, ii sunt vel maxime humanissimi. Et hanc videtur Cicero pro Archia etiam expressisse. *Idem.*

1 *At.*] Aut. *Jenens.* & *Boxhorn.*

2 *Pictore.*] Non injucundum fuerit huc referre Apellem pictorem perfecta opera proponere solitum transeuntibus, atque post ipsam tabulam latentem judicium vulgi experiri: feruntque à sutore notatum quod in crepidis pauciores ansas una intus fecisset. Eodem postero die superbe ob emendationem pristinæ annotationis cavillante circa crus, indignatum Apellem denunciasse, ne supra crepidam sutor judicaret. quod ipsum post in proverbium venit, quo admonemur ne supra nostram artem judicemus, & convenit cum Cæcilio, ne scilicet judicemus rem, quam non novimus. *Catanaus.*

3 *Sculptore.*] Marmorario, statuario, & qui pocula facit ἀνάγλυφα quanquam sint qui distinguant, ut sculptor sit, qui scalpello statuas effingit: statuarius, qui alio modo: quia apud Plinium caput sit de sculptoribus & statuariis. *Idem.*

4 *Fictore.*] Qui & figulus dicitur, ex creta & argilla vasa componens. *Idem.*

5 *Cernere.*] Vera est diserte scriptura scripta: *quantum mihi tamen conari datur.* Nimirum se in artificibus locare pudore non vult, etsi ad eorum summam adscendere conari non diffiteri. *Barth.*

6 *Platonicam sublimitatem.*] De qua late Fabius. Platonem divinum appellat *Columella*: & *Diogenes* Platonicæ orationis geminum stilum, sed utrumque summum tradit. *Catan.*

7 *Latitudinem.*] Ubertatem, amplam facundiam. Respexit Plinius ad nomen. Nam quidam ajunt fuisse exercitatum apud Aristonem palæstritam, à quo Platonem pro egregio corporis habitu cognominatum, cum prius Aristoteles ex avi nomine vocatus esset. Sunt qui ab orationis ubertate & mira latitudine, sic appellatum putent, sive quod ampla fuerit fronte, ut Neanthes scribit authore *Laërtio.*

8 *Ad hæc.*] Post animi bona enumerat & corporis ac fortunæ. *Catanaeus.*

B Cana

[1] cana barba: quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. [2] Nullus horror in [3] vultu, nulla tristitia, multum severitatis; [4] reverearis, occursum non reformides. [5] Vitæ sanctitas summa, comitas par. Insectatur vitia, [6] non homines. Nec castigat errantes, sed emendat. [7] Sequaris monentem atten-

1 *Cana barba.*] Apollonius Tyaneus in epistolis adversus Euphratem, inquit, *Baculus erat tibi tunc, & barba cana & ingens, præter hæc nihil.* Catanæus.

2 *Nullus horror, &c.*] Fere eodem modo legit *Barthius: nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum severitatis reverearis occursum non reformidas.* Ultima hæc verba (pergit) de Catonis quadam historia manasse arbitror. Belle vero vir emendandi prudentissimus *Janus Gruterus*, qui hanc periodum ita ex MS. & VV. Edd. scripsit; cui accedere sibi manuscriptum nostrum norit. Illud de inserendis vocibus commentum non placet. Quod enim vultui erat adhibendum; id noster Plinius mox τῷ occursu expressit. *Reverendum* non & *timendum* Stiliconem suum facit Claudianus, aliumque virum gravitate eximium Symmachus in Epistolâ Auctario juretiano inpactâ. *Barth.*

3 *Vultu.*] Solebant ostentatores philosophiæ ducere supercilium, & concinnare severam frontem, parandæ famæ gravitatis. Quanquam iidem & sordes in cultu, sive vestitu, præferebant, ne quicquam præter virtutem æstimare viderentur. Quare non absurde quidam Gruteri amicus conjecit: *Nullus horror in cultu, in vultu nulla tristitia.* Ut utrumque exprimeretur, & cultus sordidus, & frons austera. *Buchner.*

4 *Reverearis.*] Lectio *Boxhornii* sic habet: *Reverearis occursum, non reformides.*

5 *Vitæ sanctitas.*] *Integer vitæ, scelerisque purus.* sanctitas & sanctimonia pariter Latine dicuntur: nam & illo *Fabius*, & hoc *Cicero* usus est. sed sanctitudo vocabulum Apuleianum nescio quid majoris dignitatis habet. Sanctum interdum quod sacrum & religiosum, interdum incorruptum. cui sententiæ videtur accedere Martianus primo. ff. *Sanctum*, inquit, *est quod ab injuria hominum defensum est atque munitum.* Dictum autem à sagmine quadam herba, quam legati Romanorum ferre solebant, ne quis eos violaret. Aggenus Urbicus, sanctum est plerumque ut incorruptum, & à sanciendo sanctum dicitur. & Ulpianus: *sancta proprie dicimus, quæ nec sacra nec profana sunt, sanctione enim quadam confirmata.* Et Donatus, *sanctum*, dixit, *esse quod est omni observatione inviolatum* Catan.

6 *Non homines.*] Taxat vitia, non vitiosos: in quam sententiam ad Numatium Martialis.

Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Idem.

7 *Sequaris.*] Hoc ad sanctitatem Euphratis referendum est, qua plurimum sane movere poterat. Notus est Menandri versus super quo Plutarchus alibi disputat:

Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.

Mores movent dicentis, haud oratio.

Vide & Fabium lib. XII. cap. 11. *Buchnerus.*

5 *Pen-*

attentus, & [1] pendens: [2] & persuadere tibi, etiam cum persuaserit, cupias. Jam vero [3] liberi tres, [4] duo mares, quos diligentissime instituit. [5] Socer Pompejus Julianus, cum cætera vita, tum vel hoc uno magnus & clarus, quod ipse provinciæ princeps hunc, inter [6] altissimas conditiones, generum non honoribus principem, sed sapientia elegit.

1 *Pendens.*] Suspensus. expectans etiam postquam dixerit. Hinc,

Narrantis conjux pendet ab ore viri.

Ovidius. *Catan.*

2 *Et persuadere tibi, &c.*] Sic & Pal. lepideque protsus dictum; cujus gratia interierit, si aliud quid admiserimus. *Gruterus.* Interim ipsi amicissimus, quid si tamen, ait, adjecta negatione legas, *etiam cum non persuaserit,* hoc est, etiamsi in re ab eo dissentias, dulcedine tamen orationis ejus capiatis? *Casaubon.* Cui accedit *Barthius,* Hæc, inquiens, scriptura sane Pliniana videtur. Liber noster rem decidere poterit, referendo: *Sequaris monentem attentus, & pendens. Et persuadere tibi etiamnum cum persuaserit, cupias.* Ita omnino liber; etsi τὸ *pendens* videatur æque *pendens* legi posse; si quis me sententiam poposcerit Casaubonum Pliniano Genio satisfecisse arbitrer. Multa enim sunt in dogmatibus Philosophicis, quibus etiam summa comitate & Eloquentiâ sua suadente aliquo animus cujuslibet non acquiescat qui cum hæreat, ab auctoritate & veneratione præceptoris præjudicatæ doctrinæ & judicii, mallet persuaderi propter opinionem magistri, à quo dissentire nefas velut arbitratur, etsi animum ut sententiæ accedat, vincere penitus non possit. Hîc genuinus sensus videtur, nolim tamen Grutero talium exactissimo Censori contradicere, cujus rationes ista scribens non vidi; petendas enim ait ipse ex libris suspicionum, quos nos quidam dudum est cum desideramus; quibus familiariori quodam acie optimi & perspicacissimi senis ingenium cogitum est. *Barth.* Secundum *Buchnerum* hic sensus est: tantam comitatem & gratiam orationis & monitis ejus adfuisse, ut licet corrigeret & emendaret, tamen non tantum non offenderet suis sermonibus, sed ita teneret ac duceret audientes; ut licet persuasi jam essent omnia, plura tamen in eam sententiam audire cuperent, quasi nondum essent persuasi.

3 *Liberi.*] Liberi pro filiis secundum Cajum semper proferuntur numero plurium, liberorum appellatione etiam fœminæ intelliguntur, authores sunt JCti, & sequentia indicant, cum post liberos tres, subdit duos mares & fœminam. Quinimmo referente Callistrato, nepotes & pronepotes cæterique, qui ex his descendunt, continentur: hos enim omnes liberorum appellatione lex XII. tabularum comprehendit. *Cat.*

4 *Duo mares.*] Subaudi & tertiam fœminam. *Lucianus* in Dialogo, qui inscribitur *Philopseudes*, memorat Euphratem habuisse filios duos, quorum alter juvenis Mouson, & minor Euphratides nomine, quindecim annis natus, in palæstra se exercebant, eorumque matrem nomine Demaneten, tunc mortuam visam ab Euphrate, dum libellum Platonis de anima legeret. Hæc *Lucian.*

5 *Socer.*] Euphratis. *Cat.*

6 *Altissimas conditiones.*] Divitias, nobilitatem, honores, quibus Julianus excellebat, An quod magis placet, cum essent multi & natalibus & opibus ac cæteris fortunæ bonis præstantes, qui nuptias filiæ suæ studiose peterent. *Idem.*

1 Ut

elegit. Quanquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? An, [1] ut magis angar, quod non licet? Nam distringor [2] officio, [3] ut maximo, sic molestissimo. Sedeo [4] pro tribunali, subnoto [5] libellos, conficio [6] tabulas, scribo plurimas, sed [7] illiteratissimas literas. Soleo nonnun-

1 *Ut magis angar, &c.*] Sensus est: Magis crucier cum sæpius illius, quo non ut volo frui licet ob occupationes publicas, mentionem faciam. *Catan.* Scribe: *An magis angar, quod non licet,* omisso *ut*. Casaub. Ita tamen distinguendum putavi cum veterrima editione. Posteriores quippe, *An ut magis angar? quod non licet.* Gruter.

2 *Officio.*] Præfectura ærarii, in qua collegam habuit Cornutum Tertullum *Catan.*

3 *Ut maximo sic molestissimo.*] Eadem repetit in fine orat. paneg. scil. Præfecti ærario, & ante hos, Quæstores, Prætores, Tribuni (sic enim invenio mutata nomina præfectorum ærario) pecunias quoquomodo expensas & acceptas in tabulas publicas reponebant. nam inter cætera legatis sumptum dabant, & quæ ad rempublicam spectare videbantur, distrahebant. *Idem.*

4 *Pro tribunali.*] *Tribunal est ubi judex sedet populo jus dicturus.* Pro tabulatis excrescentibus Plinius senior utitur. Fabius notat eos, qui tribunale quam tribunal malunt dicere. *Idem.*

5 *Libellos.*] Quos vulgo supplicationes appellamus. quare supplices & querulos *Martialis* vocat. *Secundus* pro accusationibus alibi posuit. & *Ulpian.* pro denunciatione, fere in idem concurrente Apuleio. *Fabius* etiam fieri libellos brevi annotatione memoriæ causa testatur: at libella fabrorum & agri divisorum est instrumentum. *Idem.* Conf. Suet. & ibi *Sabell.*

6 *Tabulas.*] In quibus rationes ærarii reponebant. quanquam legerim apud Capitolinum, præfectos ærario tabulas publicas habuisse, quibus nomina ingenuorum puerorum referebant, ut si forte aliquis causam liberalem diceret, testationes inde produceret, quod Antoninus philosophus etiam per provincias instituit. *Cat.*

7 *Illiteratissimas literas.*] Inornatas, forenses, vulgares, stilo infimo, quibus utuntur rationarii (in) nominibus: quem locum minus feliciter *Sidonius* conatus est mutuari, *Illiteratissimis*, inquit, *literis vacans.* Videamus ergo, si placet, non importune, an omnes tunc Latine loquerentur, & quid sit Latine loqui: quod sane nihil aliud est, quam uti lingua Latia, & Romana. Nam *Cic.* inquit, *non tam præclarum est scire Latine, quam turpe nescire: neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur*; & Pollionem legimus jussisse filios loqui Latine, adeo ut Græce vel difficile, vel raro loquerentur. Livius libro I. ab Urbe condita, Magna pars Fidenarium, ut qui coloni additi Romani essent, Latine sciebant. Et à Varrone Fabioque, ubi de analogia disputatur, quæritur, an aliud sit Latine loqui, aliud grammatice: nullam enim loquendi legem, sed observationem quidam voluere, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quam consuetudo. Quare Vitruvius se excusat, si quid contra grammaticam locutus sit, quasi Latine scripserit, & non grammatice: nititur enim interdum verbis quæ grammaticus non admitteret. quamvis interdum Latine loqui, sumatur pro eleganti sermone uti. Hinc Juvenal. dixerat: Cum sit turpe magis nostris nescire Latine. & Seneca l.v. Epist. Nunc vulgo breviarium dicitur, olim cum Latine loqueremur, summarium

nunquam (nam idipsum quandoque contingit) de his oc-

cupa-

marium vocabatur. Ex verbis M. Tullii colligitur, grammaticam paulo ante suum seculum in urbem invectam: cum sit, inquit, quædam certa vox Romani generis, urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum. hanc sequimur, neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. Equidem cum audio socrum meam Læliam, sic audio, ut Plautum mihi, aut Nevium videar audire, sono ipso vocis ita recto & simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur: ex quo sic locutum ejus patrem judico, sic majores: & sunt præcepta Latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio, ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani, ac domestici libri confirmant, & lectio veterum. Cæsar quidem solum, & quasi fundamentum oratoris. vides elocutionem emendatam & Latinam, cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiæ, sed quasi bonæ consuetudinis. Mitto C. Lælium, P. Scipionem: ætatis illius ista fuit laus tanquam innocentiæ, Latine loquendi, nec omnium tamen: nam illorum æquales Cælium & Pacuvium, male locutos videmus. Verum omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries in domestica infuscaverat, recte loquebantur: sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit & Romæ & in Græcia. Confluxerunt enim Athenas & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis: quo magis expurgandus est sermo, & adhibenda quam abstersa ratio, quæ mutari non possit, nec utendum pravissima consuetudinis regula. T. Flaminium, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus, existimabatur bene Latine loqui, sed literas nesciebat. At Cæsar rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendat. Declaratur ergo Latine loqui, nihil aliud fuisse, quam uti verbis Romanis, propriis, & incorruptis, etiam non adhibita grammaticæ ratione; & fuisse tempus, quo omnes Romani sine ulla regula Latine loqui poterant, & assueverant: postea in urbem confluentibus advenis, & priscorum lingua perturbata, paululum deflexisse ad vernaculam nostram. quod, qui tunc erant ingenio acutissimo cernentes, de grammatica & Latinitate certas regulas tradidere. Nam & Tranquil. in lib. De grammaticis, edisserit, sero grammaticam in urbem Romam invectam, scilicet inter secundum & tertium bellum Punicum, & vulgares sermones fuisse meminit. Sic & Juvenalis conqueritur linguam peregrinam in urbem introductam. & Apuleius in limine suæ Metamorph. asserit se linguam Latinam didicisse nullo præeunte magistro, at labore ærumnali. Quod si omnes tunc Latine locuti fuissent, quid opus erat summo cum labore per se literas discere, cum in urbe versaretur? verum quia tunc non consuetudine, ut prius, sed grammaticorum præceptis literas discebant Romani, dixit ærumnali labore: id tamen non admodum mirabile, si Apuleius per se literas Latinas didicit, cum nostra tempestate Benedictus Jovius Comi natus per se Græcas edidicerit. Quod autem M. T. II. Tusculan. refert, *suas orationes judicio multitudinis approbatas, popularem enim facultatem esse, & effectum eloquentiæ*: non ideo crediderim, omnes dicendi vim sensumque percepisse, sed alios aliqua, quosdam pauca admodum, ut nunc assolet in concionibus pro fide, plerosque insuper nihil intelligentes laudasse supra cæteros. *Caton.*

cupationibus apud Euphratem queri. Ille me consolatur; affirmat etiam, esse hanc philosophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere, & exercere justitiam, quæque ipsi doceant, in usu habere. Mihi tamen hoc unum non persuadet, satius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo, discendoque consumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, cum in urbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius) illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego (ut multi) invideo aliis [1] bonum, quo ipse careo: sed contra sensum quendam, voluptatemque percipio, si ea, quæ mihi denegantur, amicis video [2] superesse. *Vale.*

XI. C. Plinius Fabio Justo S.

Conqueritur de Fabio Justo, quod tamdiu nihil scriberet.

OLim nullas mihi epistolas mittis. Nihil est (inquis) quod scribam: [3] at hoc ipsum scribe, nihil esse, quod scribas; vel solum illud, unde incipere [4] priores solebant, *Si vales, bene est; ego valeo.* Hoc mihi sufficit; est enim maximum. Ludere me putas? [5] serio peto. Fac sciam, quid agas: quod sine sollicitudine summa nescire non possum. *Vale.*

XII. C. Pli-

1 *Bonum.*] Elegantius, quam invideo bono. *Idem.*

2 *Superesse.*] Licere: vel potius abundare. *Gellius.*

3 *At hoc ipsum scribe.*] Æmulatus est Cicer. qui ad Atticum inquit: *Tu mihi & si nihil erit quod scribas, tamen ipsum scribas velim, te nihil habuisse, quod scriberes.* Catan.

4 *Priores.*] Veteres. *Idem.* Talis fuit Cicero, ut ex Epistolis ejus constat, & alii ejus ætatis usque ad tempora Claudiana. Seneca Epist. xv. *Mos antiquis fuit, usque ad meam servatus ætatem, primis Epistolæ verbis adjicere:* Si vales bene est, ego valeo. *Recte & nos dicemus*, Si Philosopharis, bene est. *Valere enim hoc demum est. Sine hoc, æger animus est.* Buchner.

5 *Serio.*] Graviter, vere. Serium enim triste & sine risu dixit antiquitas. extat Afranii authoritas apud Nonium: *non ego te novi tristem, severum, serium.* Sed juniores etiam hoc usi sunt, qualis Capitolinus, Fabius, ut & Curtius, *itaque res in serium versa est.* At serius comparativum à sero diversæ significationis est. *Catan.*

1 *Cale-*

XII. C. PLINIUS [1] CALESTRIO TYRONI S.

Corœlii Rufi voluntarium obitum propter longam pedum ægritudinem in sinu amici Calestrii deflet, seque ideo maxime affligi testatur, quod amiserit vitæ suæ moderatorem.

JActuram gravissimam [2] feci; [3] si jactura dicenda est tanti viri amissio. Decessit [4] Corœlius Rufus, & quidem sponte, quod dolorem meum exulcerat. Est enim luctuosissimum genus mortis, [5] quæ non ex natura, nec fatalis videtur. Nam utcunque in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa [6] necessitate solatium est; in iis vero, [7] quos accersita mors aufert, hic insanabilis dolor

1 *Calestrio Tyroni.*] Fuerunt iisdem temporibus Tyrones tres, Calestrius Tyro, ad quem alibi Cæcilius, qui etiam meminit Junii Tyronis: tertius Aponius Tyro. *Catan.*

2 *Feci.*] Ita quidem editiones novissimæ. Sed exoletæ habent *fero*, sic etiam Pal. ut forte fuerit: *Jacturam gravissima! si jactura, &c.* Voxque altera accesserit ob ignorationem talis exclamationis. Certe eadem res nocuit Plinio lib. II. ep. X. Ubi enim legitur: *Neminem te patientem, vel potius durum, ac pene crudelem, qui tam insignes libros tamdiu teneas.* reponendum fide vetustarum editionum & Palatini codicis: *Hominem te, &c.* Gruter.

3 *Si jactura.*] Dubitat an hoc verbum *jactura* conveniat tantæ calamitati, perinde ac si aliud verbum perquirat, quo significantius atrocitatem mali ostenderet. *Catan.*

4 *Corœlius Rufus.*] Corœlium equitem Rom. Ateste genitum, suomet surculo castaneam inseruisse in Neapolitano agro scribit Plinius avunculus, quæ ab ipso nomen inter laudatas accepit. Fuit Corœlius Rufus, jurisconsultus spectatissimus, à Cæcilio cum admiratione dilectus: à quo in petendis honoribus suffragator & testis assumptus, in inchoandis ductor, in gerendis consiliarius. Unde Plinius, ut paria Corœlio faceret, post ejus obitum Corœlii sororem & filiam semper tuitus est; dum Corœlius viveret, fuit summæ authoritatis apud Nervam Imperatorem: mortuus autem sub Trajano. *Idem.*

5 *Quæ non ex, &c.*] Volunt tribus humanam contineri vitam, *natura, fato, fortuna*: *Natura* c & xx. annos concessos esse, *fato* xc. *fortunæ* omnes alios casus, ut sunt ruina, incendia, naufragia, venena, voluntariæ mortes. Unde Virg. de Didone dixit,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.

M. T. in Philipp. *Multa mihi imminere videbuntur præter naturam, præterque fatum.* Idem.

6 *Necessitate.*] Id est, fato: quo mortales ægritudine & morbo intereunt citra xc. annum, modo serius, modo velocius secundum fata. *Idem.*

7 *Quos accersita.*] Qui manus sibi inferunt, & sponte moriuntur. *Idem.*

dolor est, quod creduntur potuisse diu vivere. Corœlium quidem summa ratio, quæ sapientibus pro necessitate est, ad hoc consilium compulit: quanquam plurimas vivendi causas habentem, optimam conscientiam, optimam famam, maximam auctoritatem: præterea [1] filiam, [2] uxorem, [3] nepotem, [4] sorores, interque tot [5] pignora, veros amicos. Sed tam longa, tam iniqua valetudine conflictabatur, ut hæc tanta [6] precia vivendi mortis rationibus vincerentur. Tertio & tricesimo anno (ut ipsum prædicantem audiebam) pedum dolore correptus est. [7] Patrius hic illi. Nam plerumque morbi quoque per successiones quasdam, ut [8] alia, traduntur. Hunc abstinentia, sanctitate, quoad viridis ætas, vicit & fregit: novissime eum senectute ingravescentem, viribus animi sustinebat. cum quidem incrediles cruciatus, & indignissima tormenta pateretur. Jam enim dolor non pedibus solis, ut prius, insidebat: sed omnia membra pervagabatur. Veni ad eum Domitiani temporibus, in suburbano jacentem: Servi è cubiculo recesserunt. [9] Habebat enim [10] hoc moris, quoties intrasset fidelior amicus, quinetiam uxor, quanquam omnis

1 *Filiam.*] Corœliam Hispullam. intelligit. *Catan.*

2 *Uxorem.*] Hispullam. *Idem.*

3 *Nepotem.*] Filium Corœliæ Hispullæ bonæ indolis. *Idem.*

4 *Sorores.*] Quarum altera Corœlia Fusco erat matrimonio conjuncta.

5 *Pignora.*] Cognationes: in quem sensum bis in orat. paneg. usurpat, hoc vocabulo latius usus quam apud alios, præter unum Tacitum, invenerim. Hic enim lib. xvi. Historiar. inquit, *ne in cætera pignora sæviret*: non solum filiam, sed & generum, & alios cognatos intelligens. Ideo autem pignora appellata, quia sunt amoris hypothecæ, sed proprie liberos pignora dicimus, quia sunt arctissimum conjugii vinculum. Alias pignus secundum Ulp. est, quod ad creditorem transit: at Cajus dicit, pignus proprie rei mobilis constitui. *Idem.*

6 *Precia.*] Pignora intelligit. *Cat.*

7 *Patrius.*] Hic morbus erat in patre Corœlii, unde nón sua intemperantia, sed ex genitura parentis podagra correptus est. Nam Galenus asserit, quosdam morbos, uti podagram & artericam ex hæreditate tradi, quia sperma in parente vitiatum necessario filiorum pedes debilitat. Avicenna etiam superioribus addidit phthisin & lepram. *Idem.*

8 *Ut alia.*] Talia sunt effigies, gestus, mores, patrimonia, quæ transmittuntur filiis. *Idem.*

9 *Habebat enim.*] Corœllius. Legitur etiam loco *enim* is, *Cat. & Boxh.*

10 *Hoc moris.*] Ut juberet servos facessere è thalamo. *Catan.*

1 Cir-

omnis secreti capacissima, digrediebatur. [1] *Circumtulit oculos, & cur* (inquit) *me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? ut, scilicet isti* [2] *latroni vel uno die superſim.* [3] *Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat.* Affuit tamen Deus voto, [4] cujus ille compos, ut jam securus [5] liberque moriturus, multa illa vitæ, sed minora [6] retinacula abrupit. Increverat valetudo, quam temperantia mitigare tentavit; perseverantem constantia fugit. Jam dies alter, tertius, [7] quartus, abstinebat cibo: misit ad me uxor ejus [8] Hispulla communem amicum C. [9] Geminium cum tristissimo nuncio, destinasse Corœlium mori: nec aut suis aut filiæ precibus flecti, solum superesse me, à quo revocari posset ad vitam. Cucurri: perveneram [10] in proximum, cum mihi ab eadem Hispulla [11] Julius Atticus nunciat,

1 *Circumtulit oculos.*] An alii adessent præter quam Cæcilius, visurus. *Catan.*

2 *Latroni.*] Male intelligunt, qui de podagra locutum sentiunt, quod scilicet hic morbus etiam latera invaserat. Nullum enim id secretum, sed potius *Domitianum* indicasse dicimus, se avare & crudeliter in principatu gerentem. Optabat igitur Corœlius tamdiu vivere, donec interitum Domitiani videret, sic postea libenter moriturus. *Idem.*

3 *Dedisses.*] More suo subtraxit, *si*: quod etiam Martial. in III. fecit,

Audieris, dices esse Maronis opus

pro *si* audieris, & alii. Sensus est, si ita corpore sicut animo valuisset, supervixisset Domitiano. *Idem.*

4 *Cujus ille compos.*] Voti compotem dicimus eum, qui quod intendit obtinuit. *Idem.*

5 *Liber.*] Sub Trajano optimo principe, qui libertatem per Nervam reductam, in melius augebat. *Idem.*

6 *Retinacula.*] Cognationes, amicos, bonam conscientiam, & reliqua. *Retinacula*, quæ retinere potuissent Corœlium in vita, sed minora, quam rationes, quæ contra occurrebant. *Idem.*

7 *Quartus.*] *Subint.* Erat, quo. *Idem.*

8 *Hispulla.*] Hispullæ meminit Juvenalis, & Cæcilii amitam fuisse lego. *Idem.*

9 *Geminium.*] Ad hunc plures extant Cæcilii epistolæ, & ad Trajanum ejus quoque meminit. Papinius insuper ad legem Juliam *de adulteriis*, retulit Adrianum rescripsisse *C. Rosiano Geminio. Geminii* fit mentio im memoriis Mediolanensibus & apud Forum Julii L. Geminii Mesii curatoris ærarii Mediolanensis. *Idem.*

10 *In proximum.*] In propinquum ædium. *Idem.*

11 *Julius Atticus.*] Cujus eloquentiam & Græcam facundiam cum familia laudat Martialis lib. VII.

Attice, facundæ renovas qui nomina gentis, &c.

Atticum eximie cœnasse tetigit Juvenal. *Julius Atticus* tempestate Columellæ laudem meruit, quod de una specie culturæ, pertinentis ad vites, singularem librum edidit. *Idem.*

ciat, nihil jam, ne me quidem impetraturum: tam obstinate magis ac magis [1] induruisse. Dixerat sane medico admoventi cibum, [2] κέκμηκα. Quæ vox quantum admirationis in animo meo, tantum desiderii reliquit; Cogito, quo amico, quo viro caream. Implevit quidem annum septimum & sexagesimum, quæ ætas etiam robustissimis satis longa est, [3] Scio. Evasit perpetuam valetudinem, Scio. Decessit superstitibus suis, florente republ. quæ illi omnibus suis charior erat, & hoc scio. Ego tamen, tanquam & juvenis & fortissimi morte doleo: doleo autem, licet me imbecillum putes, [4] meo nomine. Amisi enim, amisi vitæ meæ testem, rectorem, magistrum. [5] In summa dicam, quod recenti dolore contubernali meo [6] Calvisio

1 *Induruisse.*] Omnino mori decrevisse. Imitatio Catulliana, *jam Catulle obstinatus obdura.* Catan.

2 Κέκμηκα.] *Vixi cum labore, sustinui, mortuus sum.* κεκμηκότας enim secundum Pollucem mortuos appellat Thucidid. & Aristot. in Ethicis. Præteritum irregulare est à verbo κάμνω, id est laboro. Alia exempl. habent κέκρικα, id est *decrevi, scilicet mori,* ἀπὸ τοῦ κρίνω. *Catan.* De utraque lectione *Stephanus.* Et quidem ultimam priori præfert, quia Plinius post dicit: *Cogito, quo viro caream.* Magni enim esse viri hoc etiam verbum κέκρικα videtur existimare. De priori autem: Ego & significationi hujus verbi & sententiæ hujus loci magis convenire dico, ut interpretemur *defessus sum*, ut subaud. vivendo. Q. d. Tædet me vitæ. Κέκρικα igitur est *statui, decrevi* sc. mori, ut Virg. de Didone: *Decrevitque mori*, male vero exponitur vulgo *judicavi.* Steph.

3 *Scio.*] Omnino legendum est, ut verbum *scio* præcedentem sententiam claudat, & hic & duobus deinceps locis, non inchoet, ut in aliis edit. Sic in epist. XXI. lib. IX. Tale illud Symmachi ad Ausonium; *Quæsitores:* *memini. Consilii regalis particeps; scio. Precum conditor:* (puto cognitor) *recognosco.* Casaubon. Consentit lectioni *Gruterus*, secutus judicium Casauboni, & *Buchnerus.* allegans & epist. XXII. lib. IX. ubi Plinius, *irasceris*, ait, *scio; & irasceris merito, hoc quoque scio.* sic venustior loci facies est. Significat igitur Plinius non ignorare se rationes, quas leniendo sedandoque dolori subjicere posset Calestrius, hic autem ipse perstringit; eas tamen impares esse, neque sufficere ad compescendum luctum, quo ex amici casu tabesceret. Quare aliis & plane novis solatiis opus esse. *Buchner.*

4 *Meo nomine.*] Mea causa. *Cat.*

5 *In summa.*] Sic M. T. & Martialis, *ad summam omnium dixit.* Hoc dicendi genere utimur, cum aliquid concludimus. *Idem.*

6 *C. Calvisio.*] Hujus in memoriis marmoreis fit mentio. Fuit is Secundo arctissima familiaritate conjunctus, unde hic & alibi suum contubernalem appellat: validissime etiam amavit Calvisium, nepotem, C. Calvisium arcta propinquitate complectentem. Erat enim filius sororis. C. Calvisii Januarii Pontificis monumentum extat

visio dixi, Vereor ne negligentius vivam. Proinde adhibe solatia mihi: non hæc, *Senex erat*, *Infirmus erat* (hæc enim novi) sed nova aliqua, sed magna, quæ audierim nunquam, legerim nunquam. Nam quæ audivi, quæ legi, sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur. *Vale.*

XIII. C. PLINIUS [1] SOSIO SENECIONI S.

Laudat sua tempora, quibus ingenia longe proferebantur, sed auditorum ignaviam taxat: se vero asserit omnium recitationibus adfuisse, indeque tardius in urbe restitisse.

MAgnum proventum poëtarum annus hic attulit. Toto mense Aprili [2] nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Juvat me, quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum, & ostentant: tametsi ad audiendum pigre coitur. Plerique in [3] stationibus sedent, tempusque [4] audiendi fabulis conterunt, ac [5] subinde sibi nunciari

tat adhuc Mediolani, quod ei Calvisia Rufina filia fecerat. Calvisianæ actionis JCti meminere. *Catan.*

1 *Sosio Senecioni.*] Hic alius fuit ab Herennio Senecione: ad eum scripsit Plutarchus Dionis vitam, quanquam pro Sosio mendose legatur Socio. *Idem*

2 *Nullus, &c.*] Accedit his Martial.

Auditur toto sæpe poëta die.

& Juvenalis longa recitatione *columnas ruptas* exaggerat. *Idem.*

3 *Stationibus.*] In locis publicis, in quæ post negocia solent cives convenire confabulandi, vel desidendi gratia. Dicta *statio*, quod ibi ad tempus statur, de qua Juven. Satyr. XI. Item est locus, in quo naves stant ad tempus, & ubi milites ad tutelam stant, sive castrorum, sive oppidorum. Interdum pro custodia, ut apud Tranquil. *abducta statione militum*: aliquando pro statu & conditione. Vide Secundum in Paneg. & Ulp. tit. *de Fluminibus*, cum Servio grammatico convenit, *stationem*, inquit, *dicimus à stando*. Is locus demonstratur ubicunque naves tutæ stare possunt. *Cat.* Significant & *municipiorum stationes*. Vid. Sueton. in Ner. Claud. c. XXXVII. sic dictas ni fallor, quod legati municipiorum illic versarentur. Adde Paul. JC. lib. VII. Ex quibus caus. major. *Torrent.* Has in foro fuisse probant Victor reg. Urbis VIII. Plin. Sen. l. XVI. cap. XLIV. & noster lib. II. ep. IX.

4 *Audiendi.*] Sic libuit rescribere cum Modio: cum prius legeretur litera amplius *audiendis fabulis*, sensu minus apposito. Nostrum istud vult, tempus auditorio debitum mutuis sermonibus, iisque de re non magna transmitti. Et sic omnino legebatur in membranis Erasmi Neustetteri, cujus memoria doctis omnibus, imo & ipsi doctrinæ, jure sancta. *Gruter.*

5 *Subinde.*] Frequenter: in qua signifi-

ciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit [1] præfationem, an ex magna parte evolverit librum: tum demum, ac tunc quoque lente, cunctanterque veniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt: alii dissimulanter & furtim, alii simpliciter & libere. At hercule [2] memoria parentum, [3] Claudium Cæsarem ferunt, cum [4] in Palatio spatiaretur, audissetque clamorem, causam requisisse: cumque dictum esset, recitare [5] Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse. Nunc ociosissimus

gnificantia præter ipsum alibi Valerius de Matello scribit, *Castrorum subinde locum mutavit*, & Columella utitur, *Stabula boum subinde emundanda, & equas subinde respicientes scribendo.* Sic Martialis lib. I. & IV. Tranquil. in Julio Cæs. *subinde se observandum admonens.* Et Livius prædictis antiquior, *Ni subinde auro principum animi concilientur.* Plinius sen. lib. VIII. *Atque in recentem subinde transfertur.* & *Ex eo subinde cernitur.* Et cap. de Chamaleonte, *Mutat namque colorem subinde & oculis & cauda & toto corpore.* Catanæus.

1 *Præfationem.*] Est *præfatio*, quæ ante opus præponitur, consilium scriptoris, & summam operis brevibus explicans. Non est pars operis, ut existimant, cum dicatur omnino opus esse perfectum sine præfatione. Ideo inventæ sunt secundum Cajum Jurisc. quod libentius nos ad lectionem perducant, & cum illuc venerimus, ejus evidentiorem præstent intellectum. *Idem.*

2 *Memoria parentum.*] Temporibus nostrorum parentum, paulo supra ætatem nostram. Ita solebant majores nostri dicere. *Idem.*

3 *Claudium Cæsarem.*] Quem Tranquillus asserit fuisse pertinaciter liberalibus studiis deditum, ac multa scripsisse Græce & Latine. *Idem.*

4 *In Palatio.*] Vocatur *Palatium*, authore Dione, *domus regia Romanorum imperatorum, ubi Cæsares prætorem habebant.* quod olim Romuli domus, non procul à Tiberi, fere in media urbe P. Victor in decima regione locat. Antea *Pallantium* sive *Pallanteum* dictum à Pallanteo urbe Arcadiæ, vel à Pallatio urbe in agro Rheatino: alii quod palantes illuc cum Euandro venerunt, quidam à Palantia uxore Latini, sive quod ibi pecus pascens balare, vel palare, id est errare consuevit. Alii à Palantia Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum peperit. Alii, quod Pallas ibi sepultus sit, quam opinionem Dionysius arguit, tradens, Palantinum collem palatium dictum, confundente tempore certitudinem, & multis inconvenientium etymologiarum materiam præbente. *Idem.* In monte *Palatino* videtur fuisse constructum, ut ibi sit sedes Augustana. Et, quia imperii sedes in eo constituta fuit, cujusvis principis aulam, aut splendidi hominis domum *Palatium* nominamus. Erat etiam laurus ante fores Palatinæ domus, & supra eam pendebat corona querna civica, quam S. P. Q. R. Augusto donavit ob cives servatos. Vid. *Ovid. Val. Max. lib.* II. *c.* 3. *& Onuph. Panvin.*

5 *Nonianum.*] Fuit Servilius Nonianus, quem Plin. senior consulem vidit, & Quintilianus audivit, ingenio clarus, & sententiis creber, minus pressus quam historiæ authoritas postulabat. *Catan.*

simus quisque multo ante rogatus, & [1] identidem admonitus, aut non venit, aut si venit, [2] queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse. Sed tanto magis laudandi probandique sunt, quos à scribendi recitandique studio hæc auditorum vel desidia vel superbia non retardat. Equidem prope [3] nemini defui: erant sane plerique amici. [4] Neque enim est fere quisquam qui studia, ut non simul & nos amet. His ex causis longius, quam destinaveram, tempus in urbe consumpsi. Possum jam repetere [5] secessum, & scribere aliquid, quod non recitem, ne videar, quorum recitationibus affui, non auditor fuisse, sed [6] creditor. Nam ut in cæteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur. *Vale.*

XIV. C. PLINIUS JUNIO MAURICO SUO S.

Maurico suadet, ut filiam fratris despondeat Aciliano, quem à parentum splendore commendat, & honores gessisse, opibusque abundare, præter virtutes, adfirmat.

PEtis, ut [7] fratris tui filiæ prospiciam maritum, quod merito mihi potissimum injungis. Scis enim quantopere summum illum virum suspexerim dilexerimque: quibus ille adolescentiam meam exhortationibus foverit, qui-

1 *Identidem.*] Sæpius. Liv. ab urbe condita, *Identidem, ne quis violaret, Thessalio ferri clamitatum est.* Apuleius, *Identidem boavi, non, non.* Curt. *illa malis fatigata, identidem mulieris adhibere blanditias.* Cato in re rust. *suppletoque identidem.* & Columella, *locus identidem movere.* Catan.

2 *Queritur, &c.*] Sensus est: quisque ignavus lamentatur, si adfuit recitationibus, perdidisse diem in inutili, cum vere non perdiderit recitantes audiendo, sed potius perdidisset si desidisset, & totum diem fabulis contrivisset. *Idem.*

3 *Defui nemini.*] Audivi omnes. *Idem.*

4 *Neque enim. &c.*] Sensus perspicuus: turbant tamen libri in quibus aut *quisquam qui nos amet, ut studia non simulet:* aut *qui amet, ut studia vel non simulet.* At Pal. habet, *quin nos amet, ut studia non simulet.* Gruter.

5 *Secessum.*] Sc. in villam. *Cat.*

6 *Creditor.*] Ne audiendi mutuum ab illis repetere videar. *Idem.* adeoque me illis officium præstitisse, quod vicissim ab illis exigerem. *Gronov.*

7 *Fratris tui.*] Aruleni rustici. *Catanæus.*

quibus etiam laudibus ut laudandus viderer, effecerit. Nihil est, quod à te mandari mihi aut majus aut gratius, nihil quod honestius à me suscipi possit, quam ut eligam juvenem, ex qua nasci nepotes Aruleno Rustico deceat. Qui quidem diu quærendus fuisset, nisi paratus & quasi provisus esset [1] Munitius Acilianus, qui me, ut juvenis juvenem (est enim minor pauculis annis) familiarissime diligit; reveretur ut senem. Nam ita à me formari & institui cupit, ut ego [2] à vobis solebam. Patria est ei [3] Brixia, ex illa [4] nostra Italia, [5] quæ multum adhuc verecundiæ, [6] frugalitatis, atque etiam [7] rusticitatis antiquæ retinet ac servat. Pater [8] Municius Macrinus, [9] equestris ordi-

1 *Munitius Acilianus.*] Hunc Cor. Munitium Acilianum appellatum, & ornamentum regionis suæ, seu dignitate, seu moribus, natum splendidè, & facultatibus abundantem lib. VII. scripsit Secundus. *Cat.* Alii pro *Munitius Acilianus* legunt *Minutius*. Steph. Palatinus M. S. *Minutius Æmilianus Acilianus*, quod pro verò habuerim; ut scil. bina habuerit cognomina, ultimumque illud adoptationis notam. *Gruter.*

2 *A vobis.*] Maurico & Aruleno. *Catan.*

3 *Brixia.*] Civitas in agro Cenomanorum sita, ut Plinius & Ptolomæus scribunt, à Gallis Justino authore condita, quam gentis Cenomanorum caput fuisse Livius asserit. *Idem.*

4 *Nostra.*] Transpadana, sicut Veronenses alibi suos appellat. *Idem.*

5 *Quæ multum.*] Expressi quod erat in Pal. tantò confidentius, quod iteraretur etiam illud *multum* in rejectis editionibus, quibus tamen deerat, *atque etiam rusticitatis*. Grut.

6 *Frugalitatis.*] Nam hi remotis ab urbe municipiis severam adhuc atque antiqui moris, secundum Tacit. retinebant Italiam. Fuerunt enim (ut omittam Latinos) authore Athenæo, frugales Romani, & in omnibus optimi, quibus tolerantia & tenuis victus patrius erat & indigena, quod Juvenalis satyra XI v. pluribus laudat. *Catan.*

7 *Rusticitatis.*] Simplicitatis, justitiæ. Virum bonum cùm laudabant antiqui, ita laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum. Amplissimè laudari existimabant, auctore Catone, qui ita laudabantur. Quare pro Roscio inquit Cic. *Vita hæc rustica, quam tu agrestem nominas, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est.* Idem.

8 *Munitius Macri.*] Fuit is ad quem Persius scripsit. *Macrinum* virum prætorium refert Plin. lib. XI. cap. *de sanguine*, statuto tempore passum sanguinis profluvium per os. *M. Nonii Macrini* sæpe fit mentio in memoriis Brixianorum & Moguntiacorum & Mediolanensium. *Idem.*

9 *Equestris ordinis.*] Quæ dignitas inter patres & plebem fuit. Severus imperator consuevit hunc ordinem appellare *senatorum seminarium*. Judicandi jus aliquando habuit, unde judices appellati: deinde authoritas nominis vario seditionum eventu substitit circa publicanos. Lege Roscia jus sedendi in quartodecimo gradu theatri habebant, & quia gerendorum annulorum authoritatem tenuerunt, illustres ab historicis appellati; olim sexcenti numero

ordinis [1] princeps, quia nihil altius voluit, allectus [2] à Divo [3] Vespasiano inter [4] prætorios, honestam quietem huic nostræ [5] ambitioni dicam an dignitati, constantissime prætulit. Habet aviam maternam Serranam Proculam è [6] municipio Patavino. Nosti loci mores. Serrana tamen Patavinis quoque [7] severitatis exemplum est. Contigit

mero fuere. *Cat.* Vide & Sueton. in Tib. Claud. XXIV. & ibi *Casaub.*

1 *Princeps.*] Authoritate, scientia, divitiis. Non enim solum, qui rerum dominus est, princeps appellatur, sed qui in civitate præstat authoritate. Alibi dixit, *acuent principes viros ad liberos suscipiendos.* & de Quadratilla loquens, *fovebat effusius, quam principi fœminæ conveniebat.* M. T. ultima Philipp. *Utinam illi principes viverent, qui me post meum consulatum, cum ipsis cederem, principem non inviti videbant!* & *Princeps prœlium inibat* dixit. It. de Divin. *Et princeps illi Diodorus Philo Antiochus.* Et de finib. *Ut æqualium principes sint.* Liv. item, *prodita multitudine à principibus,* & Frontinus, *aquarum præfecturam per principes viros solitam ministrari scripsit.* & Tranquillus: *Principes civitatis viginti sibi delegit Tiberius.* Sic & Virg.

Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor.

Nam *princeps*, secundum Pompejum, *est qui primum cepit, & primo loco est*, ut principes in acie. *Idem.*

2 *A Divo.*] Imperatores post mortem *divos* vocarunt. Sic Divos Trajanus est in antiquo inscriptionis fragmento, quod paucis ab hinc annis erutum est in agro Ricinensi:

DIVOS TRAJANUS
AUGUSTUS
CONCESSA TUSCILI
NOMINATI HEREDITALE
REIPUB. RICINENSI
BALNEUM ET PLATIAS.

Vide *Sirmond. ad Sidon.*

3 *Vespasiano.*] Hic amplissimos ordines cæde varia exhaustos, & veteri negligentia contaminatos, repurgavit, supplevitque recensito senatu, summotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. *Catan.*

4 *Prætorios.*] Qui jus gestandi prætoria ornamenta habent. Prætorius etiam dicebatur, qui præturam gesserat, ut quæstorius, qui quæsturam, quare possemus interpretari, inter prætores. *Allecti* enim, Festo referente, propriè dicebantur, *qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum numero assumpti erant.* Idem. Prætor, ut Varro scribit, à *præeundo* dictus est, quod exercitui præiret. Primus omnium Sp. Furius Camillus M. filius Romæ hanc dignitatem adeptus est. Veteres, ut Pedianus vult, omnem magistratum, cui pareret exercitus *prætorem* vocarunt. Et Liv. *consulem* & *prætorem* indifferenter vocatum ait. Vide *Sabell.*

5 *Ambitioni.*] Dignitatibus, quas nos ambire solemus. *Catan.*

6 *Municipio Patavino.*] Nata Patavii: quod olim inter ejus regionis urbes excellebat. Nam in eo censiti sunt quingenti equestris ordinis viri. Antiquis annis centum & viginti militum millia emisisse constat, quam vero civitas ipsa, & virorum probitate, & artium bonitate floruerit, magnitudo cum aliarum rerum, quæ in urbem mittebantur, tum vero pannorum & vestimentorum omnifaria mercatura declarat. *Idem.*

7 *Severitatis exemplum.*] Sanctissima, quam aliæ sequantur in severitate. Exemplum est, quod sequamur, aut vitemus: est enim ipsa res, quam imitamur, aut si sors ita tulerit, evitamus. *Pomponius.*

3 *P. Acili.*

tigit & avunculus ei [1] P. Acilius, gravitate, prudentia, fide prope ſingulari. In ſumma, nihil erit in [2] domo tota, quod non tibi tanquam in tua placet. Aciliano vero ipſi plurimum [3] vigoris, & induſtriæ: quanquam in maxima verecundia [4] quæſturam, Tribunatum, præturam honeſtiſſime [5] percucurrit, ac jam pro ſe tibi neceſſitatem ambiendi remiſit. Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa. Eſt ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam [6] Senatorius decor: quæ ego nequaquam arbitror negligenda. Debet enim hoc caſtitati puellarum quaſi præmium dari. Neſcio, an adjiciam, eſſe patri ejus [7] amplas facultates. Nam cum imaginor [8] vos, quibus quærimus [9] generum, ſilendum de facultatibus puto,

1 *P. Acilius.*] Ambiguum, an pater *Acilii Glabrionis* (quem collegam in conſulatu Trajano Domitianus interfecit, authore Dione, quod cum feris pugnaret, re vera propter inviſum robur. Nam in Albano leonem confecit.) an ipſe *Acilius Glabrio.* Utrumque notavit Juvenalis ſatyra IV. quanquam interpretes aliter ſentiant. Iiſdem etiam temporibus *Acilium Rufum* conſulem deſignatum Secundus recitat, & *Acilii Glabrionis* ſub Antonino & Severo imperatoribus meminit. *Ulp.*

2 *Domo.*] Cognatione Aciliani. *Cat.*

3 *Vigoris.*] Robuſti ſpiritus. Vigor quoque, qui conſtat ex ſpiritu, non deſtituerat vultum. *Curtius lib.* IX.

4 *Quæſturam.*] Erant qui capitalibus præerant, quos Juſtinian. Novel. 80. ἐφόρευτάς interpretatur. *Judex* vero *quæſtionis* ei prætori operam navavit, cui ſorte contigerat quæſtio inter ſicarios. Idque fere erat ædilitiorum hominum munus & gradus ex ædilitate ad præturam. Sic Cæſar factus eſt poſt ædilitatem judex quæſtionis A. U. DCXCI. Vid. *Caſaub. ad Suet. Briſſon.* & de reliquis dignitatum muniis *Beroald. Beruegg. & alios.*

5 *Percucurrit.*] Ante ætatem adminiſtravit. *Catan.*

6 *Senatorius.*] Venuſtus, qualis convenit ſenatori. Omnia hæc ad formæ pulchritudinem ſpectant, cujus an in matrimonio ratio ſit habenda diſquirunt politici. Sane, ſi conjecturis utimur, formoſis accedimus; id tamen de forma non conjecturabimur, quòd *Quintil. l. v. inſtit. c. de argum.* ducatur ſæpe in argumentum libidinis ſpecies; ſed potius cum *Ambroſ. 2. de Virgin.* quod veriſimilius eſt, dicemus: ſpecies corporis ſimulacrum eſt mentis, figuraque probitatis. Vid. *Arniſ. polit. lib.* I. *cap.* 3.

7 *Amplas facultates.*] Satis conſtat habuiſſe ſaltem quadringenta ſeſtertia, quoniam erat eques, ſed ſi diligentius conſideramus Plinii ſcripta, longè plura dicemus Macrinum poſſediſſe. *Catan.*

8 *Vos.*] Qui non cenſum in marito, ſed virtutes reſpicitis. Themiſtoclis conſilium ſequentes, qui unicæ filiæ patri, ſe conſulenti, utrum eam pauperi, ſed ornato, an locupleti, ſed parum probato collocaret: reſpondit, *malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigere.* Idem.

9 *Generum.*] Impropriè dixit. Non enim

puto, quum [1] publicos mores, atque etiam [2] leges civitatis intueor, quæ vel imprimis census hominum spectandos arbitrantur, ne id quidem prætereundum videtur. Et sane de posteris, & his pluribus, cogitanti, [3] hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. Tu fortasse me putes [4] indulsisse amori meo, supraque ista, quam res patitur sustulisse: at ego fide mea spondeo, futurum ut omnia longe ampliora, quam à me prædicantur, invenias. Diligo quidem adolescentem ardentissime, sicut meretur. Sed hoc ipsum [5] amantis est; non onerare eum laudibus. *Vale*.

XV. C. PLINIUS SEPTITIO CLARO SUO S.

Septitius promiserat se venturum ad cœnam, fidemque fregerat: Secundus itaque enumerat paratos cibos, eumque in jus damni dati vocat.

[6] HEus tu, promittis ad [7] cœnam, nec venis. Dici-

enim Maurico, sed Aruleno gener futurus erat Acilianus, verum quia Mauricus natam fratris, loco filiæ habuit, ideò cum Aruleno socerum Mauricum appellat. *Idem*.

1 *Publicos mores.*] Consuevisse omnes in genero quærere amplas facultates: Id sic indignatur Juven.

Quis gener huic placuit censu minor: atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur hæres? Idem.

2 *Leges civitatis.*] Quæ vetabant quemquam sedere in XIV. gradu, nisi habuisset censum quadringentorum millium: neque judices esse, nisi eadem summa censerentur. Vel saltem ex constitutione D. Augusti, ducenta sestertia possiderent, qui ducenarii judices vocabantur, quòd ducentûm millium censum haberent, unde hi de levioribus summis judicabant. Senatorum vero census erat octingentorum, dimidio plus, quam equitum. Quare legimus apud Tacit. *multos ob angustias familiares ordine senatorio sponte cessisse: & motos, qui remanendo impudentiam paupertati adjicerent.* In quas leges Plin. sen. maxime invectus est. *Idem*.

3 *Hic calculus quoque.*] Illa ratio & suffragatio plurimum potest in electione. Vel legatur, *in deligendis conditionibus*. Idem.

4 *Indulsisse amori meo.*] Scripsisse de juvene, quem amo, plura quam essent. *Idem*.

5 *Amantis est.*] Officium amici est, amicum mediocriter commendare. *Idem*.

6 *Heus.*] Significationem habet ad considerationem revocantis. Vel, *Reus tu* scilicet es impendii facti, & accusaris à me quod pacta fregisti vi. *Idem*.

7 *Cœnam.*] Meridianum cibum etiam

[1] Dicitur jus, [2] ad assem impendium reddes, nec id modicum. Paratæ erant, [3] lactucæ singulæ, [4] cochleæ ternæ, [5] ova bina, [6] alica cum [7] mulso * & nive, (nam hanc quoque

jam *cœnam* vocarunt. Vid. Sueton. in Octav. 71. ibique *Fest.* & *Torrent.*

1 *Dicitur jus.*] Vel subintellig. *si*, more suo: vel interrogative pronunciandum. Sensus est, si jus redditur damni dati: cautum enim, ut damni dati sit actio. *Catan.*

2 *Ad assem impendium reddes.*] In solidum restitues impensam cœnæ. Assem pro universa hæreditatis summa usurpant JCti, ut hîc pro tota convivii expensa. vel ad assem, minimam quamque particulam. Nam assem sic poni auctor est Catul. *Omnes unius æstimemus assis.* & Virg. in Priapeis, *Non assis faciunt.* Non placet quod cum superioribus conjungatur, sic, *dicitur jus ad assem*: ut sit sensus, accuso te, quod inutiliter assis sit impensus à me in paranda cœna, quam contempseris. *Impendium*, secundum Varr. *significat pecuniam, quæ in fœnore sorti accedit*, hoc est, usuram ipsam, quod inter se jungat utrumque, fiatque quasi compendium. Dicitur non minus Latine impensum, à pendendo. Apuleius *Impendio*, pro *enixe* usus est. *Idem.*

3 *Lactucæ singulæ.*] Unicuique convivæ una fuit lactuca apposita, quæ principio cibi paratur, non tantum ex consuetudine, sed teste Martiale ad excitandum stomachum, sicut apud antiquos, eodem referente, in fine cœnæ ad sedandam ebrietatem. Est enim frigida, quod etiam Athænæus testatur. Hanc à lacte dictam nemo ambigit. *Catan.* Sicut autem hîc modicam & frugalem, ita paulo post lautam & opiparam cœnam designat *Martial.*

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebit,

Et cochleas tibi habe, perdere nolo famam.

Buchner.

4 *Cochleæ.*] Hæc tanquam vilia sprevit Martialis disticho superiori. *Hesiodo* φερέοικος dicitur, quod secum domum portet. *Hammon.* παρὰ τὸ κοχλῶ, id est, circumdo, (quod & κύκλος est. *Varinus.* κοχλῶ τὸ γυρίζω, ἀφ' οὗ κοχλίας) vel à convertendo, cochleam dictam deducit. Est autem id animalis, quod vulgo *limacha* appellatur. Quod si quis mihi parum fidei adhibet, legat Plinium. Eas saginari docet Cato, & eum secutus Plinius, generaque multa uterque recenset. *Idem.* vide & Dalec. ad senior.

5 *Ova bina.*] Sorbilia: hæc dabantur in cœnæ prooemio, vide Horat. in Serm. & Juvenal. ad Pers. *Naucratias*, scribit Athenæus, *in conviviis apponere solitos bina ova*, quæ in secunda mensa dari, sicut leporem & turdum, cum mellitis, apud eundem legimus. *Catan.*

6 *Alica.*] Præstantissima fiebat alica in Italia, præcipue in parte Campaniæ, juxta Theophrast. ex quodam genere ordei sylvestris; ut ex eodem panis optimus fit. Unde quidam apud Hom. ζείδωρον interpretantur zeam, ex qua alica conficiebatur, ferentem. Tundebatur, auctore Plinio, granum ejus in pila lignea, & excussis inde tunicis, iisdem armamentis nuda medulla concidebatur; tria alicæ genera etiam numerat. Dicta *alica* ab alendo, ut Pompejus refert, mulso vino eluebatur: quod Martial. tetigit,

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives:

Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Illud addam, genus ex melle placentæ, oleo & alica confici, subitallum nomine, auctores sunt Festus & Athenæus. *Idem.*

7 *Mulso.*] Quo usos antiquos testatur Plinius lib. VII. Severus Imp. auctore Lampridio, lacte, pane, ovis, mulso reficiebatur. Conficiebatur ex vino

que computabis, immo hanc imprimis, quæ [1] perit in ferculo) [2] olivæ [3] Bæticæ, [4] cucurbitæ, [5] bulbi, alia mille non minus lauta. Audisses [6] comœdum, vel lectorem, vel [7] lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes. At tu, apud, nescio, quem, [8] ostrea, * vulvas, † echinos, Gadi-

vino & melle secundum Cajum *de acquirendo rer. dom.* Mel vero recentissimum & Hymettium, vinum vetustissimum, si Macrobio fides, esse debebat, cujus causam idem refert lib. VII. Saturnal. & in hoc distabat à melite, auctore Plinio, quod fiebat illud è vino veteri, hoc è musto. Revocat mulsum aviditatem cibi, alvum mollit frigido potu, calido sistit, corpus auget. unde Pollio Romulus interrogatus à D. Augusto, qua ratione vigorem animi & corporis conservasset supra centesimum annum, respond. *intus mulso, foris oleo.* Paulus Ægineta, mulsum hoc modo parari scribit, *octoplum aqua melli adjicitur, ac donec spumare desierit, coquitur. Spumam vero simulatque orta est, jugiter auferre oportet.* Idem.

* *Et nive.*] Qua in potu & ferculis refrigerandis est usa antiquitas. Erant enim Romæ officinæ nivis reponendæ, cujus saporem paleis, quibus custodiebatur, inquinabant. in quam luxuriam Martialis invehitur,

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive commenta est ingeniosa gula.

Sed pluribus Seneca lib. IV. Natural. quæst. & Plin. senior lib. XIX. Eam Macrob. ex Arist. scribit esse corporibus noxiam. Non omittam, Athenæum tradere, vinum ex nive reddi frigidissimum, & antiquam Græciam eam bibisse: atque magno æstu ab Alexandro servatam. *Idem.*

1 *Perit.*] Resolvitur in aquam posita in cibis. *Idem.*

2 *Olivæ.*] Quæ inchoant & claudunt cœnam. vide Martial. *Idem.*

3 *Bæticæ.*] Hispanæ, à flumine Bethi Hispaniæ, pars Bethicæ maria prospicit, ad occidentem Atlanticum, ad meridiem nostrum. Commendatas fuisse olim præter Plinium, Martialis lib. XII. tradit, ultimo epigr.

Bethis olivifera, &c. —

Hodie etiam majores ab Hispania mittuntur olivæ, aptiores esui, sed oleo, secundum Columellam, inutiliores. Quare non admitto legentes olivæ, betacei, ut duo ciborum genera intelligantur; legimus & beta loco bethicæ, quod est olus satis obvium. *Idem.*

4 *Cucurbitæ.*] Sunt & hæ non minus gratæ, & salubres in cibo, præcipue primus caulis: & quo longiores tenuioresque, eo gratiores, & salubriores, juxta Plin. *Cat.*

5 *Bulbi.*] Eorum radix optima, etiam cruda esui. Tria bulborum genera quidam faciunt, Plinius plura; incitant multum Venerem, teste Martiale. *Idem.*

6 *Comœdum.*] Comœdiæ actorem. Solebant in convivio Romani audire poëmata, quod Persius notabiliter taxat. *Idem.*

7 *Lyristen.*] Est qui lyram scit, instrumentum ab antiquis receptum, uti tibiæ rejectum. Quod etiam Athenæus probat ex Nicostratio: & multis Gell. lib. XVIII. Suidas asserit, musicam interiisse, postquam symposia introiit. *Idem.*

8 *Ostrea.*] Horum vivaria primus in Lucrino instituit *Sergius Orata*, avaritiæ, non luxuriæ causa. Crescunt luna crescente, deficiente vero minuuntur. Multa eorum genera tradit Athenæus, nasci in paludibus, fluminibus, mari: optima marina, ubi fluvius exoneratur. ac Græcorum antiquos ostrea tantum dixisse, satis constat,

[1]Gaditana maluisti. Dabis pœnas, non dico quas. dure fecisti: invidisti, nescio an tibi, certe mihi, sed tamen & tibi. Quantum nos lusissemus, risissemus, studuissemus. Potes apparatius cœnare apud multos: nusquam hilarius, simplicius, incautius: in summa, experire. [2] Et, nisi postea te aliis potius excusaveris, [3] mihi semper excusa. *Vale.*

XVI.

stat, in numero unius, fœminini generis, at in plurali neutrius. Celeberrima sunt in Lacu Bajano ex *Martiale*, & Circeis, ex *Horatio* constat. *Catan.*

* *Vulvas.*] Vulva ex papillis porcarum, quam lege censoria interdictam fuisse meminit Plin. Erat ejectitia, quæ fiebat enecto partu, & ante tempus ejecto melior sane, quam edito: hæc porcaria dicebatur. Unde Hipparchus apud Athen. *vulva pulcher aspectus ejectitiæ: sed pulchrior*, eodem referente, *primipara ejectitia*, quod etiam Martialis sentit:

Te fortasse magis capiet de virgine porca,
Me materna gravi de sue vulva capit.

Inde Horatio ampla vulva placuit. Græci μητρῶν vocant, suavissimam quippe carnem, quam condiri aceto & jure secundum Lynceum ex Athenæo scribente discimus. *Idem.*

† *Echinos.*] Optimi qui juxta Misenum capiebantur, Horatius. Fuisse eorum usum in cibis Martialis asserit. Sunt his spinæ pro pedibus, includuntur enim echinato calice. Est & aliud genus, quod echinometra appellatur, cui spinæ longissimæ caulices minimi: sed plura de eorum generibus Arist. lib. IV. de animal. & Athenæus in suis libris. Quidam dictum putant παρὰ τὸ συνέχειν, id est, à contrahendo seipsum in rotunditatem: nam in ulciscendo ingruentem adversarium restrictus spinarum circumferentiam objicit velut monumentum: aut quod habeat carnes spinis contectas: vel per contrarium, quod non possit tangi propter spinas. Nam echinus apud Athenæum pro genere placentæ sumitur, autoritate Lyncei Samii: & pro ventre bovis apud Suidam. Vid. & Hammon. pluribus. *Idem.*

1 *Gaditana.*] Cantica, gesticulationes, quibus puellæ Gaditanæ plurimum præstabant. Unde Martial. lib. V. pollicetur:

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

Sic & in distichis, ac alibi. Pariter & Juven.

Scilicet expectas, ut, Gaditana canoro
Incipiat prurire choro. ———

Neque me præterit passim legi, echinos Gaditanos, utpote, qui apud Gades Hispaniæ præcipui nascerentur. *Idem.*

2 *Et nisi postea, &c.*] Dicit; tum demum Septitio integrum fore, deinceps non venire ad cœnam, si, postquam semel convivatus fuerit apud se, parum jucundas & gratas intellexerit cœnas suas. Quasi diceret, postquam semel expertus fueris cœnarum mearum jucunditates, nisi optaris deinceps iis potius frui, & excusare te aliis, à quibus vocatus, ut mecum esse possis, emane, age, ac te audacter excusa: nihil disputabo contra, & perlibenter penitus acquiescam. *Buchner.*

3 *Mihi.*] Apud me. Sic Ovid. De trist. *Excusem ne te semper amice mihi.* Gat.

XVI. C. PLINIUS [1] EURITIO SUO S.

Euritium hortatur legere Pompeii scripta, cujus acumen in caussis agendis, & splendorem in historiis, amicissime commendat; versuum leporem admiratur, & epistolas uxoris ejus vetustatem redolentes exosculatur.

AMabam Pompejum Saturninum, hunc dico [2] nostrum: laudabamque ejus ingenium, etiam antequam scirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset; nunc vero totum me tenet, habet, possidetque. Audivi causas agentem [3] acriter & [4] ardenter, nec minus polite, & ornate, sive meditata, sive subita proferret. Adsunt aptæ, crebræque [5] sententiæ, gravis & decora [6] constructio, sonantia verba & [7] antiqua. Omnia hæc

1 *Euritio.*] Sive Euritius (sic enim apud varios authores invenio) vir sanctus, disertus patronus & constans, morum literarumque veterum studiosissimus, præfecturam urbis gessit, bis consul fuit, sub altero ejus consulatu nascitur Severus, qui post imperavit. Ambiguum, an is fuerit, quem multo post tempore interfecit idem Severus ob crudelitatem, cum tamen videre vellet clementissimus: an ejus filius, sicut haud dubie constat ipsum fuisse, ad quem Julianus lib. 1. ff. refert divum Antoninum scripsisse, quanquam ibi pro Euritio Claro, corrupte legatur Euriptio Claro, ut in illis libris multa priscorum nomina sunt inversa. Hæc collecta ex Spartiano, Gellio, & ipso Secundo. *Catan.*

2 *Nostrum.*] Amicum familiarem. Ex quibus adducor, alios fuisse Pompejos Saturninos iisdem temporibus. Vide & Plin. seniorem. *Idem.*

3 *Acriter.*] Cum acrimonia & vehementia, quæ potissimum convenit judicialibus causis. *Idem.*

4 *Ardenter.*] Cum calore & incitatione corporis, ut solet fieri in contentione. *Idem.*

5 *Sententiæ.*] Sententia varie apud oratores accipitur, cum sc. ex scripto & sententia nascitur controversia, ubi videtur scriptoris voluntas cum scripto dissentire, de qua sanè non loquitur Cæcilius: ut nec de qua Fabius in instit. Sunt & sententiæ *translativæ*, quas proprie sententias dicimus, quæ nihil habent cum ipsa controversia implicitum, ut sunt juxta Senec. de fortuna, de crudelitate, de seculo, de deliciis. Hoc genus Porcius Latro *supellectilem* vocabat, & M.T. *Sententia*, inquit, *est oratio sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit.* Has igitur Secundus intellexit. sed cum dicit, *crebræ*, à præceptis Cic. discessit, qui in Rhetor. jubet *sententias interponi raro, ut rei actores, non vivendi præceptores videamur esse.* Idem.

6 *Constructio.*] Compositio, ordo verborum. Nam sunt verba verbis quasi coagmentanda. *Idem.*

7 *Antiqua.*] Latina, non peregrina,

hæc mire placent. cum impetu quodam, & [1] fulmine prævehuntur: placent si [2] retractentur. Senties quod ego quum orationes ejus in manus sumpseris, quas facile cuilibet veterum, quorum est æmulus, comparabis. Idem tamen in historia tibi magis satisfaciet vel [3] brevitate, vel [4] luce, vel [5] suavitate, vel splendore, etiam & [6] sublimitate narrandi. Nam in [7] concionibus eadem, quæ in orationibus, vis est: pressior tamen, & circumscriptior & [8] adductior. Præterea facit versus, quales Catullus [9] meus aut [10] Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritu-

neque tamen obsoleta vetustate. In verbis intuenda est elocutio, in rebus inventio, in utrisque collocatio. *Cat.*

1 *Fulmine.*] Id Magis placet, quam *flumine*, ex antiquo codice, ad hæc paulo post Periclem laudat oratorem, quòd fulguraret, tonaret, &c. quanquam non inconvenienter legetur, *flumine*, id est copia, propter sequentia. *Idem. Flumine.*] Sic malui cum vetusta editione & Pal. quæ & præterea habent *pervehuntur*. Recentiores habent *fulmine*, non quidem absurde, minus tamen accommodate. *Grut.*

2 *Si retractentur.*] Sc. illo impetu, sicque supervacua amputentur. *Catan.*

3 *Brevitate.*] Victorino sic præcipiente; quod quidem Tacitus observavit, nisi electa, & ad exemplum pertinentia tradens. *Idem.*

4 *Luce.*] Fit lucida historia, si causas ob quas mirabilia, præterque opinionem publicam opera perfecta sunt, explicuerimus. *Idem.*

5 *Suavitate.*] Quæ fit, si verbis liberioribus, & remotioribus figuris narrandi tædium vitabimus. Suavitatem magis, quam dulcedinem commendat Macrobius. Et Homerus *mel dulce, & vinum suave* vocat. Id pertinere ad historicum confirmat M.T. *Xenophontis ore musas esse locutas* existimans. *Idem.*

6 *Sublimitate.*] Sic audaces sententias miramur in Tacito, sicut bellicum canorem in Thucydide, auctore Cicer. *Idem.*

7 *Concionibus.*] Quibus utuntur historici. Concio idem significat, quòd apud Græcos ἀγορά. locus est in quem populus convenit ad audiendum, ipsa multitudinis congregatio & oratio. *Idem.* Conf. *Gell. lib.* XVIII. *c.* 7.

8 *Adductior.*] Compendiosior. Non enim latius evagatur, neque digressionibus gaudet. *Catan.*

9 *Meus.*] Scio in aliquibus exempl. non legi *meus*, sed sanè legatur, & dicamus meum vocasse, quod ejus hendecasyllabo caperetur. An, sicut paulò antè, Brixiam suam appellavit, quòd patriam Veronam habeat: sic Plinius avunculus Catullum suum conterraneum appellat. Fuit hic etiam poëtarum mundissimus & elegantissimus, plurimum leporis & gratiæ scribendo adeptus. *Idem.*

10 *Calvus.*] C. Licinius Calvus, qui in adolescentia excessit eruditior Curione: tum etiam accuratius quoddam dicendi attulit genus, quod quanquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdit, atque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis, & attente audientibus, erat illustris: à multitudine & à foro, cui nata eloquentia est, devorabatur, &c. Tradit Seneca, eum

[1] amaritudinis, amoris inserit! sane, sed data opera molliusculos [2] leviusculosque, duriusculos quosdam: & hoc, [3] quasi Catullus meus aut Calvus. Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat. [4] Plautum, vel Terentium metro solutum legi credidi, quæ sive uxoris sunt ut affirmat sive ipsius, ut negat, pari gloria dignus est, qui aut illa componat, aut uxorem, quam virginem accepit, tam [5] doctam, [6] politamque reddiderit. [7] Est ergo mecum per diem totum, eundem antequam scribam, eundem quum scripsi, eundem etiam, quum remittor, non tanquam [8] eundem lego. Quod te quoque, ut facias & hortos

eum habuisse iniquissimam litem de de principatu eloquentiæ: quare Fabius memorat invenisse qui Calvum præferrent omnibus oratoribus, & qui contra crederent: sed sanctam, & brevem orationem, & castigatam in eo fuisse, & frequenter vehementem, imitatoremque Atticorum. compositionem ejus in actionibus ad exemplum Demosthenis rigere, nihil in illa placidum, omnia & excitata & fluctuantia. Usque eo violentus accusator & concitatus fuit, ut in media actione ejus surgeret Vatinius reus, & exclamaret: *rogo, vos judices, nunquid si iste disertus est, ideo me damnari oportet?* Vid. de hoc pl. Plin. Tranq. in Cæsar. & Ovid. Quintiliam amicam ex Propertio adamavit. memini etiam legisse *Bibaculum* pro Calvo in quibusdam codicibus, quem scimus jamborum acerbum poëtam fuisse. *Cat.*

1 *Amaritudinis.*] Notando vitia, & infelices casus scribendo. *Idem.* Intelligit aculeos, quibus pungit. *Gron.*

2 *Leviusculos.*] Hoc Martialis comprobasse videtur:

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit Avite liber. Catan.

3 *Quasi Catullus.*] Ad imitationem Catulli, quem Plin. in præfat. Naturalis hist. composuisse versus, duriores quam natura carminis pateretur, asserit, utens nempe in primo hendecasyllabi pede jambo. Verum Terentianus testatur, jambum & trochæum in primo hendecasyllabi pede rectè poni. *Idem.*

4 *Plautum vel, &c.*] Plautinas vel Terentianas crederem. Nam solvi metrum dicitur quando redigitur in orationem pedestrem. Videtur tamen imitatio Tulliana, apud quem scriptum De oratore perfecto est: *Equidem cum audio socrum meam Læliam, sic audio, ut Plautum mihi aut Nævium videar audire.* Idem.

5 *Doctam.*] De doctis & claris mulieribus vid. Ælian. Var. hist. l. XIV. c. 45. ubi recenset ex Græcis Penelopen, Alcestin & Protesilai; ex Romanis imprimis Portiam & Cestiliam. Hanc tamen ὑϖαλλαν *Vestiliam* vocat *Doctiss. Schefferus* in notis, cum Cestilia ignota, hæc verò Clarissimorum apud Rom. civium fuerit. Vid. Plin. Sen. lib. VII. c. 5.

6 *Politamque.*] Perfectam. Omnes enim perfectiones antiqui politiones dicebant. *Catan.*

7 *Est ergo.*] Scripta ejus in manibus habeo. *Gron.*

8 *Eundem.*] Semper enim aliquid novi in illo invenio. *Catan.*

hortor & moneo: [1] neque enim debet operibus ejus obesse, quod vivit. An si inter eos quos nunquam vidimus floruisset, non solum libros ejus, verum etiam [2] imagines conquireremus: ejusdem nunc honor præsentis & gratia quasi satietate languescet? At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti: nec laudare tantum, verum etiam amare contingit. *Vale.*

XVII. C. PLINIUS [3] CORN. TITIANO SUO S.

Commendat Titianum Capitonem, quod consensu Imperatoris L. Syllano statuam posuerit, & clarorum virorum imagines domi habeat.

EST adhuc curæ hominibus fides & [4] officium. Sunt, qui

1 *Neque enim, &c.*] Nam viventes comitatur invidia. Hinc Martial.

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis.

Idem. Sensus igitur est; non debent ideo opera ejus non legi, quia recentia sunt, nullumque, superstite adhuc auctore, à vetustate pondus habent. Multi enim nonnisi auctores veteres & mirabantur & legebant, neglectis contemtisque seculi sui Scriptoribus: quam rationem Plinius noster & hîc & alibi perstringit. *Buchner.*

2 *Imagines.*] Scriptorum imagines, inventore Asinio Pollione, solebant in bibliothecis locare, & quæ non erant, fingebantur. *Plinius Senior.*

3 *Corn. Titiano.*] Varia exemplaria diversimode ad quem scripta sit epistola ostendunt. Quædam Icciano, alia Riciano: nonnulla Cythiano, aliqua Titiano. Magis approbo Titiano cujus nominis crebra fit mentio ab historicis, qui res illorum temporum scripserunt, ut omittam Tacitum & Tranq. Lucianus & Spartianus Titiani meminere. Ad eundem quoque libro VIII. scribit Cæcilius. *Catan.*

4 *Officium.*] Dictum, authore Donato, quasi efficium, ab efficiendo, eo quod quæritur quid efficere in eo unumquemque conveniat pro conditione personarum. De officiorum ordine lib. v. cap. 13. Gell. multa disseruit, & Seneca De benefic. non satis probat illorum sententiam, qui ita distinguunt, quædam beneficia esse, quædam officia, quædam ministeria. Asconius, officium ad virtutem pertinere dicit: quod sane convenit huic loco. Seneca aliquando videtur officio pro magistratu usus, *Sexagesimus*, inquit, *annus ab officio me dimittet.* Hinc Apulejus officialem deduxit, pro eo qui magistratum gereret, vel potius pro lictore. Et Pollio palatina officia: ac Lampridius, in animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare. *Idem.*

5 *Amicus*

qui defunctorum quoque [1] amicos agant. [2] Titinius Capito ab Imperatore nostro impetravit, ut sibi liceret statuam [3] L. Syllani in foro ponere. Pulchrum, & magna laude dignum amicitia principis [4] in hoc uti, quantumque gratia valeas, aliorum honoribus experiri. Est omnino Capitoni in usu, claros viros colere. mirum est, qua religione, quo studio imagines [5] Brutorum, [6] Cassiorum, [7] Catonum domi, [8] ubi potest, habeat. Idem clarissimi cujus-

1 *Amicos agant.*] Servent amicitiam etiam in mortuos. In re non dispari laudatur Melior apud Martialem. *Catan.*

2 *Titinius.*] Titinnii Capitonis bis factam memoriam apud Plin. invenies: & Lactantius in Div. instit. tradit, Titinnium Capitonem scripsisse spectaculorum libros. Et alibi Plinius Titinium Capitonem commendat, quod studiosos amaret, studia coleret, &c. Nam exitus virorum illustrium scribebat Capito. Lucium Capitonem historicum Suidas refert. Capitonem poëtam citat Athenæus, sed Alexandrinum fuisse meminit. *Idem.*

3 *L. Syllani.*] Duos L. Syllanos viros claros tradunt historici. Alterum insignem triumphalibus ornamentis, & gladiatorii muneris magnificentia, alterum eximia nobilitate, disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus, ad omnem claritudinem sublatum Nero senatu movit, ac municipio Apuliæ, cui nomen est Barium, clausum, Centurio jussu imperatoris tanquam in pugna, quanquam inermem obnitentem, confecit. Hunc potius intelligo, cui potuit cum Titinio fuisse amicitia. *Idem.*

4 *In hoc.*] In amicis defunctis exornandis. *Idem.*

5 *Brutorum.*] Scio multos Brutos esse, sed hic præcipue intelligi L. Brutum, qui Tarquiniis expulsus libertatem Romanis asseruit: item L. Brutum plebejum, cujus consilio populus tribunos plebis à patribus impetravit. item D. & M. Brutos, inter principes conjuratorum in necem Cæsaris dictatoris. *Idem.*

6 *Cassiorum.*] Occurrit agmen Cassiorum, tum rebus bellicis, tum doctrina & juris scientia præstantium. Sed hîc tyrannorum interfectores audiendos imprimis opinor, qualis C. Cassius Julii Cæsaris, & Cassius Chærea Caligulæ, interfectores, de quibus Juven. satyr. v. Legimus apud Tranq. quendam historicum ultimos Romanorum appellasse Brutum & Cassium: & Athenienses decrevisse statuas æreas Bruto & Cassio, tanquam libertatis propugnatoribus, juxta Harmod. & Aristogitona. *Idem.*

7 *Catonum.*] Censorini & Uticensis. Fuerunt & alii, sed obscuriores, quos Gellius libro XII. sigillatim numerat. *Idem.*

8 *Ubi potest.*] Nam in loco publico tyrannicidarum statuas ponere non licet, eas tamen domi, ubi potest, habet, quia difficulter inveniebantur. Nam Caligula Romanorum fax statuas virorum illustrium ab Augusto in Martium campum collatas ita disiecit, ut restitui salvis titulis non valuerint. Et legimus Cassium damnatum, quod Cassii effigiem domi haberet. An, *ubi potest.*] Quando potest, quia non licebat ponere statuam in foro alicui sine nutu Imperatoris. *Idem.* Interim iis, qui magistratus curales gessissent, imaginem sui licebat; quales fuerunt, primum Ædiles curules, Prætores, Censores & Consules. Quibus post adjuncti sunt Patricii.

cujusque vitam egregiis carminibus exornat. Scias ipsum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat. [1] Redditus est L. Syllano debitus honor, cujus immortalitati Capito prospexit pariter, & suæ. Neque enim magis decorum & insigne est, [2] statuam in foro populi Romani habere, quam ponere. *Vale.*

XVIII. C. PLINIUS [3] TRANQUILLO SUO S.

Deterritum Tranquillum, ne, quam acturus erat, causam, diceret, exemplo sui monet agendam: quod si veretur, saltem pollicetur operam suam, ut in aliud tempus transferatur.

SCribis te perterritum somnio, vereri ne quid adversi in actione patiaris. Rogas, ut dilationem petam, & pauculos dies: certe proximum excusem difficile est, sed experiar: [4] καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Refert tamen, even-

1 *Redditus.*] Vel *restitutus*, cum olim statua ei fuisset data, sed postea disjecta. *Catan.*

2 *Statuam, &c.*] Prius effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa, ex membris ipsorum similitudine expressa. excepta deinde res à toto terrarum orbe humanissima ambitione, & jam fori ornamentum statuæ esse cœperunt, prorogarique memoria hominum, & honores legi, & basibus inscribi, mox forum & in domibus factum, atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos. *Id.* Hinc postea mos obtinuit, ut statuę, principum imprimis essent ad eas confugientibus *asylum*; qua de re JC. l. 11. *De his qui sui, vel al. juris sunt.* l. 1. De off. præf. Urb. vide *Torrent.* & exemplum apud Suet. in Tib. Ner. cap. 53.

3 *Suetonius Tranquillus.*] Scriptor historiæ emendatissimus, & candidissimus, sub Adriano epistolarum magister fuit. Vir, Secundi judicio, honestissimus, & eruditissimus, quem ob morum elegantiam, & studia, in contubernium assumpsit, & ardenter dilexit: cui, quod parum felix in prole esset, jus trium natorum ab imperatore Trajano impetravit. In summa, sicut Tacitum Secundus, ita Tranquillus Secundum suspexit, & magistro usus est. *Catan.* Vitam quod spectat, ipse fere describit, vide Avum *lib.* IV. *in Calig. de ponte Cajano*, Patrem *lib.* VII. *in Othone, de pugna Bebriacensi*, adolescentiæ tempora *lib.* VIII. *in Domit. de fisco judaico c.* 12. *& pluribus Ælium Spartianum in Adriani vita.* Elogia librorum vid. apud *Joh. Saresberiens. in nugis curialium l.* VIII. *c.* 18. *Flav. Vopisc. Julium Capitolinum in Maximo & alios.*

4 Καὶ γὰρ τ', &c.] *Nam somnium ex Jove est.* Sic enim scripserat Suetonius Secundo ex Homer. Il. α ubi prout illum intellexisse, vel γὰρ τὶ ὄναρ, vel γάρ τε ὄναρ, vel γάρ τι ὄναρ (quod minus placet) existimabimus, ita vel generaliter quævis somnia, vel quædam tantum ab Jove esse, illum dicere existi-

[1]eventura soleas, an contraria somniare. Mihi reputanti somnium meum, istud quod times tu, egregiam actionem portendere videtur. Susceperam causam [2] Julii Pastoris cum mihi quiescenti visa est [3] socrus mea advoluta genibus, ne agerem, obsecrare. Et eram acturus [4] adolescentulus adhuc: eram [5] in quadruplici judicio: eram contra potentissimos civitatis, atque etiam Cæsaris amicos: quæ singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant. Egi tamen [6] λογισάμενος illud,

[7] Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

Nam

existimabimus. Quidam interpretantur Hoc somnium. *Steph.*

1 *Eventura.*] Vera somnia, quæ à Jove fieri creduntur, teste Servio l. VI. Æneid. Macrobius ὄνειρον dicit, quod tegit figuris & velut ambagibus. *Cat.*

2 *Julii Pastoris.*] In ejus conspectu testatur Seneca, C. Cæsarem filium eius occidisse, apud quem etiam fit mentio *Pastoris*, *declamatoris*. Crediderim Cæcilium sensisse Pastorem, ad quem lib. IX. scripsit Mart. In quibusdam exempl. non *Julii* sed *Junii* legitur. *Idem.* Prius haud aliter Pal. noster. *Gruterus.*

3 *Socrus.*] Pompeja Celerina. *Catan.*

4 *Adolescentulus adhuc.*] Nam XXI. ætatis anno dicere in foro cœpit. *Idem.*

5 *In quadruplici judicio.*] In centumvirali. Alibi hic locus declaratur, *quadruplici*, inquit, *judicio bona paterna repetebat.* Sedebant judices centum & octoginta, tot enim quatuor consiliis conscribuntur. Nam de una re basilica Julia fiebant quatuor judicia apud totidem tribunalia. Vid. & lib. IV. unde Fabius Trachali oratoris vocem commendans XII. lib. *certe*, scribit, *cum in basilica Julia diceret Trachalus primo tribunali: quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, &c.* Dicta sunt centumviralia judicia à centumviris secundum Festum. Nam cum essent Romæ XXXV. Tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi, & licet quinque amplius fuerint, tamen quo facilius nominatentur, centumviri sunt appellati: dein procedente tempore aucti usque ad centum octoginta, servata semper priori appellatione. Postea à Vespasiano electi, qui judicia centumviralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum. Fuerunt institutæ centumvirales causæ à Cor. Sylla, Carbone oratore agente admodum juvene, authores sunt M. T. & Pomponius. *Idem.* Vide pl. Turnebum l. IV. advers. c. 3. *Buchner.* & Sueton. ad Octav. Aug. cap. XXXII. & ibi *Torrent.*

6 Λογισάμενος.] Considerans, reputans. *Catan.* & *Steph.*

7 Εἷς οἰωνὸς, &c.] *Unum augurium optimum, pugnare pro patria.* Sententia simplex, quam Aphthonius in suis Præexercitamentis recitat, & M. T. ad Attic. citat. Lucianus Homero ascribit, nam est lib. XII. Iliad. Athenæus Metagenis comici recognoscit, tantum mutata ultima dictione ab Ulpian. interlocutore pro commodo suo: εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ δείπνου. Non dissimile Hom. illud ex lib. XV. Iliad. οὔ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης τεθνάμεν. *Non illi indecens pugnanti pro patria mori*, quod in suis carminibus ita transtulit Horat.

[1] Nam mihi patria, & si quid charius patria, fides videbatur. prospere cessit: atque ideo illa actio mihi aures hominum, illa januam famæ patefecit. Proinde dispice, an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas: aut, si tutius putas illud cautissimi cujusque præceptum. Quod dubitas ne feceris; idipsum rescribe. Ego aliquam [2] stropham inveniam, agamque causam tuam, ut ipsam agere, cum tu voles, possis. Est enim sane alia ratio tua, alia mea fuit. Nam judicium centumvirale differri nullo modo, istud ægre quidem, sed tamen potest, *Vale.*

XIX. C. PLINIUS [3] ROMANO FIRMO SUO S.

Firmo pro liberalitate sua dono promittit trecenta sestertia ad explendum censum equestrem.

[4] MUniceps tu meus, & condiscipulus, & ab ineunte ætate contubernalis: pater tuus & matri, & [5] avunculo meo, mihi etiam quantum ætatis [6] diversitas

Dulce & decorum est, pro patria mori. *Catan.* Bono igitur augurio & bonis avibus pugnat, quisque pugnat pro patria. *Stephan.*

1 *Nam mihi patria, &c.*] Sensus est: fides quam dederam Julio Pastori, videbatur mihi esse patria, si quid tamen mihi carius est patria. Perinde est, ac si diceret, nihil amo supra patriam. *Catan.* *Et si quid.*] Sic & liber Neustetteri, nec non vetus editio. Nuperiores: *etsi quid carius patria?* minus venuste. *Grut.*

2 *Stropham.*] Excusationem dolosam ἀπὸ τοῦ στρέφαι. hac dictione usus sæpe Mart. ut & Prudent. *impune tantas furcifer strophas.* Catan. Sic Hieron. contra Rufin. *vis scire totas argutiarum tuarum Strophas.*

3 *Romano Firmo.*] Hunc Firmum sub Antonino imperatore memorat fuisse Modestinus. alios insuper Firmos recitant, Tacitus & Secundus. (Firminum præterea lego in memoriis Comensium.) *Catan.*

4 *Municeps tu meus.*] Sic est à veteribus cusis, quos firmat Palatinus, & ratio. Nuper cusi: *Municeps tuus, &c,* quod respuit nexus verborum. *Gruterus.*

5 *Avunculo.*] C. Plinio Secundo historico, cui per adoptionem factus est Cæcilius filius, multum ista confirmant opinionem, qui scripsere Plinium avunculum fuisse Novocomensem *Catan.*

6 *Diversitas.*] Magis enim par parem delectat, secundum Græcum proverb. ἧλιξ ἥλικα τέρπει. *Idem.*

3 Con-

tas passa est, familiaris: magnæ & graves causæ, cur suscipere & augere dignitatem tuam debeam. Esse autem tibi [1] centum millium censum, satis indicat, quod apud nos [2] decurio es. Igitur, ut te non decurione solum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas [3] equestres facultates trecenta millia nummûm. Te memorem hujus muneris amicitiæ nostræ diuturnitas spondet. Ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, nisi te scirem sponte facturum, ut dignitate à me data, quam modestissime, ut à me data, utare. Nam solicitius custodiendus est honor, in quo etiam beneficium amici tuendum est. *Vale*.

XX. C. PLI-

1 *Centum millium.*] Nummum. Nam tanti erant mille nummi, quanti unum sestertium: ergo centum millia nummum erant centum sestertia. *Catan.* Decurionum itaque census centum millibus, hoc est, centenis sestertiis æstimabatur. Neque enim Romæ tantum, verum in municipiis quoque dignitates ordinum ad facultatum certum modum restringebantur. Ita, ut nemo eas consequi posset, nisi bona illius & facultates definitam summam implerent: & ordinem adeo amitteret, ea qui decidisset: quod ex Libanii quoque de Patrociniis oratione cognoscimus. *Buchner.*

2 *Decurio.*] Senator in municipio. *Cat.* Vide quæ diximus ad Ep. VIII.

3 *Equestres facultates.*] Censum equitum Romanorum, qui quadringentis sestertiis, constabat. Unde subtiliter illum locum Horat. in Epistol. est executus,

Si quadringentis sex, septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,
Plebs eris. ——

Vid. & Martial. lib. V. Causam hujus exponit Plin. lib. XXXIII. cap. 2. *Cat.* Compendio fere dicebant, *quadringenta*, subint. *millia*. Census vero Senatorius erat *octingenta millia*, ut in Augusto prodit Suet. Nec abs re sane in conferendis magnis illis dignitatibus, census opumque ratio fuit habita. Verissime quippe Tullus apud Dion. Halicarnass. l. IV. Οὐκ ἂν γένοιτο φρόνημα γενναῖον ἐν ἀνδράσιν ἀπορουμένοις τῆς καθ᾽ ἡμέραν ἀναγκαίων: *Nihil generosius potest sapere, qui quotidiani victus penuaria premitur.* Adde, quod majori curæ Remp. habent, quorum & privatim interest, eam esse salvam. *Bernegg.*

XX. C. PLINIUS [1]CORN. TACITO SUO S.

Consulit Corn. Tacitum, an magis probet dicendi genus amplum, in quo profecto vis magna est; an brevius, quod placere cuidam ex disputatione narrat, sibi vero nequaquam.

FRequens mihi disputatio est cum quodam docto homine & perito, cui nihil æque in causis agendis, ut brevitas placet: quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat, alioqui [2] prævaricatio est transire dicenda. Prævaricatio etiam, cursim & breviter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore [3] tractu vis quædam & pondus accedit. Utque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis, quam mora imprimitur. Hîc ille mecum [4] auctoritatibus agit, ac mihi ex græcis orationes [5] Lysiæ ostentat, ex nostris,

1 *Corn. Tacito.*] Eloquentissimus & gravissimus rerum scriptor, tantæ fuit apud posteros authoritatis, ut Tacitus, qui post imperavit, eum parentem suum dixerit, & in omnibus bibliothecis collocarit; ac ne exemplorum raritate interiret, librum per singulos annos decies transcribi à vicorum principibus jusserit; sed nec solerti quidem ista diligentia potuit omnino periculo occurrere. Nam quod extat (proh dolor) mancum, inversum, neque caput, neque pedes habens, ut vix Cornelii majestatem deprehendas. *Catan.*

2 *Prævaricatio.*] Hæc est ab officii sui præscriptione deflexio, sive malitia, sive imprudentia. Unde Marcell. *Prævaricari est vera crimina abscondere.* Nam *prævaricatorem* eum sentimus, qui colludit cum reo, & translativo munere accusandi defungitur, quod proprias probationes dissimularet, falsas excusationes admitteret. Vid. & Ulp. Labeo à varia concertatione tractum ait. Nam qui prævaricatur, ex utraque parte consistit, quinimmo ex adversa. Alii à prætergrediendo. Fabius asserit, nunquam oratoris esse prævaricari; qui prævaricationes fecisse, quive ob accusandum, negociumve cui faciendum pecuniam accepisse judicatus erit, jus accusandi non habet. *Idem.*

3 *Tractu.*] De quo ad Ep. VIII.

4 *Authoritatibus.*] Testimonio veterum oratorum. *Catan.*

5 *Lysiæ.*] Lysias orator Syracusanus Cephali filius, Tisiæ & Niciæ auditor, Socrati reo orationem obtulit qua se defenderet. Subtilis sane oratio atque elegans, & quo nihil, si oratori satis sit dicere, quæras perfectius: nihil enim in illo est inane, nihil accersitum: puro tamen fonti quam magno flumini propior. Habet autem textum tenue atque rarum. maxima in eo est gratia simplicis atque inaffectati coloris, fides summa: scribebat aliis, non ipse dicebat. si ex ejus oratione verbum aliquod demas, mutesve, atque id commodissime facias, de sententia tamen detraxeris; & præter Suidæ, Diogenis, Fabii

[1] nostris, [2] Gracchorum [3] Catonisque, quorum sane plurimæ sunt circumcisæ & breves. Ego Lysiæ [4] Demosthenem, [5] Æschinem, [6] Periclem, multosque præterea; Gra-

...bii & Gellii testimonium, M. Tullius de optimo genere oratorum, tenuem notat Lysiam, quia & privatas, & paruarum rerum causas scripsit, inde jejunior esse videtur. Plato secundum Plutarchum in Lysia inventionem & ordinem improbabat, accusationem & verborum splendorem ac acumen laudabat. *Idem.*

1 *Nostris.*] Latinis oratoribus. *Idem.*

2 *Gracchorum.*] Caji & Tiberii fratrum trib. pl. aperte quantum dicendo uterque valeret, Plutarchus in vitis eorundem ostendit. Præcipuus sui temporis orator fuit *C. Gracchus* Catone sane plenior, & uberior secundum Tacit. & Fab. *Idem.*

3 *Catonis.*] Censorini, quem quamvis non contentum eloquentia sui temporis, & Romanum Demosthenem dictum, Cicero tamen non putat imitandum. Nam omnis generis orationes, & pro se multas, & pro aliis, & in alios reliquit, non solum accusando, sed etiam dicendo fatigans inimicos. Illarum sæpe meminit Gellius; quantum vero præstiterit ingenio circa res gerendas, si quis scire intendit, legat præter Gellium, M. Tul. De oratore lib. III. Liv. in bello Maced. & Plutarch. cum Nepote. *Idem.*

4 *Demosthenem.*] Lysia in dicendo fuit copiosior. De hoc M. Cicero De claris oratoribus egregie agit. Sic & Fabius: *Decem simul Athenis oratores magnos ætas una tulit, quorum longe princeps Demosthenes, &c.* Idem.

5 *Æschinem.*] De hoc idem Fabius, *Demosthene plenior Æschines, & magis fusus, & grandiori similis, quo minus strictus: carnis tamen plus habens, lacertorum minus. in summa, inter Atticos oratores palmam Demostheni, proximum vero locum Æschini tribuerim,* Idem. De Demosthene, & Æschine vide Ælian. lib. VIII. Variar. histor. cap. 12.

6 *Periclem.*] Quidam legunt *Hyperidem*, (nam utrique summi fuerunt oratores) fortasse ducti testimonio Quintiliani lib. XII. scribentis, *Periclis eloquentia nulla ad nos monumenta venisse:* & non multo post: *nihil posteritati mansurisque mox literis reliquisse Periclem.* Hic quo me vertam? cum M. T. lib. II. de Oratore prodiderit, *antiquissimos fere esse, & quorum scripta constent, Periclem & Alcibiadem:* & De claris orator. *ante Periclem neminem mandasse monumentis orationem.* Sed non nostrum, inter duo Latinæ linguæ lumina judicium interponere, cum Lucian. in laudatione Demosth. cum M. T. conveniat. *Hyperides* vero Atheniensis orator postulante Alexandro M. una cum Demosthene, Lycurgo, Charidemo oratoribus, ab Atheniensibus capite damnatur, qui mortis metu urbe cessit: sed eum postea Archias actor tragœdiarum cum in Æginam ad Æacum confugisset, detractum in Cleonas misit, ibique evulsa ab Antipatro lingua, necatus est. Fuit autem orator dulcis imprimis & acutus, sed minoribus causis ut non dixerim utilior, ita magis par in illa oratione, quam admirabiliter egit pro Phryne meretrice. Putant eam liberasse conspectu corporis speciosissimi, quod illa revelaverat deducta tunica. *Catan.* De Pericle, quem cum Callia Hipponi filio, & Nicea Pergaseo prodigalitas & vita voluptuaria ad paupertatem redegerunt, vide Ælian. lib. IV. Var. histor. Cap. 23. quanquam, ut bene *Schefferus* de Pericle Ælianus palam falsus sit. fieri enim potuit, cum hæc scriberet, ut memoria lapsus sit. Conf. & Athenæum.

1 Pellis-

Grachis, & Catoni, [1] Pollionem, [2] Cæsarem, [3] Cælium, & imprimis [4] Marcum Tullium oppono, cujus oratio optima fertur esse, [5] quæ maxima. Et hercule, ut aliæ bonæ res, ita bonus liber [6] quisque melior est, quo major. Vides ut statuas, signa, picturas, hominum denique, multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decoræ, nihil magis, quam amplitudo commendet. Idem orationibus evenit: quin etiam voluminibus ipsis auctoritatem quandam & pulchritudinem adjicit magnitudo. Hæc ille, multaque alia, quæ à me in eandem sententiam solent dici, ut est in disputando incomprehensibilis & lubricus, ita [7] eludit, ut contendat hos ipsos, quorum orationibus nitor, pauciora dixisse, quam ediderint. Ego contra puto. Testes sunt multæ

mul-

1 *Pollionem.*] C. Asinius Pollio Trallianus, philosophus & orator summa diligentia usus, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur. Consilii & animi nitore, & jucunditate Ciceroni proximus, cui & æmulus & infensus fuit: orationibus suis multum urbanitatis, & antiquorum poëtarum inseruit. At Seneca ejus *compositionem* tanquam *salebrosam & exilientem* notat, & ubi minime expectes, *relicturam*. Sic & in prologo Declamationum lib. IV. *Nunquam admissa multitudine declamavit: primus omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit, primus bibliothecam dicando instituit, in ea scriptorum præstantißimorum imagines collocavit.* Hunc Asinius Gallus filius ausus est Ciceroni conferre, & præponere. Adversus Catonem caussas egit. *Catan.*

2 *Cæsarem.*] C. Julius Cæsar summis oratoribus æmulus teste M. Tullio, orationem elegantem, splendidam, magnificamque præ se tulit: sententiis acutus & creber, quod nisi magnitudine rerum gerendarum occupatum divinum ejus ingenium fuisset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. *Idem.* Aristone præceptore usus est, de quo vid. Ælian. hist. Var. l. VIII. cap. 21.

3 *Cælium.*] In hoc maxime laudatur indoles, nitor, & altitudo, & præcipue in accusando multa urbanitas: sed asperitatem, & sordem verborum in eo damnant. Nam hians compositio, & inconditi sensus redolebant antiquitatem. *Catan.*

4 *M. Tullium.*] Quo nemo tam multa oratore, ne in Græco quidem ocio scripsit: vim cujus in dicendo & copiam, à Fabio libro X. & Seneca suasoriarum I. commendatam pluribus, quam ut deceat in commentarios conferre, satis habemus lectorem admonuisse. *Idem.*

5 *Quæ maxima.*] Qualis est pro Cluentio, & pro domo sua apud Pontifices. *Idem.*

6 *Quisque.*] Cum comparativo contra opinionem Laurentii. *Idem.*

7 *Eludit.*] *Subint.* Hæc. frustratur. Cicero in Verrem, *Te vero Cæcili, quemadmodum sit elusurus videre jam videor.* Idem.

1 Maj

multorum orationes, & Cic. pro [1] Murena, pro Vareno: in quibus brevis & nuda quasi [2] subscriptio quorundam criminum solis [3] titulis indicatur. Ex his apparet, illum permulta dixisse, cum [4] ederet, omisisse. Idem pro [5] Cluentio ait, *se totam causam veteri instituto* [6] *solum perorasse*, & pro [7] Cornelio *quatriduo egisse*: ne dubitare possimus, quæ per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa, ac [8] purgata in unum librum, [9] grandem quidem, unum tamen, coarctasse. [10] At aliud est actio bona,

1 *Murena.*] L. Murenam accusavit Cato crimine ambitus, Cicero defendit, absolutus consul creatus est. Extat pro Murena oratio, sicut pro Vareno (cujus sæpe fit mentio apud Fabium) intercidit. *Catan.*

2 *Subscriptio.*] Notatio. *Idem.* Alias clausula epistolæ est. Vide ex *Dione Casaub. ad Sueton. in Tib. Ner.*

3 *Ederet.*] Publicaret. Proprium est spectaculis vocabulum; unde *Editores*, & res ipsa *Editiones*. Lips. Saturnal. 1. c. 7.

4 *Titulis.*] Inscriptionibus brevibus. *Officium scriptoris*, inquit Secundus, *existimo ut titulum suum legat.* Martialis, *Addita per titulos sua nomina rebus habebis.* Est enim titulus, index cujusque operis: unde in statuis & picturis titulum dicimus literas, quæ vel artificis, vel ejus cujus imago est, nomen demonstrant. Sic apud Plin. *Appio Claudio, qui consul cum Servilio fuit, placuisse in excelso titulos honorum legi.* & Livius *insignes imaginum titulos scribit.* Valerius, *Titulus namque datur.* Sed tituli milites etiam appellati, quasi tutuli: quod patriam tuentur. Unde & Titi prænomen ortum. Tituli etiam debitorum nomina dicuntur, præsertim in his debitis, quibus debitorum nomina scripta sunt. *Catan.*

5 *Cluentio.*] A. Cluentius Habitus Larinas per multos annos invidia flagravit, quod per ejus pecuniam Oppianicus innocens condemnatus esset, cumque ideo & aliis criminibus impiæ matris impulsu accusaretur, à Cicerone longissima oratione protectus est. *Idem.*

6 *Solum.*] Veteri instituto poterat orator dicere solus (sine alio patrono) quot horis libuisset. Tacitus, ante Cn. Pompejum consulem neminem intra paucissimas horas perorare coactum, & liberas comperendinationes fuisse, & modum dicendi sibi quemque sumpsisse, & numerum neque dierum neque patronorum cautum. Unde testatur Secundus, Tullium totam actionem pro Cluentio egisse sine auxilio alterius patroni. *Id.*

7 *Cornelio.*] L. Cornelio Balbo, hunc civitate Romana à Cn. Pompejo donatum rebus in Hispania multis præclare gestis judices accusarunt: quod contra leges & fœdera uteretur. *Idem.*

8 *Purgata.*] Fabius, *Quod libris dicatur, & in exemplum redigitur, tersum, ac limatum, & ad legem ac regulam compositum esse oportet, quia veniat in manus doctorum, & judices artis habeat artifices.* Sic quoque Secundus ad Celerem. *Idem.*

9 *Grandem.*] Amplam. Non enim tantum ad ætatem pertinet, sed etiam ad alias res: vid. Senec. & Caton. *Idem.*

10 *At aliud est.*] Proponit, quæ possent objici. Sensus est: quibusdam videri actionem bonam aliud esse, quam orationem. Fabius lib. XII. testatur, bene dicere & bene scribere, idem esse:

noc

bona, aliud oratio. Scio nunnullis ita videri, sed ego ([1] forsitan fallor) persuasum habeo, posse fieri, [2] ut sit actio bona, quæ non sit bona oratio: non posse non bonam actionem esse, quæ sit bona oratio. Est enim oratio actionis exemplar, & quasi [3] ἀρχέτυπον. Ideo in optima quaque mille figuras extemporales invenimus; In his etiam, quas tantum editas scimus, ut in [4] Verrem, *Artificem*, [5] *quemnam? recte admones. Polycletum esse dicebant.* Sequitur ergo, ut actio sit absolutissima, quæ maxime oratio-

nec aliud esse orationem scriptam, quam monumentum actionis habitæ. Est autem actio, *sermo corporis, ex motu ejus & gestu consistens, quo magis menti congruens esse debet.* Hæc M. T. Verum Jurisc. Celsus, *Nihil aliud*, inquit, *est actio, quam jus quod sibi debeatur in judicio persequendi*, & Ulp. de Act. duo earum genera facit. *Catan.*

1 *Forsitan fallor.*] Novitiæ editiones *fallar*; sed alterum restat in Pal. & approbant vetuste cusæ. *Grut.*

2 *Ut sit actio bona, quæ. &c.*] Sic & Pal. & vetus editio, non ut appictum margini editionum recentiorum, *ut sit actio non bona, quæ sit.* Iidem tamen libri nostri habent quoque alia illa: *non posse autem bona actione esse, quæ non sit bona oratio*, quorum nihil admiserunt editiones posteriores. *Idem.*

3 Ἀρχέτυπον.] *Primitivum, & primam formam retinens.* Sic Suidas, & Martialis *nugas archetypas* dixit, manu authoris scriptas. Sic Juven. *archetypos Cleantes, primas Cleantis statuas.* Catan. Metaphoricus hîc usus est: proprius tantum est in imaginibus. Ἀρχέτυπος γραφὴ est apud Phil. de vita M. lib. 3. vide & Luc. in Zeux. Ἀρχετυπία hinc est, *idea.* Dionys. Areop. de coel. Hier.

4 *Verrem.*] Verrinarum genus est admirabile, (quarum primam) quas Ciceronem egisse contra Secundi opinionem testatur Asconius, sed quare prima est de accusatore constituendo, & non directe contra Verrem, sed Cæcilium, uterque autor non est falsus, cum post illud Verres in exilium voluntarium iverit. neque quæ sequuntur actiones à Cic. actæ sint, sed tantum editæ. Sunt autem libri in Verrem emissi, quod prætor in Sicilia totam illam insulam expollasset. *Catanæus.*

5 *Quemnam artificem.*] Verba sunt ex VI. Verrinarum act. *erant*, inquit, *ænea duo signa, non maxima, verum eximia vetustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant.* Canophoræ ipsæ vocabantur, sed earum artificem: *quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant*, cujus sensus: sed quia eas virgines fabricaverat, tanquam si per hæc M. Tullium adversarius interrogaret. *Recte igitur*, inquit, *hoc loco me admones:* dicebatur Polycletus ille optimus statuarius effigiasse. vel ea referantur ad Cicer. interrogantem pragmaticum, vel à quo didicerat causam, quisnam esset artifex, & cum audivisset, esse Polycletum, subjunxerit, *recte admones.* In illis etiam plerunque sunt nuda crimina, qualia illa, Nolite expectare dum ego hoc crimen ostiatim agam: à Terschilo Tindaritano pateram abstulisti: à Thrasone item Tindaritano patellam: à Nymphodoro Agrigentino thuribulum. *Idem.*

1 *Leges.*]

orationis similitudinem expresserit, si modo justum & debitum tempus accipiat: quod si negetur, nulla oratio-nis, maxima judicis culpa est. Adsunt huic opinioni meæ [1] leges, quæ longissima tempora largiuntur, nec brevitatem dicentibus, sed copiam, hoc est diligentiam, suadent: quam præstare nisi in [2] angustissimis causis non potest brevitas. Adjiciam, quod me docuit usus, magister egregius, frequenter egi, frequenter judicavi, frequenter [3] in consilio fui. Aliud alios movet, ac plerumque parvæ res maximas trahunt: varia sunt hominum judicia, [4] variæ voluntates: inde qui eandem causam simul audierunt, sæpe diversum, interdum idem, sed ex diversis animi motibus sentiunt. Præterea suæ quisque inventioni favet, & quasi fortissimum complectitur, quum ab alio dictum est, quod ipse prævidit. Omnibus ergo dandum est aliquid, quod teneant, quod agnoscant. Dixit aliquando mihi Regulus, quum simul adessemus: *Tu omnia, quæ sunt in causa, putas exequenda: ego* [5] *jugulum statim video, hunc premo* (premat sane quod elegit, sed in eligendo frequenter errant.) Respondi, posse fieri,

ut

1 *Leges.*] Consuetudine veterum judiciorum quod nemo intra paucissimas horas perorare coactus sit. Primus consul Cn. Pompejus astrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiæ, & accusatori duas, reo autem tres horas ad dicendum dedit. Cæcilius accusatori sex horas, reo vero novem ex lege datas: ita tamen, ut omnia ex foro, & legibus, omnia apud prætores gererentur. Unde Martialis Cæcilianum irridet, qui contra legem majus temporis spacium impetraverat, cum esset ad dicendum ineptus. Asconius testatur, viginti dies legitimos accusatori, & totidem defensori ad respondendum concessos. *Catan.*

2 *Angustissimis.*] Id est, aridis, non copiosum argumentum præbentibus. *Gronovius.*

3 *In consilio fui.*] Assumptus fui judex extra ordinem pro consultatione rei dubiæ. Nam in consilio esse dicitur aliquis, cum super re ambigua consulitur. M. Tullius, '*Ut haberet in consilio & fratrem.* Catan.

4 *Variæ voluntates.*] Imitatio Persiana,

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Sic & Terentius in Phorm. *Verum ita est, quot homines, tot sententiæ. suus cuique mos.* Idem.

5 *Jugulum.*] Firmissimum argumentum. Nam jugulus in homine maxime letalis: inde per translationem *jugulatum literis* dixit, in Verrem M. Cic. & in Philipp. *Jugulatam causam Pompejanorum*, & Terentianus Davus *Jugulasti hominem verbis.* Idem.

1 Ut

[1] ut genu esset, aut tibia, aut talus, ubi ille jugulum putaret. At ego, (inquam) qui jugulum perspicere non possum omnia pertento, omnia experior, πάντα denique [2] λίθον κινῶ. Utque in agricultura non vineas tantum, verum etiam [3] arbusta; nec arbusta tantum, verum etiam [4] campos curo, & exerceo: utque in ipsis campis non far, aut [5] siliginem solam, sed hordeum, fabam, cæteraque legumina sero; sic in actione plura quasi semina latius spargo, ut quæ provenerint, colligam. Neque enim minus imperspicua, incerta, fallaciaque sunt judicum ingenia, quam tempestatum, terrarumque. Nec me præterit [6] summum oratorem Periclem sic à comico Eupolide laudari,

[7] —— πρὸς δέ γ' αὖ τούτῳ τάχ' ἡ
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν.

Οὕτως

1 *Ut genu esset.*] Lucianus in lib. qui inscribitur *oratorum magistri*, aperte carpens malos oratores, inquit, *non referre ut pro fronte suram, pro sura verticem accipiant*. *Genu* significat partem causæ leviorem. Est enim translatio. *Catan.*

2 Πάντα λίθον κινῶ.] *Omnem lapidem moveo.* Proverbium est, cujus multi meminere. Nicarchus in epigr. πάντα λίθον κινεῖ. Basilius ad Monachos πάντα λίθον, κατὰ τὴν παροιμίαν, κινοῦντες, & qui Græce vitam Augusti scripsit. πάντα λίθον κινῶν, τὸ τῆς παροιμίας. Simile illud πάντα κινήσω πέτρον, quod à Suida pariter scribitur. Ejus originem inde tractam invenio: Polycrati Thebano ementi locum, ubi Mardonius castrametatus fuerat, respondit oraculum, ut inibi foderet, & omnem lapidem moveret, futurum ut magnam auri copiam offenderet. Quidam derivant à venatoribus, qui feras indagantes, magna diligentia omnia perlustrant. *Idem.*

3 *Campos curo.*] Vid. Caton. de re rustica 33.

4 *Arbusta.*] Loca arboribus consita, vel arbores quibus vites maritantur. Vid. Plin. Varron. Columell. & Pallad. *Catan.*

5 *Siliginem.*] Theophrasto & Plinio authoribus, *siligo* genus grani nunquam pariter maturescit, nec ulla segetum minus dilationem patitur propter teneritatem. *Idem.*

6 *Summum oratorem Periclem.*] De cujus dicendi copia, vide M. Tullium, & Val. Max. & pluribus Thucydid. & Plutarch. Hunc asserunt ob eloquentiam cognominatum Olympium. *Idem.* Vide & quæ supra de eo diximus.

7 Πρὸς δέ, &c.] Id est, *ad hoc suadela quædam insidebat labris, adeo demulcebat, & solus rhetorum aculeum relinquebat auditoribus.* Quæ verba Eupolidis, veteris comœdiæ scriptoris sæpe Cicero transtulit ad nos, ut De claris orat. de Pericle scripsit Eupolis: *cum delectatione etiam aculeos relinquebat in animis eorum à quibus esset auditus.* Ac Fabius libro x. quod de Pericle testimonium est, in Platonem transferri potest justissime, in labris ejus sedisse

quan-

Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων,
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Verum huic ipsi Pericli nec illa πειθὼ, nec illud ἐκήλει brevitate, vel velocitate, vel utraque (differunt enim) sine facultate summa contigisset. Nam [1] delectare, [2] persuadere, copiam dicendi spatiumque desiderant: relinquere vero aculeum in audientium animis, is demum potest, qui non [3] pungit, sed [4] infigit. Adde, quæ de eodem

quandam persuadendi deam: sic enim interpretatur πειθώ: quæ sane ab antiquis colebatur. Nam tradit Pausanias, Thebis in Templo Veneris fuisse ejus imaginem, opus Praxitelis: & templum Pithus sine statua. Herodotus lib. VIII. testatur, apud Andrios dixisse Themistoclem duas deas Suadelam, & Necessitatem. Suidas asserit, nihil aliud esse Pithus templum, quam orationem. M. T. cum lib. III. De orat. *leporem* πειθὼ appellasset: De claris orator. idem *suadelam* vocavit, cujus effectorem dicit esse oratorem: quam *Suadam* dixit Ennius. Ejus autem Cethegum medullam fuisse vult, ut quam deam in Periclis labris sedisse, hujus hic medullam Romanum oratorem fuisse dixerit: alii Flexanimam & dicendi præsidem. Horatius etiam poëticam mellam vocavit: adde Cebetem. Syracusium quendam Apollonius Pithonem appellabat, oratione sua persuadere conantem: de quo Philostratus lib. VII. *Catan.* Pro his:

--- Πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει,

(Quam lectionem suspectam reddebat & τάχει, cujus significatio non apta est huic loco, & articulus non conveniens cum τις, quod sequitur) legitur etiam πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει quam lectionem sequi omnino oportere, ostendunt hæc quæ proxime præcedunt verba, ταχὺς λέγειν μέν. Initium enim hujus loci, est hoc apud scholiasten Aristophanis, ex Eupolidis δήμοις:

Κράτιστος οὗτος ἐγένετ' ἀνθρώπων λέγειν,
Ὁπότε παρέλθοι; ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς,
Ἐκ δέκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
Ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπ. &c.

Atque ibi legitur etiam ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσι: quam lectionem habet & Diod. Siculus, lib. XII. p. 307. Sed eundem sensum utraque lectio efficit: illud autem τάχει quod altera lectio habet, agnoscitur à Plinio, quum scribit: Verum huic ipsi Pericli nec illa πειθὼ, nec illud ἐκήλει, brevitate, &c. *Stephanus*.

1 *Delectare.*] Quod includit in se floridum dicendi genus: est præcipue procemii proprium. *Catan.*

2 *Persuadere.*] Persuademus grandi & robusto genere dicendi, authore Quintil. præsertim argumentis tam ex arte, quam sine. Hujus loci sunt confirmatio & refutatio, ac peroratio, quamvis etiam & secundum rhetores, in narratione debeamus persuadere. *Idem.*

3 *Pungit.*] Leviter tangit, & brevibus agit. *Idem.*

4 *Infigit.*] Multis immoratur, & suadet. *Idem.*

E 1 Comi-

dem Pericle [1] comicus alter;

[2] Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Non enim amputata oratio & abscissa, sed lata, & magnifica, & excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. [3] Optimus tamen modus est, quis negat? sed non minus non servat modum, qui infra rem quam qui supra: qui adstrictius, quam qui effusius dicit. [4] Itaque audis frequenter, ut illud immodice & redundanter, ita hoc jejune & [5] infirme. Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse: æque uterque, sed ille imbecillitate, [6] hic viribus peccat. quod certe etsi non limatioris, majoris tamen ingenii [7] vitium est. Nec vero

cum

1 *Comicus alter.*] Is est Aristophanes pariter comœdiæ veteris scriptor. *Cat.*

2 Ἤστραπτ', *&c.*] *Fulgurabat, tonabat, perturbabat totam Græciam.* Et aliter ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τε πάντα *Fulgurabat, tonabat, & convolvebat omnia.* M. Tullius De perfecto orat. *nunquam*, inquit, *ab Aristophane poëta fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus esset Pericles, si tenui genere usus fuisset.* Sic & Fabius lib. XII. & Martianus, ubi de rhetorica agit. *At vero quid cum commotus publici nominis attestatione clamaverat? fulgurare, permiscere, ardere omnia videbantur, quod adeo illi placuit, ut repetat hæc cum in progressu arma concusserat, veluti fulgoreæ nubis fragore colliso, bombis dissultantibus fracta diceres crepitare tonitrua: denique creditum, quod instar Jovis posset etiam fulmina jaculari: hanc totam fere Græciam miscuisse ferebant.* Unde quidam apud Secundum pro ἑλλάδα legunt πάντα. Iisdem fere verbis Suidas de Salmoneo utitur, ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὰς τῶν ὑπηκόων ψυχὰς, *id est, fulgurabat, tonabat, perturbabat subditorum animos.* Cat. Præcedit autem nominativus Περικλέης οὐλύμπιος. *Steph.*

3 *Optimus, &c.*] Respondet quæ possent objici, tenendum esse modum in oratione, ne sit nimium redundans. *Catan.*

4 *Itaque audis.*] Recentiores: *itaque quod audis, &c.* sed illam vocem non reperies in vet. edit. nec in Pal. *Gruter.*

5 *Infirme.*] Infra causam. Unde M. T. de perfecto orat. utrumque genus improbat, *Meæ*, inquit, *aures & perfecto completoque verborum ambitu gaudent, nec curta sentiunt, nec amant redundantia.* Nam copia, auctore Fabio, modum habet, sine quo nihil nec laudabile, nec salutare est. Hinc De claris orat. tradit Cic. *Apollonium Molonem summum oratorem dedisse operam, ut nimis redundantem, & superfluentem juvenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quasi extra ripas diffluentem coërceret.* Catan.

6 *Hic.*] Adverte, *hic & ille*, positum à Secundo contra multorum usum, apud quos, *ille* respicit longiora, *hic* propinquiora. Sunt tamen probati, qui similiter utuntur. *Idem.*

7 *Vitium.*] Peccatum, sed quod peccatum majus in eo ingenium esse indicet. Hinc aliqui *indicium* legunt, quod magis probo. Nullum enim ingenium limatum, eo quod est limatum vitiosum est. *Idem.* Veteres tamen istud præferunt. *Gruter.*

1 *Illum*

cum hæc dico, [1] illum Homericum ἀμετροεπῆ probo, sed [2] hunc,

[3] Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν:

non quia non & [4] ille mihi validissime placeat, [5] παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Si tamen detur electio, illam orationem similem nivibus hybernis, id est, crebram, assiduam & largam, postremo divinam & cœlestem volo. At est gratior [6] multis actio brevis. Est quidem; sed inertibus, quorum delicias desidiamque, quasi [7] judicium, respicere ridiculum est. Nam si hos in consilio habeas, non solum satius est breviter dicere, sed omnino non dicere. Hæc est adhuc [8] sententia mea, quam mutabo, si dissen-

1 *Illum Homericum.*] Scil. versum ex secundo Iliados, Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα, Ὃς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη Μάψ. *Thersites autem adhuc solus sine verborum mensura tumultuabat. qui certe verba mentibus suis incomposita, multaque noverat frustra.* Cat.

2 *Hunc.*] Ex tertio Iliadis in laudem Ulyssis. *Idem.*

3 Καὶ ἔπεα, &c] *Et verba nivibus similia hyemalibus*. nam ejus oratio copiose fluebat instar nivium. M. Tull. De claris orat. vim dicendi tradit assignatam Ulyssi ab Homero. *Idem* Sed nota, νιφὰς (pro quo in soluta oratione potius dicitur νιφετὸς) non nivem simpliciter, sed imbrem quendam nivalem significat. Cæterum male (ut opinor) pronomina *Illum* & *Hunc* ad versus Homeri referuntur, debentque illud ad *Thersitem*, hoc ad *Ulyssem* referri. Sed crediderim Plinium versum etiam qui hunc proxime procedit attulisse, quum alioqui non sit verbum à quo pendeant illi accusativi, ἔπεα ἱείη. *Steph.*

4 *Ille.*] Versus super oratione Menelai ex eodem Iliadis. *Catan.*

5 Παῦρα, &c.] *Pauca quidem, sed valde acriter*: quia non multiloquus erat. de quo Cic. *Menelaum dulcem illum quidem refert Homerus, sed pauca dicentem.* Brevitas laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. Omisit Secundus tertium dicendi genus, ab eodem poëta sub oratione Nestoris designatum. Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητὴς Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. *Suaviloquus surrexit acer Pyliorum concionator: cujus etiam à lingua melle dulcior fluebat vox.* Quod & asserit Cic. & Plutarch. pleraque Homeri exponens, *Nestorem refert suaviloquum introduci & gratum: Menelaum brevem, & elegantem, necessaria perorantem: Ulyssem vehementem, & copiosum.* Vid. & Quintil. *Idem.* Λιγέως.] Quidam hoc explicant, *acriter*, quidam *Canore.* Illam significationem hoc adverbium non habet, quod sciam: istam habet sed non hoc loco. Explica igitur *argute.* Steph.

6 *Multis.*] Vulgaribus, idiotis. more Græco. *Catan.*

7 *Judicium respicere.*] Velle dicere, illos habere judicium in eloquentia. *Idem.*

8 *Hæc sententia.*] Orationem debere esse copiosam. *Idem.*

diſſenſeris tu; Sed plane cur diſſentias, explices rogo. Quamvis enim cedere auctoritate tuæ debeam, rectius tamen arbitror in tanta re, ratione quam auctoritate ſuperari. Proinde, ſi non errare videor, id ipſum quam voles brevi epiſtola, ſed tamen ſcribe: [1] confirmabis enim judicium meum; [2] ſi vero errare, longiſſimam para. [3] Non corrupi te, qui tibi, ſi mihi accederes, brevis epiſtolæ neceſſitatem; ſi diſſentires, longiſſimæ, impoſui. *Vale.*

XXI. C. PLINIUS [4] PATERNO SUO S.

Commendat ſervos judicio Paterni emptos eſſe decoros: ſupereſſe ut ſint frugi.

UT animi tui judicio, ſic oculorum plurimum tribuo: non quia multum, [5] ne tibi placeas, ſed quia tantum quantum ego, ſapis: quanquam hoc quoque [6] multum eſt. Omiſſis jocis, credo [7] decentes eſſe ſervos, qui ſunt empti mihi ex conſilio tuo: ſupereſt ut [8] frugi ſint: quod

1 *Confirmabis.*] Non improbem *confirmaveris*, quomodo Pal. & Vet. edit. *Grut.*

2 *Si errare.*] Subint. *Videor*: alia lectio, *ſi erravero*, placet ſuperior. *Catan.* Non legit *errare* Boxh.

3 *Non corrupi te.*] Imponendo neceſſitatem longioris epiſtolæ, ſi diſſentires, & brevem approbando, ſi mecum ſentires. Alii legunt *num.* Solent enim plerunque vel nimium occupati amico ſententiam facile concedere, ne, ſi ſecus ſenſerint, cogantur animum intendere refellendo. *Idem.* Sic etiam ora editionum hujus ævis nec aliter Pal. *Grut.* *Nam* habet Jenenſis.

4 *Paterno.*] Vel Materno ſcriptam in variis exemplaribus notatur. Paternum Præfectum Prætorii à Commodo trucidatum legimus. Dion Maternum militem ſcribit. Utriuſque meminit Martial. ut lib. x.

Municipi Materne tuo veterique ſodali,

Et XII. ditiſſimum oſtendit Paternum,

Nummi cum tibi ſint opeſque tantæ,
Quantas civis habet Paterne rarus.

Dion refert Domitianum occidiſſe Paternum Declamatorem, quod contra tyrannos declamaſſet. Et de re militari ſcripſiſſe Paternum tradit [illegible]anus Juriſc. ac Julium Maternum nominat Ulp. *Catan.*

5 *Ne tibi placeas.*] Ne ſurgant tibi in vertice criſtæ ex laudatione Martialis,

Ne tibi regali placeas Cleopatra ſepulchro.

6 *Multum eſt.*] Sapere quantum ego. Jocatur cum amico. *Catan.*

7 *Decentes.*] Sic & Jenenſ. & editio Boxh. aliæ habent *decenteis.*

8 *Frugi.*] Utiles, neceſſarii: hinc deductum frugalitatis vocabulum putat Quintil. quod fruges humano generi ſint neceſſariæ. Author eſt M. T. frugi hominem ſignificare non ſolum utilem,

quod de venalibus, melius [1]auribus, quam oculis judicatur. *Vale.*

XXII. C. PLINIUS [2]CATILIO SEVERO SUO S.

Reddit causas Catilio suo tam diutinæ in urbe moræ, quod Titius Ariston, (cujus peritiam juris ita laudat, ut admiretur) gravi valetudine premeretur, quod si Deus (sic medici spondebant) meliora annuisset, se statim Laurentinum suum ad ocium literarum petiturum, scribit.

DIu jam in urbe hæreo, & quidem [3]attonitus. Perturbat me longa & pertinax valetudo [4]Titi Aristonis, quem singulariter & miror & diligo. Nihil est enim illo gravius, sanctius, doctius, ut mihi non unus homo sed literæ ipsæ omnesque bonæ artes in [5]uno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus ille & [6]privati

utilem, sed moderatum & temperantem & parcum. ac in Epistolis ad Attic. referri ad servos & libertinos. quod cognomen in L. Pisone maxime laudatum fuit. quanquam idem pro Deiotari frugalitatis verbo laudari Regem non solere dicat: & frugi hominem non multum habere laudis in Rege. *Catan.*

1 *Auribus.*] Dum loquuntur. Potest allusisse ad Æsopum deformem qui ob scommata emptus potiusquam cæteri formosissimi. An *auribus*, si male audiant an bene. *Idem.*

2 *Catilio Severo.*] Hic à Trajano Consul, iterum ab Adriano creatus, dein Syriæ præpositus, mox præfectus urbis sub eodem, cum Antonini Pii, adoptionem factam doluisset, re prodita quo sibi imperium præpararet, accepto successore dignitate privatus est: prius tamen graviter ab Imperatore objurgatus. Fuit autem Catilius maternus proavus Antonini Philosophi, qui postea imperavit; Etsi sciam apud Spartianum, Catalium scribi, & paulo post Attilium. Ac JCtus Florentinus, & postea Justinianus in Instit. prodiderunt *Statilio Severo* divum Adrianum rescripsisse. *Idem.*

3 *Attonitus.*] Mentis inops. Nam attonitus proprie is dicitur, cui casus vicini fulminis, & sonitus tonitruum dant stuporem. *Idem.*

4 *Titi Aristonis.*] Cujus officia grata erant Secundo. Aristonem J. Consultum fuisse Trajani temporibus, & ejus consilio Imperatorem usum testatur Papin. & Ulp. qui sæpe illius mentionem facit. Fuit & Salvius Aristo quem Juliano rescripsisse Julianus, *titulo de Legatis* refert. *Idem.*

5 *Uno homine.*] Perinde ac si diceret, omnes bonæ artes periclitantur ægrotante Aristone, qui si interierit, videntur mihi cum illo morituræ. *Idem*

6 *Juris publici & privati.*] Utriusque definitionem pete ex Justiniano, Cajo JC. & Ulp. *Cat.* Et Justiniano imprimis jus *publicum* est, quod ad statum

vati juris & publici? quantum [1] rerum? quantum exemplorum? quantum [2] antiquitatis tenet? [3] nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe, quoties aliquid [4] abditum quæro, ille theſaurus eſt. Jam quanta ſermonibus ejus fides? quanta authoritas? quam [5] preſſa & decora cunctatio? quid eſt, quod non ſtatim ſciat? & tamen plerunque [6] hæſitat, dubitat diverſitate rationum, quas acri magnoque judicio ab origine cauſiſque primis repetit, diſcernit, expendit. Ad hæc quam parcus in victu? quam modicus in cultu? Soleo ipſum cubiculum ejus ipſumque lectum, ut imaginem quandam [7] priſcæ frugalitatis aſpicere. Ornat hæc [8] magnitudo animi, quæ nihil ad oſtentationem, omnia [9] ad conſcientiam refert: recteque facti, non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit. In ſumma, non facile quis quen-

Rei Romanæ ſpectat: *Privatum* vero, quod ad ſingulorum utilitatem.

1 *Rerum.*] Quarum obſervationem quadruplicem eſſe tradunt. An magis hiſtoriarum, cum paſſim pro hiſtoriis res ponantur. *Catan.*

2 *Antiquitatis.*] Severitatis antiquæ. An rerum & verborum veterum gnarus vel potius quod *jus* XII. *tabularum* optime norat, cum id eſſet antiquum jus. *Idem.*

3 *Nihil eſt.*] Nulla diſciplina eſt. Hic mihi videtur Cæcilius, dum laudat Ariſtonem, demonſtrare illum ſummum oratorem, quem Craſſus apud M.T. quærit: omni laude cumulatum, qui naturas & hominum mores ſciat, & hiſtorias, antiquitates, Reip. adminiſtrationem, denique ipſum jus civile cognoſcat. *Idem.*

4 *Abditum.*] Non vulgare. Nam libro nono ſubtiliter diſputat, & quærit ab Ariſtone de Senatorio jure. *Idem.*

5 *Preſſa cunctatio.*] Diligens mora & emuncta. Apul. *preſſiorem cautelam* pro vigilantiore & diligentiore dixit. Sic *preſſiores cogitationes*, id eſt, intentiores. Et *preſſum*, pro apprime. Nec Quintil. *preſſum* dicendi genus improbat. Video etiam *preſſum* pro attenuato uſurpari. Secundus lib. VII. *Preſſus ſermo ex epiſtolis petitur.* Idem.

6 *Hæſitat.*] Non quod ei rationes deſint, ſed multitudine earum & diverſitate dum illas expendit. *Idem.*

7 *Priſcæ frugalitatis.*] Magnæ parſimoniæ. Fuerunt enim antiqui parciſſimi. *Idem.*

8 *Magnitudo.*] Seneca vult magnanimitatem & fortitudinem idem eſſe. Diogenes magnanimitatem deſcribit eſſe ſcientiam, quæ habitum facit excelſiorem omnibus quæ contingere poſſint æqualiter bonorum ac malorum. *Idem.*

9 *Ad conſcientiam.*] In qua voluerunt veram tranquillitatem conſiſtere. Ariſto igitur, cum quid benefactum à ſe fuiſſet, ex conſcientia ſola, non ex populari aura præmium petebat; quibus virtutibus ſui temporis philoſophos longe anteibat. *Idem.*

quenquam ex istis qui sapientiæ studium [1] habitu corporis præferunt, huic viro compararit. Non quidem [2] gymnasia sectatur, aut [3] porticus, nec disputationibus longis aliorum ocium suumque delectat: sed in toga, negociisque versatur; multos advocatione, plures consilio juvat. Nemini tamen istorum castitate, pietate, justitia: fortitudine, etiam [4] primo loco cesserit. Mirareris, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem toleret, ut dolori resistat, ut sitim differat, ut incredibilem febrium ardorem immotus [5] opertusque transmittat. Nuper me, paucosque mecum, quos maxime diligit, advocavit, rogavitque ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut, si esset insuperabilis, [6] sponte exiret è vita: sin tan-

1 *Habitu corporis.*] Barba & pallio. Athenæus lib. IX. & pluribus X. insectatur simulantes philosophum baculis & intonsis barbis. *Catan.* Qui se ex cultu maxime ostentant Philosophos, criniti, barbati, palliati: aut alia ratione, vel insolenter, vestiti. Ut ille Onocratus, de quo in Demonacte Lucianus; qui in ursi pelle philosophabatur. Notum illud Herodis Attici dictum in istoc genus hominum: *Video barbam & pallium; Philosophum non video.* Tales Lucianus οὐ πρὸς ἀλήθειαν, ἀλλὰ, πρὸς ἐπίδειξιν philosophari ait. *Buchnerus.*

2 *Gymnasia.*] Scholas, exercitationes. Suidas academiam, lyceum, cynosarges, tria Atticæ gymnasia fuisse tradit, in quibus non solum corporis vires, sed & animi exercebant. Unde & quandam Dialecticæ partem, quæ in exercitatione constabat, Gymnasium dixere, & Gymnosophistas Indorum philosophos ad respondendum acute & promte exercitatos. Vide Cicer. 2. de Oratore. *Catan.* Quia vero hîc magna frequentia semper erat eorum, qui aut exercerent ætatem, aut spectando ac fabulando fallerent otium ventitare eo solebant quique Philosophiam profitebantur, ut ostentandæ doctrinæ ibi haberent scholas, ignava plerumque opera homines, philosopha sententia, ut Pacuvius dicebat. *Buchnerus.*

3 *Porticus.*] Quo solet frequens turba convenire. *Stoicos* designat quorum princeps *Zeno* orationem formabat ad porticum pœcilen, quæ & pesianacta dicebatur. Eo igitur discipuli confluebant: atque Stoici vocati, quod Græce στοὰ, latine porticus appelletur. *Catan.*

4 *Primo loco.*] Qui principatum inter Philosophos obtinent. *Idem.*

5 *Opertus.*] Pannis intectus, ut facilius sudorem exprimat. *Idem.*

6 *Sponte.*] Id est, *morte voluntaria*, ut infra hac ipsa epistola & alibi vocat; seu sponte sumpta per abstinentiam à cibis ac medicamentis, quibus produci & ali potius, quam sanari ac tolli morbus videbatur. Quod sæpe soliti Veteres, cum ex desperatis aut dubiis molestisque morbis decumberent. Ut Atticus, de quo Nepos ejus vita; & Corellius Rufus, itemque Silius, de quibus noster, & plures alii aliis relati *Buchner.*

tantum difficilis, & longa, resisteret, [1] maneretque. Dandum enim [2] precibns uxoris, dandum filiæ lacrymis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modo non essent [3] inanes, voluntaria morte desereret. Id ego arduum imprimis, & præcipua [4] laude dignum puto. Nam impetu quodam, & instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero, & causas ejus expendere, utque suaserit ratio, vitæ mortisque consilium suscipere, vel ponere, ingentis est animi. Et medici quidem [5] secunda nobis pollicentur: Superest, ut promissis Deus adnuat, tandemque me hac solicitudine exsolvat; qua liberatus, [6] Laurentinum meum, hoc est libellos & [7] pugillares, [8] studiosumque otium repetam. Nunc enim nihil legere, nihil scribere, aut assidenti [9] vacat, aut [10] anxio libet. Habes, quid timeam, quid optem, quid etiam in posterum destinem. Tu quid egeris, quid agas, quid velis agere, invicem nobis, sed latioribus epistolis, scribe. Erit confusioni meæ non mediocre solatium, si tu [11] nihil quereris. *Vale.*

XXIII.

1 *Maneretque.*] Viveret, duraret. *Catan.*

2 *Precibus uxoris.*] Ratio, quia vitam protraheret, nisi medici desperassent respectu uxoris & filiæ & amicorum. *Idem.*

3 *Inanes.*] Frustra sperando eum posse convalescere. *Idem.*

4 *Laude dignum.*] Quia virtus circa difficilia versatur. *Idem.*

5 *Secunda.*] Bonam valetudinem. *Idem.*

6 *Laurentinum.*] Rus: cujus loci & situs amœnitate captus plurimum oblectabatur ocio literarum. *Idem.*

7 *Pugillares.*] Vide quæ observavimus supra ad Ep. VI.

8 *Studiosumque ocium.*] Quia potest esse alterius rei ocium, ut ignaviæ. *Idem.*

9 *Vacat.*] Cum sim occupatus circa remedia valetudinis. *Idem.*

10 *Anxio.*] Absenti, sed cum dolore & cura. *Idem.*

11 *Nihil quereris.*] Nihil querulum & triste in illis scripseris. *Idem.*

1 In Tri-

XXIII. C. PLINIUS POMPEIO FALCONI SUO S.

Pompejus Falco, ad quem D. Adrianum epistolam de casibus infecti testamenti Ulpianus scripsisse tradit, sub Pertinace consul libere Imperatorem pupugit. Sed nec minus acriter quam prudenter ab imperatore remorsus est, cui postea Falco imperare volens, paravit insidias, de quo conquestus est in senatu Imperator: Falconi tamen pepercit, & à senatu impunitatem ejus petiit. Denique Falco in rebus suis securus vixit, & harede filio periit, quamvis multi Falconem nescisse dixerint, Imperium sibi parari. Huic igitur consulenti, an in tribunatu plebis causas ageret, respondet Sec. se dum tribunatum ageret, ab advocatione abstinuisse, causasque, quibus motus fuerit, enumerat.

CONsulis, an existimem te [1] in Tribunatu causas agere decere? Plurimum refert [2] quid esse Tribunatum putes: [3] inanem umbram, & [4] sine honore nomen, an potestatem [5] sacrosanctam, & quam in or-

1 *In Tribunatu, &c.*] Dum geris Tribunatum, defendere reos oratione. Paulus III. ff. *Qui magistratum initurus est, idoneus defensor non intelligitur.* Cat.

2 *Quid esse Tribunatum.*] Tribunatus dignitas plebeja, L. Junio Bruto & Spurio Sicinio instantibus instituta: cujus dignitatis officium erat, læsis plebeis contra potentiores auxilio esse, quodque hi plebem rogassent id ratum esset. Summa, jus Tribunitiæ potestatis magis ad impediendum, quam ad agendum introductum. *Idem.* Hanc vero Imp. potestatem, (cum Tribunatum capere indignum sua majestate censebant) quanta unquam fuit, sibi assumebant, vel die primo imperii, si ex privatis ad fastigium imperii evecti essent, vel si designati fuissent imperatores, ab iis, à quibus designati erant, ut M. Agrippa & Tib. Cæsar ab Augusto, Drusus à Tiberio, & alii. Vid. *Onuphr. Panvin.* prolixius ad Suet.

3 *Inanem umbram.*] Magistratum sine potestate. *Catan.*

4 *Sine honore.*] Quidam enim tradunt *Tribunatum* plebis non esse magistratum. Unde creato Dictatore cæteri magistratu abibant præter Tribunos. Satis tamen constat *Tribunatum* fuisse summam potestatem, post Dictatorem, qui si abfuisset, in urbe primam ac fere solam. *Idem.*

5 *Sacrosanctam.*] Venerabilem, ut rem divinam, & Deo consecratam, cujus contrarium est profanum. Cic. pro Corn. Balbo, *Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebsve sanxisset.* Et sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, aut obtestatione, & consecratione legis aut poenæ, cum caput ejus, qui contra fecit, consecratur. Nam creati Tribuni primi hanc legem tulerunt, *Tribunum invitum* [illegible]

[1] in ordinem cogi, ut [2] à nullo, ita ne à se quidem deceat. Ipse cum Tribunus essem, erraverim fortasse, qui me esse aliquid putavi; sed tanquam essem, abstinui caussis agendis: primum, quod deforme arbitrabar, cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus [3] stare: & qui jubere posset tacere quemcunque, huic silentium [4] clepsydra indici, & quem interfari nefas esset, hunc etiam convitia audire, & si inulta pateretur, [5] inertem: si ulcisceretur, insolentem videri. Erat

multis nemo cogito agere, neque verberare, neque alteri ut verberet imperato, neque occidito, neque occidi jubeto. Si quis autem prohibitorum horum aliquid fecerit, impius exsecrabilisque esto: bonaque ejus publicanto ad sacra Cereris. Catan.

1 *In ordinem.*] Impediri, inter viles & abjectos authore Prisciano, numerari. Quod ex prædictis apparet non licuisse. Nullus enim alius magistratus compescere aut prohibere *Tribunum* poterat. Unde apud Liv. Fulvius Consul Tribunis inquit, *Videtisne vos in ordinem coactos esse, & rem ad seditionem spectare?* Et Tranquill. scribit Vespasianum altercationibus insolentissimis ab Helvidio peno in ordinem redactum. Erat etiam Imperator potestate Tribunitia. *Idem.*

2 *A nullo.*] Quam à Tribuno. Nam cæteros collegas unum aliquod volentes, unus tantum Tribunorum impedire potest. *Idem.*

3 *Stare.*] Pedibus stantem agere. Sic etiam dicebant, quam consuetudinem & apud Græcos fuisse ostendit Hom. in Iliad. *Idem.*

4 *Clepsydra.*] Vase quo defluente guttatim aqua, ut nunc pulvere, horarum spatia designabantur, vel etiam quæque temporis momenta. Apulejus lib. III. *Quidam senior exsurgit, & ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem colli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua, populum sic adorat.* Et III. Epistolarum Sen. *Clepsydra non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit.* Suidas scribit Clepsydram esse vas angustissimo ore circa fundum, ad quod in judiciis aqua plenum propositum dicebant oratores, ut innuit Æschines in Ctesiph. quam consuetudinem imitati post Romani. Nam & M. T. Aulum ad clepsydram vocat. Accipitur interdum pro instrumento astronomico horas metiente, & pro judicio apud græcos scriptores. Pausanias in vertice Ithomiæ arcis Messenensium fontem clepsydram oriri tradit. Inditum & meretrici cognomentum nomine prius Metichæ, postquam ad clepsydram concubuit tota aqua defluente. Inde Euboli poëma Clepsydra appellatum. *Athenæus.* Sic apud Suidam tit. *clepsydra* quædam proverbia explicantur. Fuisse illam pro horologio, & ad alios usus indicant, *Vegetius lib.* III. *Censorinus, & alii. P. Cornelius Nasica Censor* ex aqua fecit horarium, quod & ex consuetudine noscendi à sole horas, solarium cœptum vocari. *Vitruvius* testatur horologiorum ex aqua comparationem Ctesibium primum explicuisse. Et lib. VIII. *Athenæus* inquit, Hydraulicum instrumentum videtur esse Clepsydra. Satis constat clepsydram deduci ἀπὸ τοῦ κλέπτειν καὶ τοῦ ὕδατος, *à subducendo aquam.* Catan. Vide & Jac. Sirmond ad Sidon. Ep. II. l. II. & ibi Her. Alexand. & Cassiod.

5 *Inertem.*] Nimium patientem, non exer-

Erat hic quoque [1] æſtus ante oculos, ſi forte me [2] appellaſſet, vel ille cui adeſſem, vel ille quem contra [3] intercederem, & auxilium ferrem, an quieſcerem ſileremque, & quaſi [4] ejurato magiſtratu privatum ipſe me facerem. His rationibus motus, malui me tribunum omnibus exhibere, quam paucis advocatum. Sed tu (iterum dicam) plurimum intereſt, quid eſſe tribunatum putes: quam [5] perſonam tibi imponas, quæ ſapienti viro ita aptanda eſt, ut [6] perferatur. *Vale.*

XXIV. C. PLIN. [7] BEBIO HISPANO SUO S.

Hiſpanum rogat, ut pro Tranquillo agellum juſto pretio comparet, ne ſit pœnitentiæ locus.

TRanquillus, contubernalis meus, vult emere agellum, quem venditare amicus tuus dicitur. Rogo cures quanti æquum eſt emat. Ita enim delectabit emiſſe. Nam mala emptio ſemper ingrata eſt, eo maxime, quod expro-

exercentem ſuam poteſtatem. *Catanæus.*

1 *Æſtus.*] Sollicitudo. *Idem.*

2 *Appellaſſet.*] Provocaſſet. Appellandi jus, quam ſit frequens, & neceſſarium, qui neſciat, nemo eſt. Quippe, quod iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigit, lege *Juriſconſultum. ff. 49. tit. de Appellationibus.* Eſt autem autore Aſconio *appellatio minoris ad potiores provocatio.* Significat & blanda oratione alterius pudicitiam attentare. *Ulpianus.*

3 *Intercederem.*] Obſtarem. Intercedere eſt prohibere, cujus extremum jus erat apud Tribunos plebis. *Catan.*

4 *Ejurato.*] Depoſito. M.T. in Philipp. *Sic me iniqui ejurabant, de me querebantur.* Valerius, *Ignominioſa Conſulum ejuratione.* Ejurare, ſignificat id quod deſideratur non poſſe præſtare. *Pompejus.*

5 *Perſonam.*] Qualitatem & mores dignitati tuæ competentes. Sic M. T. pro Sylla, *Denique*, inquit, *iſtam perſonam vehementem & acrem, jam voluntas & natura detraxit.* Et in Philipp. *Ut meminiſſem quam perſonam impoſitam à vobis ſuſtinerem.* Et Ovid.

Cum tibi contingat formam Junonis adire,
Fac ſis perſona quam tueare memor.

Nec ignoro accipi ſæpe perſonam pro ſcenico habitu vel hiſtrione, à perſonando dictam, & pro corpore, ut ſæpius apud JC. *Catan.*

6 *Perferatur.*] Ad finem uſque Tribunatus. In multis exempl. legi *præferatur*, id eſt præponatur, & nullo prætextu deformetur. *Idem.*

7 *Bebio Hiſpano.*] Hic poſtmodum Conſul deſignatus ſub Adriano Præfectus urbis fuit. In quibuſdam exempl. eſt *Vipſano.* Nam Vipſanum Meſſalam legimus Tribunum legionis, cui præerat Aponius Saturninus, virum egregium, & qui ſolus ad id bellum artes bonas attuliſſet. Alioquin ſub Veſpaſiano pietatis eloquentiæque famam adeptus nondum ætate Senatoria pro fratre

exprobrare [1] ſtultitiam domino videtur. In hoc autem agello (ſi modo arriſerit precium) Tranquilli mei [2] ſtomachum multa ſolicitant, [3] vicinitas urbis, [4] opportunitas viæ, mediocritas villæ, [5] modus ruris, qui advocet magis, quam diſtringat. [6] Scholaſticis porro, ut hic eſt, ſufficit abunde tantum ſoli, ut relevare caput, reficere oculos, [7] reptare [8] per limitem, unamque ſemitam terere, omneſque viticulas ſuas noſſe & numerare arbuſculas poſſint. Hæc tibi expoſui, quo magis ſcires, quantum ille eſſet mihi, quantum ego tibi debiturus, ſi prædiolum iſtud quod commendatur his dotibus, tam ſalubriter emerit, ut pœnitentiæ locum non relinquat. *Vale.*

fratre Aquilio Imperatorem auſus deprecari: cujus lauretum Martialis memorat. *Idem.* Legitur alias *Fabio Hiſpano.* Pal. habet *Belio.* Gruter.

1 *Stultitiam.*] Ignorantiam, qui pluris emiſſet, quod minoris eſſet. *Catan.*

2 *Stomachum.*] Appetentiam. *Idem.*

3 *Vicinitas.*] Cenſet Columella in propinquo agrum mercari, quo frequenter dominus veniat: ſub hoc enim metu cum familia villicus erit in officio. *Idem.*

4 *Opportunitas.*] Multum enim confert agris iter commodum. *Idem.*

5 *Modus ruris.*] Mediocritas agri. Huc pertinet illud poëtæ:

— *Laudato ingentia rura:*
Exiguum colito. —

Quid vir eruditiſſimus traditum vetus præceptum numeris ſignavit, ne majorem quam ratio calculorum patiatur emere agrum velimus: quippe acutiſſimam gentem Pœnos dixiſſe convenit, imbecilliorem agrum, quam agricolam eſſe debere. *Modus* autem erit, unicuique voluntas facultaſque. Nec ſatis eſt poſſidere velle, ſi colere non poſſis. *Idem.*

6 *Scholaſticis.*] Qui adhuc inſtituuntur, & in ſchola verſantur. An quod in declamando ſe exercebat Tranquil. *Idem.* Perſpicue autem expungenda vox *ſtudioſis*: quæ ſine dubio ex gloſſa eſt profecta, & in editione Florentina non habetur. Legitur & *dominis* pro *ſtudioſis*, æque inepte; niſi putet quis in *hominibus* eſſe mutandum, ſervatis ejus vocis veſtigiis, quod non diſpliceat. *Jacobus* vero *Lectius*, vir, ſine dolo dicam, magnus & ingenii incertum majoris an judicii, ita hunc locum legebat & diſtinguebat: *Scholaſticis porro, domus ut hic eſt, ſufficit abunde: tantum ſoli, &c.* Iſ. Caſaub. *Scholaſticis, &c.*] Sic quoque veteriores, neque tamen inepte Pal. *Scholaſticis orto, ut hic eſt.* Sed tamen quomodo tunc procedat argumentum, non video. *Grut.*

7 *Reptare.*] Lente & quaſi teſtudinis paſſu ire, ut conſuevere qui ſpatiantur. Sic Horat.

An tacitum ſylvas inter reptare ſalubres.

8 *Per limitem.*] Sunt lapides, qui ad agrorum diſtinctionem in agris ponuntur. Horum duo maximi ſunt, cardo & decumanus. Decumanus eſt, qui agrum ab exortu æquinoctiali ad occaſum æquinoctialem ſecat. Cardo à meridie ad ſeptentrionem: reliqui anguſtiores ſunt, diſtantque inter ſe paribus intervallis. *Plinius ſen.*

C. PLI-



C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

Epist. I. C. PLINIUS SECUNDUS VOCONIO ROMANO SUO S.

ARGUMENTUM.

Voconium admonet, Virginio Rufo publice factum funus honestissimum, virumque summum pari laude celebrat: &, quamvis senem, tamen ut juvenem deflet.

POST aliquot annos insigne, atque etiam memorabile populi Romani oculis spectaculum exhibuit [1] publicum funus * Virginii Rufi, maximi & cla-

1 PUblicum funus.] Qui viri insignes, strenue pro patria pugnando occubuissent, aut reip. operam suam prompte navassent, publice funerabantur, tracta consuetudine à Bruto, qui à Collega Valerio publice tumulatus est. Erat autem *publicum funus*, ut Plutarch. in vita Publicolæ ostendit, *cum quis propter sua in rempubl. beneficia publicis sumptibus sepeliebatur.* Comitabantur præterea Consules, Tribuni ac Senatores, denique omnis magistratus usque in forum, ubi vir aliquis orationem pro laudibus defuncti habebat; deinde ad locum sepulturæ profectis omnibus, quidam incensam facem accipiens quam maxime alte poterat efferebat, re testans licere quidem, sed honori parcendum. Funus authore M. T. fiebat *imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, cantu, ludis, lamentationibus, rogo.* Sic Tranq. L. Vitellium Auli Vitellii patrem publico funere à Senatu honoratum asserit. *Catan.* Quæ ergo ad funerum curam spectabant, ea, vel domi peragebantur, vel in foro, vel extra portam. Domi mortuus septem dies in vestibulo positus, qua à domesticis, qua ab amicis, plangebatur; in foro laudabantur·

& clarissimi [1] civis, & [2] perinde fœlicis. [3] Tringita annis gloriæ suæ supervixit. Legit scripta de se carmina, legit [4] historias, & [5] posteritati suæ interfuit. perfunctus est [6] tertio consulatu, ut summum fastigium [7] privati homi-

bantur; extra urbem cremabantur. Vid. *Casaub. ad Jul. Cæs. Suet. cap.* 84.

* *Virginii Rufi.*] Hic equestri familia ignoto patre, cum omnes à Nerone ad Galbam deficerent, ipse in Gallia Germanicum ducens exercitum per sese agebat: Præerat enim potentissimis legionibus. *Catan.*

1 *Civis.*] Hæc appellatio ad commendationem facit, sic enim Cassius ad Cicer. *Nunc te, omnium maxime civis & mihi carissime.* Conf. Gronov. ad Sen. Suasoriam VI.

2 *Perinde fœlicis.*] Cum Cæsares quibus suspectus erat, evasit. *Catan.*

3 *Triginta, &c.*] Post victoriam adeptam contra Vindicem vixit insuper triginta annis. *Idem.*

4 *Historias.*] Quas scripserunt Cluvius Rufus, Plinius senior, & Corn. Tacitus. *Idem.*

5 *Posteritati suæ interfuit.*] Vidit literarum monumenta, per quæ victurus erat apud posteros. Præter aliorum scripta ipse insuper Virginius reliquit *Rhetorica libros*, ut meminerunt Tacitus & Quintil. qui lib. III. Institut. aperte ostendit opus suum emisisse sub Trajano. *Accuratius*, inquit, *Gallione scripsit Celsus & Lenas, & ætatis nostræ Virginius, & Plinius Tutilius.* Sunt & hodie clari ejusdem operis authores. Ex quibus apparet cum hæc ederet, jam Virginium è vita migrasse. Eum autem Trajano imperante concessisse, præter hujus epistolæ testimonium etiam illa ex panegyr. verba significant: *Erat in Senatu ter Consul.* quibus Virginium intelligit. Hic dicet aliquis, Si Fabii Institutiones contendis Trajano imperante emissas, cur in quibusdam præfationibus Domitianum commendat? Ea sane fuit scriptoris constantia & magna sub Trajano libertas, ut quæ vivo scripserat, mortuo non detraheret: & licebat sub optimo principe impune scribere. Quare crediderim Domitiano imperante multa ac fere omnia quæ in Instit. continenter composita, & quædam publicata, vel eo invito, ut ipse testatur: postea diu limata sub Trajano emissa. *Idem. Interfuit.*] Hoc est, vivus vidensque, ea gloria fruitus est, quæ alios mortuos à posteritate demum manet. *Certus posteritatis cum futura gloria vixit*, ut infra lib. IX. Epist. III. loquitur. *Buchner.*

6 *Tertio Consulatu.*] Primum gessit cum Memmio Regulo, alterum cum Pompejo Vopisco, referente Tacito: tertium cum Nerva Imperatore, autor Julius Frontinus de aquæduct. Et Dion inquit, *Nerva Virginium sæpius Imperatorem nominatum non timuit in Consulatu suo Collegam asserere. In cujus mortui tumulo hoc epitaphium incisum est,*

Hic situs est Rufus pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit, non sibi sed patriæ.

Non ideo intellige Virginium mortuum sub Nerva, sed ut in transitu tam memorabile facinus tangeret, hoc addidisse Dionem, quod tamen apud eum metro non constat. *Catan.*

7 *Privati.*] Non principis. Sic in Paneg. *privatum* dixit respectu principis, & Tacitus in eundem sensum. Ex quibus patet non tantum *privatum* dici qui sine magistratu est. *Idem.* Sed & qui non est princeps aut imperator. Quia igitur consulatus secundus est proximus principatui honor, ideo *summum fastigium privati hominis* hic appellatur. Nec ascendere quisquam altius poterat, & esse privatus. *Buchner.* Etiam *privatus* militi opponitur à Paulino natali quarto Felicis, ubi de Hermia Felicis fratre, loquitur quem ait

hominis impleret, [1] cum principis noluisset. [2] Cæsares, quibus suspectus, atque etiam [3] invisus virtutibus fuerat, evasit: reliquit incolumem [4] optimum atque amicissimum, tanquam ad hunc ipsum honorem publici funeris [5] reservatus. Annum tertium & octogesimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione. Usus est firma valetudine, nisi quod solebant ei manus [6] tremere, citra dolorem tamen: [7] aditus tantum mortis durior longiorque, sed hic ipse laudabilis. Nam cum vocem præpararet, actu-

ait Cæsari militasse, Christo *privatum* egisse, id est, non militasse. Vid. *Gronov.* ad lib. Sen. de Beata vita, cap. II.

1 *Cum principis*] Fastigium implere noluisset, delatum ei à milite imperium contemnebat Sed dubium fuit, an pro Galba imperare voluisset, imparem ratus si accepisset: tutum, si recusasset. Hæc Tacitus pro commodo suo. *Catan.* *Noluisset.*] Nam iterum iterumque ipsi Imperium à militibus delatum recipere noluit. Non tantum cum Otho sibi intulisset manus, ut bello Civili, quod Vitellius moverat, finem imponeret, de quo Tacitus Histor. II. cap. LII. sed & dejecto Vindice ante qui contra Neronem rebellaverat Imperium ambiens, de quo Dio Cassius lib. LXIII. & Tacitus Hist. I. cap. VIII quod maximæ gloriæ ei fuit. Quare & ejus memoriam suo sepulchro incidi voluit ac jussit ipse, de quo noster lib. IX. Epist. XIX. Meminit & Dio in Trajani Historia lib. LXVIII. *Buchner.*

2 *Cæsares.*] Neroni, Galbæ, Othoni, Vitellio, Domitiano supervixit: & eorum immanitatem vitavit. Nam præcipuæ opes erant bonis artibus inoffensa tot principum malitia. Et in conjur. Pisoniana scribit Tacitus *Virginium Rufum claritudine nominis in exilium pulsum, quod studia juvenum eloquentia foveret.* Catan.

3 *Invisus virtutibus.*] Id est, propter virtutes. Ita enim Latinis casus sextus usurpari sæpe solet. Nepos Chabria: *Hoc ille nuncio Athenas rediit.* Tacitus III. Annal. cap. LII. *Patris ira profugus.* Qui ita aliis innumeris locis. Ad ipsam rem illud Salustii pertinet de Catilina: *Regibus boni, quam mali suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est* Item illud nostri Paneg. LXVIII. *A malo principe tanquam successor timetur, quisquis est dignior.* Hoc est, quisquis est melior. *Buchnerus.*

4 *Optimum.*] Trajanum. Eo enim cognomento maxime gloriabatur tradente Dione. Et Secundus in paneg. hoc pluribus extollit. *Catan.*

5 *Reservatus.*] Convenit cum Plutarcho quem diximus scripsisse *Virginium* invidia Junii ad meliorem vitam reservatum. Nam sub pessimo principe nunquam talem honorem fuisset consecutus. *Idem.* Hanc lectionem quoque habet Pal. Interim requirit constructio vocum, *reservatum*, quamvis posset abesse illud verbum. Sane Pal. annectit sequentibus, hoc modo: *publici funeris. Reservatus annum tertium, &c.* Sed tunc legendum fuerat, *anno tertio, &c.* Gruter.

6 *Tremere.*] Celsus *tremorem manuum* inter genera paralysis: ejusque curationem ponit. *Catan.*

7 *Aditus.*] Præludium, principium & accessus. *Idem.*

acturus in [1] consulatu principi gratias, liber, quem forte acceperat grandiorem, [2] & seni & stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum consequitur colligitque, per [3] læve & lubricum pavimentum fallente vestigio cecidit, coxamque fregit, quæ parum apte collocata, [4] reluctante ætate, male coiit. Hujus viri [5] exequiæ magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam [6] foro & rostris attulerunt. Laudatus est à consule Cornelio Tacito. Nam hic supremus fœlicitati ejus [7] cumulus accessit, laudator eloquentissimus, & ille quidem [8] plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiam quos recusavit. Nobis tamen quærendus ac desiderandus est, ut exemplar ævi prioris: mihi vero præcipue, qui illum non solum [9] publice, sed etiam privatim quantum admirabar, tantum dili-

1 *Consulatu.*] Quarto, cui fuerat designatus à Trajano. *Catan.*

2 *Et seni, & stanti, ipso pondere.*] Tria ponit, senium Rufi, & quod pedibus staret, ac magnitudinem libri, quibus ostendit in majus luxatam illius coxam. *Idem.*

3 *Lave.*] lithostratum, & ideo lubricum, lævigatum, politum. *Idem.*

4 *Reluctante ætate.*] Quia difficilius senes in fracturis curantur. *Idem.*

5 *Exequiæ.*] Indifferenter pro funere: quanquam funus majora complectatur. *Idem.* Exsequiæ funebre officium designant, quod in funere exsequimur, dictæ quod homines pompam proxime sequantur. Gr. *ἐνταφιασμὸς* ab *ἐνταφιάζω*. Germ. leich bestattung.

6 *Foro & rostris.*] Ubi agebat caussas & concionabatur: in quibus laudatus est. Nam Romani omnes claros viros (autor Dionysius) sive quod bellorum ducatum acceperint, sive civilium negociorum magistratus, & sua prudentia actiones pulchras ediderint, neque tantum bello morientes sed & cæteros qualicunque functos vitæ fine laudari in foro instituerunt, sumpto initio à Publicola, qui Bruti corpus ibi proponens ornatum decenter in lectulo, advocata populi concione pro rostris funebrem orationem habuit. Inde Tacitus lib. III. scribit, Tiberium non prohibuisse quo minus Juniæ C. Cassii uxoris & M. Bruti sororis laudatione pro rostris funus cohonestaretur. Nec me præterit rostra pro magistratibus sumi, quod in his concionarentur, & Cornelium Severum pro eloquentia posuisse. *Rostra*, inquit Livius, *ex navibus Antiatum, ex quibus suggestum in foro extructum adornari placuit, rostraque id templum appellatum, ad Comitium propè juncta curiæ, sed postea loco mota.* Vid. & M. T. in Vatinium, & pro Dejot. & in legibus. Suet. Juven. *Catan.*

7 *Cumulus.*] Id est, copia. Legitur & *calculus*, id est suffragium. *Idem.*

8 *Plenus annis.*] Senex admodum, sepultus est in Alsiensi villa. *Idem.*

9 *Publice.*] Boni publici causa. *Privatim.*] Respectu meo. Est & alia lectio, *qui illum non modo publice. sed etiam privatim quantum adjuvabat, tantum diligebam.* Idem.

1 Ea-

diligebam. Primum, quod utrique [1] eadem regio, [2] municipia finitima, agri etiam possessionesque conjunctæ. Præterea quod ille tutor mihi relictus, affectum parentis exhibuit. Sic [3] candidatum me suffragio ornavit, sic ad omneis honores meos [4] ex secessibus accurrit, cum jam pridem ejusmodi officiis renunciasset, sic [5] illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat. Quinetiam in hac novissima valetudine, veritus, ne forte inter [6] quinqueviros crea-

1 *Eadem regio.*] Insubria scil. *Cataneus.*

2 *Municipia finitima.*] Sumus & ex municipiis quæ sunt in eadem regione. Et cum Ptolomæus inter Insubres quatuor tantum municipia ponat, Novariam, Ticinum, Mediolanum, Novumcomum, addendo municipia finitima & contermina, necesse est Virginium Mediolanensem. Satis enim constat Secundum fuisse Novocomensem, neque ullum prædictorum oppidorum quam Mediolanum Como conterminum. *Idem.*

3 *Candidatum.*] Petentem honores. Mos erat magistratum petituris, ut absque interiore tunica in comitium candida operti veste descenderent; *sive* ut eo habitu ad supplicandum humiliores accederent, *sive* innocentiam suam per album indicantes colorem, *sive* ut qui cicatrices haberent, manifeste signa fortitudinis aperirent. Nec solum magistratus petitores dicebantur *candidati*, sed etiam aliarum rerum. Nam Tranquillus in Vesp. dispensationis *candidatum* dixit, petentem dispensationem. *Candidati* item Cæsaris appellati, qui Principis epistolas in Senatu legebant. Et milites principales *candidatos* testatur Vegetius privilegiis muniri. *Idem.* J. Lipsius Elect. l. 1. cap. 13. demonstrat, Romanis in vestitu placitum quondam colorem album, *sive* quia is, lætitiæ proprius & deorum, *sive* potius agrestis illa & prima gens spretis accersitis coloribus, lanæ nativum retinuit, nempe album. Vide *Berneg. ad Suet.*

4 *Ex secessibus accurrit.*] Tametsi abesset, tamen cum præsenserat me petere magistratus, statim properabat ut mihi adesset. *Catan.*

5 *Illo die.*] Calendis Januariis. Lege Ovid. in Fastis, & Tacit. qui Quindecimvirale sacerdotium scribit principio anni solenne jusjurandum solitum jurare, & nuncupationibus votorum adesse. Et Secundus lib. IV. Frontinum, cui in Auguratu successit, testatur se per multos annos ante obitum sui inter sacerdotes nominasse, tanquam in locum suum cooptaret. Puto intelligere Auguratum, de quo M. T. in II. Philipp. *Quo enim tempore me Augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompejus & Q. Hortensius nominaverunt: neque enim licebat à pluribus nominari.* Et in XII. *Imprimis paternum auguratus locum, in quo ego eum, ut quod à patre accepi, filio reddam mea nominatione cooptabo.* Idem.

6 *Quinqueviros.*] Erant quinqueviri magistratus extraordinarii: *primo* creati sunt de legibus imperio Consulari scribendis, *deinde* agris dividendis, quibus aliquando Triumviros præponebant. *tertio* de muris turribusque conficiendis, nonnunquam minuendis sumptibus, cum Imperatorum liberalitate, cum civitas gravari videretur. *Idem.*

crearetur, qui minuendis publicis sumptibus [1] judicio Senatus constituebantur, quum illi tot amici senes, [2] consularesque superessent, me hujus ætatis, per quem excusaretur, elegit, his quidem verbis: *Etiamsi filium haberem, tibi mandarem.* Quibus ex causis necesse est tanquam [3] immaturam mortem ejus in sinu tuo defleam: si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita est. Vivit enim, vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum & sermone versabitur, postquam [4] ab oculis recessit. Volui tibi multa alia scribere, sed totus animus in hac una contemplatione defixus est. Virginium cogito, Virginium video, Virginium jam vanis imaginibus, recentibus tamen audio, alloquor, teneo: cui fortasse cives aliquos virtutibus pares, & habemus & habebimus, gloria neminem. *Vale.*

II. C. PLINIUS [5] PAULINO SUO S.

Paulinum monet ut aliquid scribat, cum tamdiu ab urbe nihil literarum miserit.

IRascor, nec liquet mihi an debeam, sed irascor. Scis, qnam sit amor iniquus interdum, impotens sæpe, μικραί-

1 *Judicio Senatus.*] Senatusconsulto & electione, cui Trajanus multum tribuit. *Catan.*

2 *Consularesque.*] Qui Consulatum gesserant. Cicero in Philipp. *Ego sine ulla controversia Consularis.* Et ad Plancum, *Complures in perturbatione reip. Consules dicti, quorum nemo Consularis habitus, nisi qui animo extiterit Consularis.* Consulares etiam fœminas dicimus *Consularium* uxores. Adjicit Saturninus matres, quod nusquam relatum est, neque repertum auctore Ulpiano. At Senatores aliud erant. Nam omnes Consulares Senatores erant, non omnes Senatores, Consulares. Hoc aperte colligitur ex lib. XI. belli Punici secundi apud Livium. *Idem.*

3 *Immaturam.*] Ante tempus, respectu desiderii Secundi. Nam si respexeris ad tertium & octogesimum annum, erat matura. *Idem.*

4 *Ab oculis recessit.*] Remota invidia, raro enim ante cineres gloria venit. *Idem.*

5 *Paulino.*] Hic Circumjectas Galliæ Narbonensi civitates Vitelliana tempestate in verba Vespasiani, cujus ante fortunam amicus erat, adegit: concitisque omnibus, qui exauthorati à Vitellio, bellum sponte sumebant, Forojuliensem coloniam claustraque maris præsidio tuebatur: eo gravior auctor quod Paulino patria Forumjulii.

[1] μικραίτιος semper. Hæc tamen causa magna est, nescio an justa: sed ego tanquam non minus justa, quam magna sit, graviter irascor, quod à te tamdiu literæ nullæ. Exorare me potes uno modo, si nunc saltem plurimas, & longissimas miseris. hæc mihi sola excusatio vera, cæteræ, falsæ videbuntur. Non sum auditurus: *Non eram Romæ*, vel *occupatior eram.* Illud enim nec dii sinant, [2] ut infirmior. Ipse ad villam partim studiis, partim desidia fruor, quorum utrumque ex [3] ocio nascitur. *Vale.*

III. C. PLINIUS [4] NEPOTI SUO S.

Explicata Isæi summa facultate & eloquentia hortatur Nepotem, ut eum auditum veniat, cum viva vox magis afficiat.

MAgna [5] Isæum fama [6] præcesserat, major inventus est. Summa est facultas, copia, [7] ubertas. Dicit sem-

julii. Et honos apud Prætorianos, quorum quondam Tribunus fuerat, ipsique pagani favore municipali & futuræ potentiæ spe juvare patres annitebantur. Moriens jus libertorum suorum Secundo reliquit. Paulinum Tribunum in bello Judaico Josephus, & alterum Præfectum Alexandriæ refert. Martialis pedum pernicitatem in Paulino admiratur, & Paulinum à Severo Imp. interfectum legimus. *Idem.*

1 *Μικραίτιος.*] Pro minima quaque re irascibilis, quique parva causa tur. Lucianus in Fugitivis, ubi philosophos sui temporis notat supra infantulos iracundos ὀξυχόλους & μικραιτίους appellat, & in dialogo Merc. & Mariæ ὀξυχόλους amantes. *Idem.* μικραίτιος igitur, non simpliciter Querulus, sed qui levi etiam de causa queri solet. *Steph.*

2 *Ut.*] *Subint.* Si diceres, eram infirmior. *Catan.*

3 *Ocio.*] Quiete: difficile enim lucubramus in tumultu & animi perturbatione. *Idem.*

4 *Nepoti.*] Licinius Nepos diu orbus suscepta filia captatores frustratus domum habuit apud sacellum Floræ ad veteres Ficelias, auctore Martiale, in Prætura summa usus constantia & severitate. Fuit & *Calvisius Nepos*, Cæcilii contubernalis. *Nepotem* Adrianus loco hostis habuit. Et *Nepotis Pistoris* meminit Juvenalis. *Idem.*

5 *Isæum.*] Duos invenio *Isæos* præstantissimos rhetores Atheniensium: unum Demosthenis præceptorem, ut Philostratus tradit, alterum Assyrium declamatorem, quem Suidas viguisse sub Adriano & plurima scripsisse refert, Lolliani Ephesii Declamatoris magistrum. Et Juvenalis illius dicendi torrentem veneratur per transitum. Unde proverbium illud, *Tantali hortos vindemiari*, traxisse originem Philostratus & Suidas enarrant. *Idem.*

6 *Præcesserat.*] Ante adventum ejus in urbem *Idem.*

7 *Ubertas.*] Fertilitas cum delectu. Sic pingue dicendi genus Cæcilio affi-

semper ex tempore, sed tanquam [1] diu scripserit. Sermo Græcus, immo [2] Atticus. Præfationes tersæ, graciles, dulces, graves interdum, & erectæ. [3] Poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, sæpe etiam [4] partes: [5] surgit, [6] amicitur, incipit. Statim omnia, ac pene pariter ad manum. Sensus reconditi, occursant [7] verba, sed qualia: quæsita, & exculta. [8] multa lectio in subitis

gnat Macrobius, uti copiosum Ciceroni. Et Philostratus Isæo non aridum, sed immensum ac naturale & rebus sufficiens tribuit. *Catan.*

1 *Diu scripserit.*] Stilo elaboraverit. *Quintilianus* præcipit multo ac fideli stylo elaborandam orationem, ut scriptorum colorem etiam ea, quæ subito effusa sunt, reddant. *Idem.*

2 *Atticus.*] Optimus. Nam Attici inter alios Græcos optimi, id est, pressi & integri sunt. Unde Xenophon pro dulcedine eloquii & incredibili facilitate, *Attica musa* appellatus. M. T. de Optimo Gen. Orat. *Attice dicere* tradit esse, ornate, apposite, eleganter, in unoquoque dicendi genere disserere. Sale & facetiis uti vel maxime atticum est. Et de Claris Orat. *Attice dicere*, est ad similitudinem Demosthenis dicere, ut non omnes qui Attice, iidem bene: sed ut omnes qui bene, iidem etiam Attice dicant. *Idem.*

3 *Poscit.*] Sibi dari ab auditoribus. Lego tamen melius, *proponit. Controversias.*] A. Gellius: *introiit adolescens & præfatur arrogantius, & elatius, quam ætati ejus decebat, ac deinde jubet exponi controversias.* Quid vero sit controversia pete ex Seneca: & artem tractandæ controversiæ Aphthonius præbet, & plures Seneca etiam exponit, quas Silo Pompejus apud eundem, quoties commodum erat, existimabat, sumi posse de hominibus legis verbis. *Idem.*

4 *Partes.*] Sic est in codice antiquo. Et sensus est; sæpe etiam *partes* controversiæ permittit auditoribus, ut sive defensionem sive accusationem tractandam sibi sumant. Legunt & *paratus*, & tum Sensus est, Isæus aliquando accedit ad declamandum præmeditata oratione, cum alias ex tempore declamaret: oblata auditoribus facultate ut sibi proponerent plures controversias, eligerentque quam à se tractari vellent. *Idem.*

5 *Surgit, &c.*] Ita distingue: *Surgit, amicitur, incipit; statim omnia, ac pene pariter ad manum sensus reconditi: occursant verba: sed qualia? quæsita & exculta.* Fortasse & legendum, *scin, qualia* non *sed*, familiare Comicis, quos hic non raro imitatur. *Casaub.*

6 *Amicitur.*] Pallio, quia Græcus se componit. Sic enim lib. IV. de Liciniano, *Cum*, inquit, *Græco pallio amictus intrasset postquam se composuit, circumspexitque habitum suum, Latine dixit, declamaturus sum.* Nam si Romanus, toga: cujus formam in Oratore Quintil. optime describit. Alii codices habent, *jam ergo* loco *amicitur*, quod minus probo. *Catan.*

7 *Verba.*] Utrumque tetigit ex quibus oratio conficitur ex verbis & rebus. In *rebus* intuenda inventio, in *verbis* elocutio, in utrisque collocatio. *Idem.*

8 *Multa lectio, &c.*] Cum dicit Isæus ex improviso, apparet multa legisse. Comparatur enim facultas extemporalis ex multa lectione, & longo stilo ac fideli. Vide lib. II. de Oratore M. Tullium. *Idem.*

1 Multa

ſubitis, [1] multa ſcriptio elucet, prooemiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelſe: Poſtremo docet, [2] delectat, afficit, (quod [3] maxime dubites) crebra [4] ἐνθυμήματα καὶ νοήματα, crebri [5] ſyllogiſmi, [6] circumſcripti & effecti: quod [7] ſtilo quoque aſſequi magnum eſt. [8] Incredibilis memoria, [9] repetit altius quæ dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. ad tantam [10] ἕξιν ſtudio & exercitatione pervenit. Nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Annum ſexageſimum exceſſit. & adhuc [11] ſcholaſticus tantum

1 *Multa ſcriptio.*] Multum ſcripſiſſe. Nulla enim res tantum ad dicendum proficit quantum ſcriptio, autor eſt Cic. de Claris Orat. *Catan.*

2 *Delectat, afficit.*] Diſtingue, *afficit. quod maxime dubites, crebra, &c.* Caſaub.

3 *Maxime dubites.*] Vix credas fieri poſſe extemporali oratione. *Catan.*

4 Ἐνθυμήματα.] *Frequentes ſyllogiſmi.* Enthymema Latine commentum interpretamur, rhetoricus eſt ſyllogiſmus: ab aliis pars dicitur ſyllogiſmi, ut à Thoma, ſyllogiſmus detruncatus procedens ex præcognito. Νοήματα.] Id eſt, intellectus, excogitationes. *Idem.* Hæc Latini quoque Enthymemata & Noëmata dicunt: de quibus lege Fabium. Catanæus in codice ſuo antiquo non fuiſſe ſcribit, ſed tantum νοήματα, quod placet (ait) quia ſequitur, *crebri ſyllogiſmi*, cum ἐνθυμήματα & ſyllogiſmi pene idem ſint. Sed contra in Ald. edit. & quibuſdam aliis legitur duntaxat ἐνθυμήματα. *Stephan.*

5 *Syllogiſmi.*] Syllogiſmus eſt inſtrumentum ad manifeſtandum aliquid obſcurum manifeſtis & cognitis. De quo & enthymemate lege latius Fabium & Hermog. lib. III. Rhetoricorum. *Catan.*

6 *Circumſcripti.*] Breves. Nam brevibus interpretabatur Iſæus, & univerſum argumentum paucis colligebat. *Philoſtratus.*

7 *Stilo.*] Meditatione. *Catan.*

8 *Incredibilis.*] Admiranda. Exempla raræ memoriæ Plinius lib. VII. & Solinus referunt. Seneca tradit ſe in hac floruiſſe, ut non tantum ad uſum ſufficeret, ſed in mirandum uſque procederet: quæ ſane theſaurus eſt rerum omnium, & niſi cuſtos inventis cogitatiſque verbis & rebus adhibeatur, intelligimus etiam ſi fuerunt præclariſſima in oratore peritura. Hinc M. T. definit: *Memoria eſt animi firma rerum & verborum diſpoſitionis perceptio.* Id.

9 *Repetit altius.*] Seneca duo millia nominum recitata quo ordine erant dicta referebat, & ab iis qui ad audiendum præceptorem convenerant, ſingulos verſus ad ſingulos datos cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens uſque ad primum recitabat. *Idem.*

10 Ἕξιν.] Habitum. *Henr. Steph.*

11 *Scholaſticus.*] Declamator, ſolum in fictis cauſis & ocioſis verſatus, non in veris litibus. *Catan.* Id ex Seneca in Ep. CLV. & CLVI. diſcere eſt. Apud Syneſium tamen & in Heſychii antibole *Scholaſticus* cauſarum eſt actor. *Juventutis cymbalum* ignominioſe dictos, ut *cymbalum mundi* Appion Grammaticus à Tiberio Cæſare, auctor eſt Turneb. Adverſ. lib. II. cap. 7.

tum est. quo genere hominum nihil aut simplicius aut sincerius aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. Schola & [1] auditorium, [2] ut ficta causa, [3] ita res [4] inermis, innoxia est: nec minus fœlix, senibus præsertim. Nam quid in senectute fœlicius, quam quod dulcissimum est in juventa? Quare ego Isæum non disertissimum tantum, verum etiam beatissimum judico, quem tu nisi cognoscere concupiscis, saxeus ferreusque es. Proinde si non ob alia, nosque ipsos, at certe ut hunc audias veni. Nunquamne legisti [5] Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum [6] ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat abiisse? [7] ἀφιλόκαλον, illiteratum, iners, ac pene etiam turpe est, non putare tanti cognitionem, qua [8] nulla est jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior. Dices, *Habeo hic, quos legam, non minus disertos.* Etiam: sed legendi semper occasio est; audiendi non semper. Præterea [9] multo magis, (ut vulgo dicitur) viva vox afficit. Nam licet

1 *Auditorium.*] Et pro ipsis auditoribus, & loco in quem audituri conveniunt, frequenter usurpatur. *Catan,*

2 *Ut ficta causa.*] Ubi declamationes & fictæ controversiæ tractantur. *Idem.*

3 *Ita.*] Abest hæc vocula veteri editioni & Pal *Grut.*

4 *Inermis.*] Intelligit *res scholasticas*, in quibus scholastici omnium sincerrimi, versantur, quas *felices* prædicat, id est, prosperum successum recipientes.

5 *Gaditanum.*]. Bæticum virum. *Gades* enim in Bætica. Hoc latius tractat D. Hieron. in præf. Bibliorum. *Catan.*

6 *Ab ultimo terrarum orbe.*] A Gadibus, ultra quas est mare Oceanum. *Idem. Ab ultimo.*] Id est, ab ultima parte orbis terrarum. Ut apud Terentium: *Est mihi in ultimis ædibus conclave.* Veteres enim cum nondum repertæ occidentales Indiæ essent, Gades, extremæ Hispaniæ Insulam, unde hic venit, finem orbis terrarum & navigationum, ibique Solem occidere crediderunt. *Buchner.*

7 Α'φιλόκαλον.] *Id est:* Alienum ab homine honestatis studioso: sive, rerum honestarum. Affertur & alia lectio, *ἀπειρόκαλον*: id est ineptum. *Stephan.*

8 *Nulla est jucundior.*] Cum cæteræ voluptates sint momentaneæ, hæc pene divina. Unde interrogatus *Zeno Cinicus* quomodo quis fœlicem vitam duceret? Resp. *si cum mortuis immoraretur.* Significans si libris & eruditioni studuisset. *Catan.*

9 *Multo magis viva vox afficit.*] Hanc sententiam celebratam à Seneca Fabius his

licet acriora sint, quæ legas, altius tamen in animo sedent, [1] quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit. Nisi vero falsum putamus [2] illud Æschinis, qui cum legisset Rhodiis orationem Demosthenis, admirantibus cunctis, adjecisse fertur, [3] τί δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου (τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος) ἀκηκόειτε. & erat Æschines, si Demostheni credimus, [4] μεγαλοφωνότατος: fate-

his verbis retulit: *Licet satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva (ut dicitur) vox alit plenius, præcipueque præceptoris.* Catan.

1 *Quæ pronunciatio, &c.*] In hunc sensum M. T. de Perf. Oratore, *Carent*, inquit, *libri spiritu illo propter quem majora eadem illa cum aguntur, quam cum leguntur videri solent. Pronunciatio.*] A voce nomen accepit, cui in toto genere dicendi Demosthenes palmam dedit. *Vultus.*] De hoc sic M. Tull. de leg. lib. I. *Is qui appellatur vultus, qui in nullo animante est præterquam in homine, potest judicare mores: cujus vim Græci norunt, nomen omnino non habent. Habitus.*] Est corporis qualitas, & à M. Tullio describitur, quod sit *commoditas aliqua non natura data sed studio & industria parata.* Et Fabius lib. XI. Pleraque multa de eo differit. *Gestus.*] Motus corporis, qui debet esse magis ad sensus quam ad verba accommodatus. Nam flexus ille & (ut sic dixerim) motus dat actum quendam ad id, quod factum est. *Catan.*

2 *Illud Æschinis.*] Dictum, cujus Fab. & Plin. senior meminere. Æschines Atheniensis orator cum accusationem, qua fuerat usus, Rhodi legisset, legit & defensionem Demost. ob quam in illud depulsus fuerat exilium: mirantibusque Rhodiis, tum magis miraturos fuisse dixit, si ipsum orantem audivissent, in calamitate testis ingens factus inimici. Hanc rem M. Tul. lib. III. de Oratore clarius est executus, *Mihi melius etiam ab Æschin. illud dictum videri solet, qui cum per ignominiam judicii cessisset Athenis, & se Rhodum contulisset, rogatus à Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat, qua perlecta, petitum est ab eo postridie ut legeret illam etiam, quæ erat contra à Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam cum suavissima & maxima voce legisset, admirantibus omnibus, quanto, inquit, magis admiraremini si ipsum audivissetis?* Idem.

3 Τί δὲ εἰ, &c.] Id est, *Quid si illam ipsam belluam sua verba vociferantem audivissetis?* Sed plura exemplaria brevius (manente alioqui eadem sententia) τί δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκηκόειτε, id est, *quid si illam ipsam belluam audivissetis?* Stephanus.

4 Μεγαλοφωνότατος.] Id est, *maximæ vocis.* Legitur etiam λαμπροφωνότατος, id est, *clarissimæ vocis.* Male quidam codices habent μικροφωνότατος, id est, *minimæ vocis.* Nam Æschines in Ctesiphont. testatur solitum Demosthenem comparare *vocis suæ suavitatem sirenum cantilenæ.* Et Demosthenes in orat. pro Corona, scribit, Æschinem fuisse splendidissime vocalem, etiam dum puer in sacris caneret, qui postquam in virum evasit, splendore vocis tragœdus factus, multas tragœdias recitavit. Et ibidem λαμπροφωνότατον appellat, ut alibi εὔφωνον & μεγαλόφωνον: præsertim de transgressa legatione magnitudinem vocis ejus pluribus commemorans. *Cat. & Steph.*

fatebatur tamen longe melius eadem illa pronunciasse ipsum [1] qui pepererat. Quæ omnia huc tendunt; ut audias Isæum: vel ideo tantum, [2] ut audieris.

IV. C. PLINIUS [3] CALVINÆ S.

Persoluto ære alieno, quo premebatur Calvinæ pater, eo mortuo Plin. hortatur filiam, ut adeat hæreditatem, quam propter grande debitum recipere timebat.

SI pluribus pater tuus, vel uni cuilibet alii quam mihi, debuisset, fuisset fortasse dubitandum, an [4] adires hæreditatem etiam viro gravem: cum vero ego ductus [5] adfinitatis officio, dimissis omnibus, qui, non dico molestiores, sed diligentiores erant, creditor solus extiterim: cumque vivente eo nubenti tibi in dotem centum millia contulerim, præter eam summam, quam pater tuus, quasi de meo dixit (erat enim solvenda de meo) magnum habes facilitatis meæ pignus, cujus fiducia debes [6] famam defuncti pudoremque suscipere, ad quod ne te verbis magis quam rebus horter, quicquid mihi pater tuus debuit, [7] acceptum tibi ferri jubeo. Nec est, quod verearis,

1 *Qui pepererat.*] *Intell.* Demosthenem auctorem. *Catan.*

2 *Ut audieris.*] Ut per ea cognoscas Isæi ingenium & eloquentiam tanquam si eum audivisses. Hoc magis placet, quam vel duntaxat audias, ut possit gloriari te audivisse illum. *Idem.*

3 *Calvinæ.*] Calvinas tres fuisse lego, Juniam Calvinam originem ab Augusto trahentem, quæ Vespasiano supervixit: aliam meretricem, tertiam Calvini, ad quem scribit Juvenalis, parentem. Quanquam & *Calvillæ* epistolam missam legimus, quæ maritum habuit Anulum Verum Prætura functum, ex quo filium suscepit M. Antoninum, virum in omni vita philosophantem, qui Imperator creatus vitæ sanctitate omnes principes superavit. *Idem.*

4 *Adires hæreditatem.*] Necessariis hæredibus permittit Prætor volentibus se abstinere ab hæreditate, ut potius parentum quam ipsorum bona similiter à creditoribus possideantur. Calvina igitur patris necessaria hæres verebatur hæreditatem parentis recipere pressam multo ære alieno. *Idem.*

5 *Adfinitatis officio.*] Videtur innuere C. Calvisium parentem Domitiæ Calvillæ Cæcilio arcta propinquitate conjunctum. *Idem.*

6 *Famam defuncti.*] Debes quamprimum adire hæreditatem paternam: hoc pacto tutaberis famam patris tui, sin minus declarares omnia sua dilapidasse, quod summo dedecore illum inureret. *Idem.*

7 *Acceptum ferri.*] Volo, ut procurator meus vel dispensator eam summam

rearis, ne ſit mihi iſta oneroſa donatio. Sunt quidem omnino nobis modicæ facultates, dignitas ſumptuoſa, reditus propter [1] conditionem agellorum, neſcio minor, an incertior, ſed quod ceſſat ex reditu, frugalitate ſuppletur, ex qua velut à fonto liberalitas noſtra decurrit. Quæ tamen ita temperanda eſt, ne nimia profuſione [2] inareſcat. ſed temperanda in aliis, in te vero facile [3] ratio conſtabit, etiamſi modum exceſſerit. *Vale.*

V. C. PLINIUS [4] LUPERCO SUO S.

In dedicatione bibliothecæ in patria orationem habuit de laudibus ſuorum, & ſoli natalis apud municipes, ejus partem corrigendam Luperco deſtinat, rogans, ut ſuperflua amputet, concedat tamen aliquas digreſſiones, præſertim in deſcriptione locorum.

[5] ACtionem & à te frequenter efflagitatam, & à me ſæpe promiſſam exhibui tibi, non tamen totam. adhuc enim pars ejus perpolitur. Interim quæ abſolutiora mihi videbantur, non fuit alienum judicio tuo tradi-

mam rationibus ferat, me tibi donaſſe ſcilicet. Modus dicendi apud antiquos elegans & frequens. Plin. ſen. lib. VIII. *Magnitudini fatorum accepta ferri æquius, quam ferarum naturæ arbitror.* Et Cæcilius, an potius Domit. in epiſt. ad Terent. Max. *Summam expenſam liberalitati meæ feres*, ubi ſubticuit acceptam. *Catan.*

1 *Conditionem agellorum.*] Sterilium admodum, quales poſſedit juxta Larium. Nam in Thuſcis ſoli ubertatem commendat. *Idem.*

2 *Inareſcat.*] Extinguatur. Perſtat in Metaph. cum præmiſiſſet fontem. In hanc rem M. Tull. *Res familiaris nec ita claudatur, ut eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeretur, ut pateat omnibus. modus adhibeatur, iſque referatur ad facultates.* Idem.

3 *Ratio conſtabit.*] In promptu erit cauſa, quod tibi affinis, quod famam parentis tui protexerim. *Idem.* Conſtare ratio dicitur, cum quantum impenſæ, quibuſque nominibus fiat, non ignoratur. Seneca: *ratio mihi conſtat impenſæ:* quod eſt, *ſcio quantum impendo.* Hinc traducto genere dicendi aliam in ſententiam per quam eleganter dixit Tacitus: *eam eſſe conditionem imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quam ſi uni reddatur.* Vide Turneb. Adverſar. libro III.

4 *Luperco.*] Mutius Lupercus Legatus legionis adverſus Civilem inclytus fama, & potior. Lupercum refert Martialis librum ſuum ſæpe exegiſſe: ſed diſpari eventu à Cæcilio. Nam ille ſemper negaverat, hic pollicitus mittit. *Catan.*

5 *Actionem.*] Orationem, quam egi apud municipes meos. *Idem.*

[1] tradi. His tu rogo, [2] intentionem ſcribentis accommodes. nihil enim adhuc inter manus habui, cui majorem ſolicitudinem præſtare deberem. Nam in cæteris actionibus [3] exiſtimationi hominum, diligentia tamen, & fides noſtra, [4] in hac etiam pietas ſubjicietur. Inde & liber crevit, dum ornare patriam & amplificare gaudemus, pariterque & defenſioni ejus deſervimus, & gloriæ. Tu tamen hæc ipſa, quantum ratio exegerit, reſeca. Quoties enim ad faſtidium legentium, deliciaſque reſpicio, intelligo nobis commendationem etiam ex ipſa mediocritate libri petendam. Idem tamen, qui à te hanc [5] auſteritatem exigo, cogor id quod diverſum eſt poſtulare, ut in pleriſque [6] frontem remittas. Sunt enim quædam adoleſcentium auribus danda, præſertim ſi materia non refragetur. Nam deſcriptiones locorum, quæ in hoc libro frequentiores erunt, non [7] hiſtorice tantum, ſed prope poëtice proſequi fas eſt. Quod tamen ſi quis extiterit qui putet nos [8] latius feciſſe, quam orationis ſeveritas exi-

1 *Tradi.*] Demandari. *Idem.* Pal. & editio Vetus habent illud Marginale: *traditum iri. Rogo intent. &c.* Grut.

2 *Intentionem.*] Mentem, animum. Intentio eſt animadverſio, qua animus ad quod intenditur, dirigitur. Alias eſt, ex qua ſtatus principium habet, quæ depulſione conficitur. Hanc non intelligit cum laudativum genus nullum habeat ſtatum. *Idem. Intentionem ſcribentis accommodes.*] Non minori intentione, id eſt, cura & ſtudio legas, quam ſcripſi ipſe. *Buchn.*

3 *Exiſtimationi hominum.*] Diligens & fidelis fui clientibus, ut bonam mihi apud homines famam pararem. *Cat.*

4 *In hac etiam.*] Actione nempe, quam patriæ debet. Pietas enim in patriam & majores maxime conſpicienda.

5 *Auſteritatem.*] Severitatem, aſperitatem. Græcum vocabulum eſt, Αὐστηρὸς, ab αὔω, *ſicco.* Solent enim αὐστηρὰ linguam ξηραίνειν καὶ τραχύνειν βαθέως, ut docet Aëtius. Sæpius ad res, præter hominem, extenditur, ut ad tenuem menſam apud Plautum, ad vinum apud Dioſc. αὐστηρὸς οἶνος.

6 *Frontem remittas.*] In lætitiam reſolvaris. Nam ſeveriores ſunt fronte contractiore & caperatiore. Hinc Martial.

Triſte ſupercilium durique ſevera Catonis
Frons. ———

Catan. De *fronte* vero *hilaro*, & quam diſertè id dicatur, vide *A. Gell. in Noct. Atticis lib.* xv. *c.* 9.

7 *Hiſtorice.*] Vere. quod adeo probat ut lib. VII. dicat: *Sæpe in oratione quoque non hiſtorica modo, ſed prope poëticæ deſcriptionis neceſſitas incidit.* Cat.

8 *Latius feciſſe.*] Pluribus complexos. Non diſplicet *lautius*, hoc eſt, uberius & copioſius. Verum ſi leges *latius*, id opponetur, triſtitiæ accommodatius.

exigat: hujus, ut ita dixerim, triſtitiam reliquæ partes actionis exorare debebunt. Adniſi certe ſumus, ut [1] quamlibet diverſa genera [2] lectorum per plures dicendi ſpecies teneremus. At ſicut veremur, ne quibuſdam pars aliqua ſecundum ſuam cujuſque naturam non probetur: ita videmur poſſe confidere, ut univerſitatem omnibus varietas ipſa commendet. Nam & in ratione conviviorum, quamvis à pleriſque cibis ſinguli temperemus, totam tamen cœnam laudare omnes ſolemus: nec ea quæ ſtomachus noſter recuſat, adimunt gratiam illis, quibus capitur. Atque hæc ego ſic accipi volo, non tanquam [3] aſſequutum eſſe me credam, ſed tanquam aſſequi laboraverim, fortaſſe non fruſtra, ſi modo tu curam tuam admoveris, interim [4] iſtis, mox iis quæ ſequentur. Dices te non poſſe ſatis diligenter id facere, niſi prius totam actionem cognoveris. Fateor: in præſentia tamen & iſta tibi familiariora fient, & quædam ex his talia erunt, ut per partes emendari poſſint. Etenim ſi [5] avulſum ſtatuæ caput, aut membrum aliquod inſpiceres, non tu quidem ex illo poſſes congruentiam æqualitatemque deprehendere, poſſes tamen judicare an idipſum ſatis elegans eſſet. Nec alia ex cauſa principia librorum circumferuntur, quam quia exiſtimatur pars aliqua etiam ſine cæteris eſſe perfecta. Longius me provexit dulcedo quædam tecum loquen-

datius. *Catan.* Probem alterum *lætius.* Hoc enim τῇ *Severitati* ac *triſtitiæ* rectius opponitur. *Buchn.*

1 *Quamlibet diverſa.*] Multum diſtantia. Legitur & *qualibet diverſa.* Cat.

2 *Lectorum.*] Senſus eſt: cum variæ ſint hominum ſpecies, ſic & dicendi: ſtuduimus aſpergere totam orationem dicendi varietate, ut unuſquiſque pro ingenio ſuo haberet aliquam partem, qua detineretur. *Idem.*

3 *Aſſecutum.*] Varietatem orationis commode diſtinxiſſe. *Idem.*

4 *Iſtis.*] Id eſt, parti, quam miſi. *Mox iis quæ ſequentur.*] Id eſt ei parti, quam poſtea deſtinabo. Jam enim prædixerat actionis partem exhibere, quædam apud ſe continere in aliud tempus. *Idem.*

5 *Avulſum.*] Exemptum, detruncatum. Statuis enim ſolebant pro arbitrio capita demere & reponere, quibus aliam atque aliam effigiem addebant interdum. *Idem.* Hac de re ſic Sueton. in Calig. cap. XXII. *Dato negotio, ut ſimulacra Numinum — apportarentur, quibus capite dempto, ſuum imponeret.*

loquendi. sed jam finem faciam, ne modum quem etiam orationi adhibendum puto, in epistola excedam. *Vale.*

VI. C. Plinius [1]Avito S.

Admonet Avitum, ut simul fugiat & nimiam lautitiam & sordem, commemorando cœnam cujusdam, qui alia aliis posuerat.

Longum est altius repetere, nec refert quemadmodum acciderit, ut homo [2]minime familiaris cœnarem apud quendam ut sibi videbatur, lautum & [3]diligentem: ut mihi, sordidum simul & sumptuosum. nam sibi & paucis optima quædam, cæteris vilia & [4]minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera [5]descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi. Et [6]aliud sibi & nobis, aliud minoribus amicis (nam

1 *Avito.*] Scio *Avitum* Antoninum procuratorem Cæsaris in Cilicia iisdem quibus Secundum temporibus floruisse, & divum Antoninum *Martio Avito* Prætori rescripsisse, ac Avitum Stertinium monumentis à Mart. celebratum, ut omittam Lollianum *Avitum* virum Consularem, cujus Capitolinus & Apulejus meminere. Sed *Julio Avito*, aut *Junio* scriptam fuisse hanc epistolam crediderim: nam *Junii Aviti* Ædilitatis candidati obitum lib. VIII. amarissime deflet, ut Julii lib. V. ubi sui amantissimum, summa fuisse consecuturum asserit, si maturuissent ejus virtutes. Fuit & sub Nerone *Junius Avitus* Germanicis copiis præfectus, quanquam apud Tacitum parum diligentes legant *Dubium Avitum.* Catan.

2 *Minime familiaris.*] Non solitus foris cœnare: vel illi amico non domesticus. *Idem.*

3 *Diligentem.*] Parcum. Nam *diligentia*, judicio M.Tul. ex lib. II. de Oratore, *virtutes reliquæ continentur.* Idem.

4 *Minuta.*] Minima. An forsan respexit ad pisciculos: quod Juvenal, damnat non secius in Varrone *Idem.*

5 *Descripserat.*] Diviserat, denotaverat. M. T. pro Milone, *Cum me latronem ac sicarium abjecti homines describebant.* At Julius Cæsar vir tantus pistorem alium panem, quam sibi convivis subjicientem compedibus vinxit: facinus haud dissimile rebus vitæ suæ gestis. Erant etiam quidam divites sibi, pauperes amicis, atrociter hoc Juvenale insectante. Et Plinius senior frugalitatem Catonis redeuntis ab Hispania cum triumpho laudans, *Non aliud* inquit, *vinum bibit, quam remiges: in tantum dissimilis istis, qui etiam convivis alia quam sibimetipsis ministrant, aut precedente cœna subjiciunt.* Idem.

6 *Aliud.*] Explicat illa tria vini genera, primum optimum sibi & dignioribus miscebat, secundum minoribus, ut clientibus, quod Mart. non sine summa indignatione sæpius mordet. tertium, id est vilissimum, libertis. *Idem.*

1 *Notam.*]

(nam gradatim amicos habet) aliud ſuis noſtriſque libertis. Animadvertit qui mihi proximus recumbebat, &, an probarem, interrogavit. Negavi. Tu ergo, inquit, quam conſuetudinem ſequeris? Eadem omnibus pono, ad cœnam enim non ad [1] notam invito: cunctiſque rebus exæquo, quos menſa & toro æquavi. Etiamne libertos? etiam: [2] convictores enim tunc, non libertos puto. Et ille: Magno tibi conſtat: Minime. Quî fieri poteſt? Quia ſcilicet liberti mei non idem, quod ego bibunt, ſed idem ego, quod liberti. Et [3] Hercule, ſi gulæ temperes, non eſt oneroſum, quo utaris ipſe, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quaſi in ordinem redigenda eſt, ſi ſumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam [4] aliena contumelia conſulas. Quorſum hæc? Ne tibi optimæ [5] indolis juveni quorundam [6] inmenſa luxuria ſpecie frugalitatis [7] imponat. Convenit autem amori in te meo quoties tale aliquid inciderit ſub exemplo præmonere, quid debeas fugere. Igi-

1 *Notam.*] Infamiam: ut per vini ſpecies amici cognoſcantur quoto ſint loco apud me. Scio etiam notam vini eſſe. *Catan.*

2 *Convictores.*] Convictorem appellamus familiarem convivam, qui quotidie nobiſcum vivat. Horat.

Nunc quia ſum tibi Mecœnas convictor.

Tranquillus, *Fuit Tiberius nihilo lenior in convictores græculos.* Idem.

3 *Hercule.*] Etiam *Me Hercule*: formula jurandi Viris tantum uſitata, uti *Mecaſtor* fœminis. *Ædepol* vero, quod jusjurandum per Pollucem eſt, & Viro & Fœminæ commune eſt. Rationes, qui avet, adeat *A. Gell. in Noct. Att. lib.* XI. *cap.* 6. Nec *Medius fidius* jurabant olim mulieres, id enim ipſis religio erat. Vid. *Turneb. Adverſ. lib.* III. c. 20. *&* XVI. *cap.* 10.

4 *Aliena contumelia.*] Notando gradus amicorum per cibos. *Catan.*

5 *Indolis.*] Spei. Eſt autem indoles virtutis indicium in adoleſcente. Valerius de indole, *Attingam*, inquit, *nunc quaſi cunabula quadam & elementa virtutis, animique præcedente tempore ad ſummum gloriæ cumulum perventuri.* Livius numeratis Annibalis virtutibus & vitiis, ſuperaddit, *Cum hac indole virtutum ac vitiorum triennio ſub Aſdrubale Imperatore meruit.* Idem.

6 *Inmenſa.*] Sic libuit reſcribere, præeuntibus membranis à Modio excuſis. Hactenus editi male, *immenſa luxuria.* Gruter.

7 *Imponat.*] Te decipiat. Juvenal.

—— *Facile eſt barbato imponere regi.*

A quo impoſtor, id eſt deceptor. emendanda dictio apud JC. cum paſſim legatur *impoſteres* pro *impoſtores*, & ita perverſe à quibuſdam interpretetur. *Catan.*

1 Novam

Igitur memento; nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriæ & sordium [1] novam societatem: quæ cum sint turpissima, discreta ac separata, [2] turpius junguntur. *Vale.*

VII. C. Plinius Macrino Suo S.

Imperatorem Spurinnæ rebus præclare gestis statuam triumphalem decrevisse, & filio ejus Cottio defuncto in solatium patris, Macrinum monet.

HEri à Senatu [3] Vestricio Spurinnæ, Principe auctore [4] triumphalis statua decreta est: non ita [5] ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique [6] tubarum sonum nisi in spectaculis, audierunt: verum ut illis qui decus istud sudore & sanguine & factis assequebantur. Nam Spurinna [7] Bructerum regem vi & armis induxit in regnum: ostentato-

1 *Novam societatem.*] Inauditam & inusitatam conjunctionem diversarum rerum, cum dicatur duo contraria non posse simul stare in eodem subjecto. *Catan.*

2 *Turpius junguntur.*] Adverte comparativum habere majorem significantiam suo superlativo. Sic in paneg. orat. *Meliorem optimo genuit.* Et M.T. in fine Offic. *Te mihi quidem esse charissimum: sed multo fore chariorem.* Idem.

3 *Vestricio Spurinnæ.*] Hic Othoniani exercitus dux ad occupandas Padi ripas præmissus, Placentiam coloniam adversus Cecinnam strenue tutatus est. Nam indomitum militem & belli ignarum, nec imperio parentem intra mœnia continuit, summo tamen sui ipsius discrimine, ne à suis proderetur, sed ipse volentes mœnibus eduxit: deinde noctis interventu, cum Cecinna venire nunciaretur, timentes introduxit, strenueque coloniam tunc maxime florentem tutatus est: ibi relicto modico præsidio, Macro cum cohortibus subvenit. Vir sanctissimus, qui ex longa senectute nihil præter solam prudentiam habebat, utraque lingua doctissimus, & in ordine vitæ dispositus. *Idem.*

4 *Triumphalis statua.*] In habitu triumphantis. Lege de honore statuarum. Plin. sen. lib XXXIV. cap. IV. *Idem.* Initium sumtum est ab Atheniens. qui primi Harmodio & Aristogitoni statuas posuere.

5 *Ut multis.*] Quibus passim in foro pro libidine principum statua dabatur: in quod Juven. satyricum fulmen torquet Satyra I. *Catan.*

6 *Tubarum.*] Harum usus etiam in bello erat, quanquam & in sacris, unde *Sacrorum tubicines* est apud Turneb. Lib. XXII. Advers. cap. 9. Frequentius tamen *tibicines* ad sacra adhibebantur, ut & ad funera. Qui vero *siticines* dicantur Cæsellius Vindex in Comment. Antiquar. Lect. scire se negat, quod tamen A. Gellius ex Capitonis Atei conjectaneis cognovit. Vide lib. XX. cap. 2. in Noct. Att.

7 *Bructerum.*] Pro *Bructerorum. Bructeri* sunt Germaniæ populi secundum Claudian. sylvæ Hercyniæ accolæ, qui

tatoque bello, ferociſſimam gentem (quod eſt [1] pulcherrimum victoriæ genus) terrore perdomuit. Et hoc quidem virtutis præmium, illud ſolatium [2] doloris accepit, quod filio ejus Cottio quem amiſit abſens, habitus eſt honor ſtatuæ. Rarum id in juvene, ſed pater hoc quoque merebatur, cujus graviſſimo vulneri magno aliquo fomento medendum fuit. Præterea [3] Cottius ipſe tam clarum ſpecimen indolis dederat, ut vita ejus brevis & anguſta debuerit hac veluti immortalitate proferri. Nam tanta ei ſanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut poſſet ſenes illos provocare virtute, quibus nunc honore adæquatus eſt. Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriæ, dolori patris, verumetiam exemplo proſpectum eſt. [4] acuent ad bonas artes juventutem: adoleſcentibus quoque (digni ſint modo) tanta præmia conſtituta: acuent principes viros ad [5] liberos ſuſcipiendos. & gaudia ex ſuperſtitibus, & amiſſis tam glorioſa ſolatia. His ex cauſis ſtatua Cottii publice lætor, nec privatim minus. Amavi conſummatiſſimum juve-

læ, qui quondam vicinarum conſenſu nationum ſuper ſexaginta millia ceciderunt. deinde cum novos motus in Germania adverſus Romanum nomen excitaſſent, & aliquando ſuperiores facti mortua regina, Velleda, imperium ſub Domitiano recuſarunt. Poſtea eorum Regem, qui ad Romanos confugerat, Veſtricius Spurinna Trajani juſſu in regnum introduxit ſine ſanguine & cæde, ſed terrore ſolo domitis Bructeris: qui tamen pariter ſub Nerone à bello metu deterriti ſunt per Julium Avitum. *Tacitus.*

1 *Pulcherrimum.*] Sine ſanguine & pugna hoſtem ſuperare. Ii autem merebantur orationem minorem triumpho. *Catan.*

2 *Doloris.*] Quem interitu filii conceperat. Abſens quidem in expeditione contra Bructeros. *Idem.*

3 *Cottius.*] Cujus mater Cottia & avus maternus Cottejanus. *Idem.*

4 *Acuent.*] Incitabunt. Inde Auguſtus in publicis decorus, opera cujuſque ducis manentibus titulis reſtituit, & ſtatuas omnium triumphali effigie in utraque fori ſui porticu dedicavit. *Idem.* *Acuent, &c.*] Diſtingue, *Acuent ad bonas artes juventutem, adoleſcentibus quoque (digni ſunt) modo præmia conſtituta: acuent principes, &c.* Caſaub.

5 *Liberos ſuſcipiendos.*] Ad uxorem ducendam. Multi enim ſub malo principe cœlibem vitam malebant, cum viderent in perniciem ſui plerunque filios tolli, quoſdam avaritia detinebat, orbitatis munera aucupantes. Nam lex illa de maritandis ordinibus jam exoleverat, qua locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia & pares pœnæ cohortabantur. *Catan.*

1 Domi

juvenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro. Erit ergo pergratum mihi hanc effigiem ejus ſubinde intueri, ſubinde reſpicere, ſub hac conſiſtere, præter hanc commeare. Etenim ſi defunctorum imagines [1] domi poſitæ dolorem noſtrum levant, quanto magis eæ, quibus in celeberrimo loco non modo [2] ſpecies & vultus illorum, ſed honor etiam & gloria refertur? *Vale.*

VIII. C. PLINIUS CANINIO SUO S.

Si quando poterit occupationibus urbanis diſſolvi, promittit Caninio ſe venturum ad Larium, ubi & ſtudere & piſcari, venarique commode liceat.

STudes? an piſcaris? an venaris? an ſimul omnia? poſſunt enim omnia ſimul fieri ad [3] Larium noſtrum. nam lacus piſcem, feras ſylvæ, quibus lacus cingitur, ſtudia altiſſimus iſte [4] ſeceſſus affatim ſuggerunt. Sed ſive omnia ſimul, ſive aliquid facias, non poſſum dicere, invideo: angor tamen non & mihi licere, quæ ſic concupiſco, ut [5] ægri vinum, balinea, fontes. Nunquamne hos

1 *Domi poſitæ.*] In atrio ſupertabulino, qui locus erat atriò proximus authore Feſto, ſed Vitruvio referente pars erat atrii. *Catan.*

2 *Species & vultus.*] Species eſt totius corporis. Nam ſolebant effigiem exprimere, & imaginem viventis quantum per artem poterant reddere. *Plinius ſenior.*

3 *Larium noſtrum.*] Larium lacum ad Comum patriam noſtram: ex quo Abdua fluvius exit. Polybius tamen referente Strabone, contra omnium opinionem reſcriptum reliquit, Larium longitudine fere ſtadiorum tercentum, latitudine triginta, amnem ejicere Ticinum, Verbanum vero Abduam. Quod quidam parum diligentes, tanquam menda eſſet interpretis ſive Strabonis, corrigunt: non anteriora reſpicientes, ubi Strabo Polybium dicit hoc aſſerere; quæque uſque ad finem libri IV. referuntur ex ejus ſententia dici, & alibi ſæpius Strabonem ſentire Larium emittere Abduam, non Ticinum. Appianus tamen niſi menda eſt (quoniam opinor ſcribendum Lirim) ſcribit lib. I. bellorum civil. flumen Larium ad Linternum defluere. Appellatus eſt Larius à Larone, qui lingua Hetruſca nobilis princeps dicitur. *Cat. ex Sempronio.*

4 *Seceſſus.*] Locus remotus à rebus urbanis: & ſecedere eſt ab urbe rus proficiſci ocii cauſa. *Idem.*

5 *Ægri.*] Deſiderant vinum, balnea, aquam. Hinc

Setinum dominæque nives, denſique trientes.

Quando ego vos medico non prohibente bibam?

Martialis.

hos arctissimos laqueos si solvere negatur, [1] abrumpam? nunquam puto. Nam veteribus negociis nova accrescunt, nec tamen priora peraguntur, tot nexibus, tot quasi [2] catenis majus indies occupationum agmen extenditur. *Vale.*

IX. C. PLINIUS [3] APOLLINARI SUO S.

Apollinari Euritium commendat, ut eum in petitione Tribunatus adjuvet: exponens quot in illum beneficia contulerit, quibus virtutibus, & parentum laudibus ornetur.

ANxium me & inquietum habet petitio Sexti Euritii mei. afficior cura: & quam pro me solicitudinem non adii, quasi [4] pro me altero patior: & alioquin meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur. Ego Sexto [5] latumclavum à Cæsare nostro, ego quæ-

1 *Abrumpam.*] Saltem relinquam imperfectos, vel incidam tanquam nodum Gordianum. *Catan.*

2 *Catenis.*] Sicut catenas annuli connexi efficiunt in majus. Et Martialis catenatos labores appellat multiplices & conjunctos lib. I. *Idem.*

3 *Apollinari.*] Claudium Apollinarem præfectum classis *Tacitus*, Apollinarem tragœdum *Gellius*, Cesennium Apollinarem JC. *Paulus* memorant. Fuerunt & alii plurimi Apollinares, antiquiores, & Secundo posteriores. Sed suspicor scriptam epistolam *Domitio Apollinari* Consuli designato, cujus Secundus lib. IX. meminit. Vel *Sulpitio Apollinari* doctissimo, quem sane ex verbis Gellii conjector fuisse Cæcilii temporibus: ad quem Martialis suum scazonta mittit lib. VI. & Græca scripsisse epigrammata scimus. *Idem.*

4 *Pro me altero.*] Pro Euritio: quem alterum me existimo. *Idem.*

5 *Latumclavum.*] Dignitatem Senatoriam. Erat enim *latusclavus* vestis Senatoria, ut docet Spartianus & Tranq. in Aug. referens liberis Senatorum, quo celerius reipub. assuescerent, protinus virilem togam latumclavum induere, & curiæ interesse permisisse. Et ib. *laticlavios* Senatores appellat, ac sumenti Augusto virilem togam tunicam *laticlavi* resutam ex utraque parte ad pedes ejus decidisse: quo signo ostendebatur Senatum futurum ei dicto parentem. Lamprid. in Severo, non latumclavum sed *laticlaviam* vocat, dicens illum Præfectis Prætorii sui Senatoriam addidisse dignitatem, ut viri clarissimi & essent & dicerentur. Quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat, eousque ut si quis Imperatorum successorem Præfecti Prætorii dare vellet, *laticlaviam* eidem per libertum submitteret. Sic Valer. lib. V. *laticlaviam* appellavit tunicam. Vopiscus *clavatam* vestem, & Lamprid. auro inspersam appellant. Erat autem *clavus aureus* purpuræ insitus, quam tunicam *laticlavi* in modum

quæsturam [1] impetravi: meo suffragio pervenit ad [2] jus Tribunatus petendi: quem nisi obtinet in Senatu, [3] vereor ne decepisse Cæsarem [4] videar. Proinde adnitendum est mihi ut talem eum judicent omnes qualem esse Princeps mihi credidit: quæ causa si studium meum non incitaret, adjutum tamen cuperem juvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum, & quidem cum tota domo. Nam pater ejus [5] Euritius vir sanctus, antiquus, disertus, atque in agendis causis exercitatus quas summa fide, pari constantia, nec verecundia minore defendit. Habet avunculum [6] C. Septitium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim, & tamen æqua-

gausape texi suis temporibus inceptam tradit Plin. senior. *Idem.* Est & Augusticlavium, quo designatur equestris ordo. Nam clavo equites & senatores discreti: quid fuerit erudite disserit Cujac. lib. XII. obs. cap. 39. *Schegkius.* Vid. & *Turneb. Advers. lib.* I. *cap.* 2. XXV. *c.* 17. *A. Manut. ad Vell. Paterc.* & *Salmas. ad Sueton. in Augusto.*

1 *Impetravi.*] Cum non esset civis R. Senatoriam dignitatem ac Quæsturam ab Imp. impetravi. An, quia ante tempus gerendorum honorum, quamvis civis esset. Nam, inquit Ulp. de minoribus annis: XXV. ad munera sive honores creandis, justa ætas servanda est: nec ante tempus legitimum nisi ab Imperatore ad magistratus creari poterant. *Catan.*

2 *Jus Tribunatus.*] Non enim omnibus licebat petere magistratus. Unde tradit Tacitus Vejenonem accusatum, quod ab eo vendita fuissent munera Principis, & adipiscendorum honorum jus. Nam etsi fuisset jure municipali, quo tantum muneris honorarii cum populo Romano particeps erat, tamen auctore Gellio id jus jam obliteratum, & per innotitiam inusitatum manebat. *Tribunatus.*] Plebis intellige, pro quo consequendo, Clodius plebejum se fecit, cum non liceret nobilioribus eam dignitatem petere, quem modum potuit servasse Euritius. Sequentia faciunt ut credam fuisse Tribunatum plebis, magis quam legionum: quanquam Tranquillus tradat Augustum statim post virilem togam liberis Senatorum latumclavum indulsisse, & curiæ interesse permisisse, militiamque auspicantibus non Tribunatum modo legionum, sed etiam præfecturas alarum dedisse. *Id.*

3 *Vereor ne decepisse.*] Sic Pal. & vetus edit. non *Vereor ut decepisse*, sicut impressi recentius. *Grut. Vereor ne, &c.*] Corruperunt hunc locum, qui inseruerunt de suo τὸ *ut*, quod etiam priores editiones non habent, nec ferri potest. *Casaub.*

4 *Videar.*] Si rejiciatur tanquam indignus, & Trajano dignum omni dignitate persuaserim. *Catan.*

5 *Euritius Clarus.*] Fuit præfectus urbis, morum literarumque veterum studiosissimus. *Gellius.*

6 *C. Septitium.*] Septitium (Clarum:) cujus consilio epistolas publicavit. *Catan.* Vid. lib. I. ep. I.

1 *Pren-*

æqualiter amant: omnibus nunc ego in uno referre gratiam possum. Itaque [1] prenso amicos, supplico, ambio domos; [2] stationesque circumeo: quantumque vel auctoritate vel gratia, valeam, precibus experior. Te quoque obsecro, ut aliquam oneris mei partem suscipere tanti putes. Reddam vicem, si reposces: reddam, &, si non reposces. Diligeris, coleris, frequentaris. ostende modo velle te, nec deerunt, qui quod tu velis, cupiant. *Vale.*

X. C. PLINIUS OCTAVIO SUO S.

Octavium admiratur posse tamdiu continere versus suos, hortaturque ad editionem.

[3] HOminem te patientem, vel potius [4] durum, ac pene crudelem, qui tam insignes libros tam diu teneas! Quousque & tibi & nobis invidebis? tibi, maximam laudem: nobis, voluptatem? Sine per ora hominum ferantur, iisdemque quibus lingua Romana, [5] spatiis pervagentur: magna etiam longaque expectatio est: quam frustrari adhuc & differre non debes. Enotuerunt quidam tui versus, & invito te, [6] claustra tua refregerunt: hos

1 *Prenso.*] Sic diserte editio antiquior & Pal. sive *prehenso*. Non ut retro vulgati, *prendo*. Grut.

2 *Stationes.*] Ubi consident cives fabulandi causa. *Catan.* Vide observata nostra ad l. I. epist. XIII.

3 *Nominem.*] Vera lectio, non *hominem*: ut Laur. Vallam, & alios video legere. *Cat.* *Hominem.*] Vera lectio est, quam immerito Catanæus non probat: *Hominem te patientem, vel potius durum! qui tam insignes libros tamdiu teneas.* Quis in Epist. M. Tullii illa non observavit? *Homines ridiculos! qui, &c.* Item: *Hominem ridiculum! qui.* & alibi: *Lepidum amicum Sallustium! qui, &c.* talia sunt sexcenta in Cic. simile principium Epist. XXI. infra lib. IV. *Tristem, & acerbum casum Helvidiarum sororum!* nec multo aliter orditur epistolam XXIV. lib. VI. *Is. Casaub.* *Hominem.*] Neque aliter quoque Pal. aut editio antiqua. *Gruterus.*

4 *Durum.*] Asperum, nimium severum, inurbanum. Sic Ulp. tit. *de Furtis*, & idem in paneg. Papinianus etiam pro inhumano: sicut M.T. de Perfecto Oratore pro agresti. *Catan.*

5 *Spatiis.*] Per imperium Romanum. Nam Latinitatem conati sunt Romanorum prisci una cum imperio diffundere. Testatur Valerius Maxim. lib. II. cap. de institutis. *Idem.*

6 *Claustra tua refregerunt.*] Id est, in lucem prodierunt. Claustrum proprie est clausura, sive quo aliquid clauditur. Sic Plautus in Curc. *Nam sonitum & crepitum claustrorum audio.* Et Virg. —— *Portarum ingentia claustra.* Antiqui clostra pro claustra dixerunt.

hos, nisi retrahes in corpus, quandoque ut [1] errones, aliquem cujus dicantur invenient. Habe ante oculos mortalitatem, à qua asserere te hoc uno monimento potes. nam cætera, fragilia & caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt desinuntque. Dices, ut soles, Amici mei viderint. Opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, ut tantum curæ intentionisque suscipere & possint & velint. sed dispice ne sit parum providum, [2] sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes. Et de editione quidem interim, ut voles, [3] recita saltem, quo magis libeat emittere: utque tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere præsumo. [4] Imaginor enim, qui concursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat: quo ego, quum dico vel recito, non minus quam clamore, delector. sit modo silentium acre & intentum & cupidum ulteriora audiendi. Hoc fructu tanto, tam parato, desine studia tua infinita ista cunctatione fraudare: quæ quum modum excedit, verendum est, ne [5] inertiæ & desidiæ vel etiam timiditatis nomen accipiat. *Vale.*

XI. C. PLI-

1 *Errones.*] Vagabandi servi, fugitivi, sic enim interpretatur Ulp. tit. *de servis fugitivis*: quanquam Arrianus de re militari, velit erronis crimen in servo levius esse, quam fugitivi. Inde Labeo pusillum fugitivum erronem appellat, ut ex diverso fugitivum magnum erronem. In summa, *erro* est, qui non equidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit. Hinc Columella *erronem* apum ducem censet detractis alis velut quadam compede domi retinendum. P. Nigidius stellas erraticas, auctore Gellio, *errones* appellabat, quas Apulejus erronias & vagas vocat. *Catan.*

2 *Sperare ex aliis.*] Ennius apud Gellium:

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies. Buchn.

3 *Recita.*] Recitare est librum, vel suum, vel alienum repetere. Cicero pro Cluentio: Tris & ipse excitavit recitatores cum singulis libellis. *Catan.*

4 *Imaginor.*] In animum & phantasiam induco, ac per imaginem intueor. *Idem.* Hunc locum interpretatur Casaubonus ad Theophrasti characteres, cap. περὶ κηλακείας. *Buchn.*

5 *Inertiæ.*] Nimia cunctatio, solet non modo pigritiæ, sed timiditati ascribi: & ipsa emendatio finem habet auctore Quintiliano, apud quem plura lege lib. x, cap. de emendatione. *Catanæus.*

1 Maje-

XI. C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

Marius Priſcus Africæ Proconſul à provincialibus cum ſuis miniſtris accuſatus repetundarum, agente Secundo damnatus eſt.

SOlet eſſe gaudio tibi, ſi quid actum eſt in ſenatu dignum ordine illo. Quamvis enim quietis amore ſeceſſeris, inſidet tamen animo tuo [1] majeſtatis publicæ cura. Accipe ergo quod per hos dies actum eſt [2] perſonæ claritate [3] famoſum, ſeveritate exempli ſalubre, rei magnitudine æternum. Marius Priſcus [4] accuſantibus Afris, quibus [5] Proconſul præfuit, [6] omiſſa defenſione [7] judices petiit. Ego & Cornelius Tacitus adeſſe [8] provincialibus juſſi,

1 *Majeſtatis.*] Publicæ Senatus dignitatis, & amplitudinis, quæ majoribus inſunt. Unde Jovi majeſtatem aſcribunt poëtæ, & Imperatoribus rerum ſcriptores, de qua Valerius. Eſt & illa quaſi privata cenſura majeſtas clarorum virorum, ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio, potens in amplitudine ſua obtinenda: grato enim & jucundo introitu animis hominum illabitur, admirationis prætexta velata. Quam recte quis diceret longum & beatum honorem eſſe ſine honore. *Catan.*

2 *Perſonæ.*] Marii Priſci, Viri conſularis & ſeptemviri epulonum. *Idem.*

3 *Famoſum.*] Clarum, cognitum. Vocabulum medium, quo Apulejus cum laude utitur, & Juvenalis: etſi nonnulli legant *fumoſos*, non famoſos equites: ſecus alii. *Idem.*

4 *Accuſantibus Afris.*] Vide infra lib. III. Epiſtolam IX.

5 *Proconſul præfuit.*] Proconſulatu ſuo rexit Africam, an magis loco Conſulis? M. Tull. in Philipp. *Nam Sertorianum bellum à Senatu privato datum eſt: quia Coſſ. recuſabant: cum L. Philippus Proconſulem ſe eum mittere dixit non Proconſule.* Catan.

6 *Omiſſa defenſione.*] Non enim poterat dicere hanc cauſam non conſtare, nec factum negare, nec non eſſe quod objiciebatur, nec ut recte factum defendi poterat. Quare contentus erat ut relictis cæteris criminibus, de repetundis tantum judicarent: ne dum ſe defendere conatur in Senatu atrociora detegerentur, & Judices facilius quam Senatores putabat poſſe corrumpere. *Idem.*

7 *Judices petiit.*] Poſtulavit ut ſibi darentur judices. Primum judicia in manu Equitum fuerunt: deinde per Syllam ad Senatum traducta, poſtea lege Aurelia ad Equites Senatores, Tribunos Ærarios. Julius Cæſar ad duo genera judicum redegit, Equeſtris ordinis, & Senatorii, Tribunos Ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit. Temporibus Domitiani à Senatu Judices dari ex ordine Senatorio inceptum eſt. Nam in ejus vita ſcribit Tranquill. illum auctorem fuiſſe Trib. pl. Ædilem ſordidum repetundarum accuſandi, & in eum Judices à Senatu petendi. *Idem*

8 *Provincialibus.*] Afris. Fuit enim Africa poſt deletam Carthaginem redacta in formam provinciæ, ſublatis Regibus & aliorum principatu, paruit Romanis legibus & judicibus, tributis inſuper impoſitis. Quod præter Oroſium & Tacit. Cæſar l. VII. belli Gallici docet. *Idem.*

[1] jussi, existimavimus fidei nostræ convenire, notum senatui facere, excessisse Priscum immanitate & sævitia, crimina quibus [2] dari judices possent, quum ob innocentes [3] condemnandos, [4] interficiendos etiam, pecunias accepisset. Respondit [5] Fronto Catius, [6] deprecatusque est: ne quid ultra [7] repetundarum legem quæreretur, omnia-

1 *Jussi.*] Solitos dari patronos publice præter Secundum ostendit M. T. pro Murena. An quia tunc Plin. erat præfectus ærario Saturni, & ideo omnibus advocationibus renunciavit, ut toto delegato sibi officio vacaret? Unde ipso ad Trajanum referente, cum patronum se provinciales optassent contra Marium Priscum, petiit hujus muneris veniam, & impetravit, nam jussit Senatus ut ageret. *Idem.*

2 *Dari judices.*] Quos judicii causa delegisset Senatus. Nam judices dabantur à senatu in rebus tenuioribus & ambiguis. *Idem.*

3 *Condemnandos.*] In exilium detrudendo, ut Equitem Romanum unum. *Idem.*

4 *Interficiendos.*] Ut septem ejus amicos, & alterum equitem Rom. *Idem.*

5 *Fronto Catius.*] Frontones multos fuisse lego. Nam *Frontonis* cum Tito amicitia conjuncti bis meminit Joseph. & Tacitus. *Julii Frontonis* in rebus Othonis: & *Licinium Frontonem* monstrat Ulp. fuisse sub Imperatore Antonino. *Frontonem* Consulem sub Nerva Dion, quem Martialis & bello & pace clarum prædicat. Fuit igitur *Cornelius Fronto Catius* orator nobilissimus, Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus (quanquam illi Macrobius siccum dicendi genus ascribat) Antonini Philosophi præceptor. Dion testatur in Adriano plurimum floruisse, & primas in agendis causis partes habuisse: cujus Cæcilius alibi, & Juvenalis in 1. Satyra meminerunt. Neque ignoro Ulpianum de Pœnis, tradere *Julio Frontoni* rescripsisse Adrianum. *Catiorum* cognomina vetustissima testantur scriptores & sepulchrorum antiqua epitaphia, quæ nos Veronæ interdum, sed inter Insubres frequentius annotavimus, hodieque Novariæ amplissima familia parili cognomento durat. *Idem.*

6 *Deprecatusque est.*] Nam in senatu, & apud principem, & ubicunque juris clementia est, habet locum deprecatio: in qua plurimum valent pro ipso qui reus est, hæc tria, in anteacta vita si innocens fuit, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri, & in aliquo usu futuri. Præterea, si vel aliis incommodis, vel præsenti periculo, vel pœnitentia, videatur satis pœnarum dedisse. *Fabius lib.* III.

7 *Repetundarum legem.*] Ne de rebus capitalibus ageretur, sed tantum de repetundis. Lata *repetundarum lex* primum à L. Pisone Tribuno pleb. alii à Manlio Acilio Glabrione. Demum à Julio Cæsare lex Julia repetundarum appellata, quæ pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio munere ministeriove publico acceperit, vel ex cohorte cujus eorum est, vel quo magis aut minus quid ex suo officio fecerit. *Marcellus & Venulejus.* Alii brevius circumscripsere, legem repetundarum latam esse contra eos, qui in magistratu pecunias, vel vi vel fraude abstulissent. *Ultra legem.*] Ultra quadruplum ex lege constitutum, quanquam *Marcellus ff.* XLVIII. dicat non fuisse certam pœnam damnatis repetundarum constitutam; Sed puniri, vel

omniaque actionis suæ vela vir movendarum lacrymarum peritissimus, quodam velut vento miserationis implevit. Magna contentio, magni utrinque clamores, aliis [1] cognitionem Senatus [2] lege conclusam, aliis liberam solutamque dicentibus: quantumque admisisset reus, tantum vindicandum. Novissime [3] consul designatus [4] Julius Ferox, vir rectus & sanctus Mario quidem judices interim censuit dandos: evocandos autem quibus diceretur innocentium pœnas [5] vendidisse. Quæ sententia non prævaluit modo, sed omnino post tantas dissensiones fuit sola frequens: adnotatumque experimentis, quod favor & misericordia acres & vehementes primos impetus habent, paulatim consilio & ratione, quasi [6] restincta, considunt. Unde evenit, ut quod multi clamore permixto tuentur, nemo tacentibus cæteris dicere velit. Patescit enim

vel exilio, vel etiam durius prout admisissent. Quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint: vel, licet non acceperint, calore tamen inducti interfecerint? vel innocentem, vel quem punire non debuerant? capite plecti debent, vel in insulam deportari. *Catan.*

1 *Cognitionem senatus.*] Jus inquirendorum criminum per Senatum, (quod tamen judicibus permissum est.) Cognoscere enim est disquirere & examinare crimina. Unde Virgil. de Minoë tanquam de judice dixit,

—— *Vitasque crimina discit.*

Idem.

2 *Lege.*] Repetundarum: quia Senatus secundum eam censuerat ut mulctaretur. An magis lege, qua cautum erat ne bis de eadem re agere liceret, *Idem.*

3 *Consul designatus.*] Qui proximis Calendis Martiis creati fuerant Consules, seq. Calendis Januariis Consulatum inibant: quamvis etiam prius initum legamus, ut apud Liv. Calendis Martiis. Qui vero postea creabantur in sequentem annum, ii designati dicebantur auctore Fl. Vopisco. Postremo adeo crevit ambitio sub Impp. ut uno anno tradat Lampridius sub Commodo fuisse viginti quinque Consules designatos. Cum igitur res aliqua relata fuerat ad senatum, Consules qui præsidebant, primum designatos Consules super ea sententiam rogabant, ac deinceps cæteros Senatores. *Idem.*

4 *Julius Ferox.*] Feroci scripsisse Proculum meminit JC. Paulus *Julium Berocum* clarissimum virum & plurimæ auctoritatis testantur Trajani literæ. Hunc Secundus alibi doctissimum memorat, & Tiberis curatorem antiquus in lapide titulus adhuc extans. Ex auctoritate Imperatoris Cæs. Divi Nervæ Trajani August. Germanici. pont. Max. Trib. pot. v. Coss. IV. pp. Tit. Julius Ferox curator alvei & riparum Tyberis, & cloacarum urbis terminavit ripam, P. R. ad prox. cip. p. XXII. scientiam II. s. *Idem.*

5 *Vendidisse.*] Marium subaudi. *Id.*

6 *Restincta.*] Alia lectio habet *relicta*, id est præsidio destituta.

enim cum [1] separaris à turba, contemplatio rerum quæ turba teguntur. Venerunt qui adesse erant jussi, [2] Vitellius Honoratus, & [3] Flavius Martianus: ex quibus Honoratus trecentis millibus exilium equitis Romani, septemque amicorum ejus [4] ultimam pœnam: Martianus unius equitis Romani septingentis millibus plura supplicia arguebatur emisse. Erat enim [5] fustibus cæsus, damnatus [6] in metallum, [7] strangulatus in carcere. sed Honoratum cognitioni Senatus mors [8] opportuna subtraxit:

1 *Separaris à turba.*] Cum solus sententiam dicis attentis cæteris. *Catan.*

2 *Vitellius Honoratus.*] Fabium Honoratum in antiquis memoriis reperio. Spartianus in Severo *Honorati* cujusdam mentionem fecit, & Plutarchus in vita Galbæ *Antonini Honorati*, ubi etiam Vitellium Martianum nominat. D. Hieron. *Honoratum* Præfectum Prætorio Galliarum primum. *Idem.*

3 *Flavius Martianus.*] Martiano lib. VI. scribit Martialis: & *Martianum* JC. fuisse lego: & *Ælium Martianum* Uticæ Proconsulem imperante Antonino Pio refert Ulp. ut omittam Icelium libertum cognomento Martianum, ac virum eruditissimum Martianum Capellam. Satis constat ex testimonio Calistrati ff. quarto Martianum sub Trajano fuisse accusatum. *Idem.*

4 *Ultimam pœnam.*] Necem. Hanc enim JC. interdum summum, modo ultimum supplicium appellant. *Idem.*

5 *Fustibus.*] Nodosis stipitibus, & virgis. Sunt qui legant *fascibus*: sed fustibus est in frequentiori usu. *Idem.* Hinc *Fustuarium*; pœna militaris, qua milites, qui deliquerant, fuste feriebantur. Testatur id Liv. lib. V. *Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit*: Et Polybius: ξυλοκοπεῖται δὲ καὶ ὁ κλέψας τι τῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου, καὶ μὴν ὁ μαρτυρήσας ψευδῆ παραπλησίως. Quomodo hæc animadversio fiat vide apud *Turneb. Advers. lib.* XXVIII. *cap.* 34.

6 *In metallum.*] Qui ad effodienda metalla damnati erant, cum die noctuque in labore perseverarent, continua defatigatione moriebantur: cum nulla eis ab opere daretur requies aut laboris intermissio: sed verberibus coacti raro diu viverent. Robustiori quidam corpore & animi vigore, plurimum temporis in illa versabantur calamitate: quibus tamen ob miseriæ magnitudinem mors erat vita optabilior. *Diodorus.*

7 *Strangulatus.*] Suffocatus laqueo. Hæc omnia patraverat contra legem Juliam de repetundis, qua præcipitur, ne quis ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum, neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve, neve ob litem æstimandam, judiciumve capitis faciendum, pecuniæ aliquid accipiat. *Catan.*

8 *Opportuna.*] In tempore. Nam morte declinavit dedecus & supplicia, quæ subivisset si vixisset: & damnatus nemo videri possit, antequam de eo forte judicium redditum & pronunciatum esset, neque cujusque mortui bona, antequam de eo Romæ pronunciatum sit, publicata sunt: eaque bona hæredes possidere debent. Vide Martian. tit. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverint. *Id.*

9 *In-*

traxit: Martianus [1] inductus est absente Prisco. Itaque [2] Tutius Cerealis consularis [3] jure senatorio postulavit, ut Priscus certior fieret: sive quia miserabiliorem, sive quia invidiosiorem fore arbitrabatur, si præsens fuisset, sive (quod maxime credo) quia æquissimum erat, [4] commune crimen ab utroque defendi. &, si dilui non potuisset, in utroque puniri. Dilata res est in proximum Senatum, cujus ipse conspectus [5] augustissimus fuit. [6] Princeps præsidebat (erat enim [7] Consul) ad hoc [8] Januarius mensis

1 *Inductus.*] Sic est in Pal. & vet. edit. Vulgati nuper *introductus*, (quod explicat Catanzus *intromissus in Senatum.*) Alterum repetitur nostro lib. v. Ep. IV. *Gruterus.*

2 *Tutius Cerealis.*] Cereales multos circa illa tempora fuisse noto. Mimum Cerealem & Junium filium sub Adriano. Ad Vellium Cerealem alibi Secundus. Sieut Martialis ad Julium Cerealem libro undecimo, qui bellum giganteum heroico scripsit. Turullii Cerealis & Petilii Tacitus cum Josepho & Dione meminere. Suidas insuper Primum Cerealem citat. *Catanaus.* *Tutius.*] Alias legitur *Titius*, sed non in antiquissima editione, quæ firmat publicatam. At Palatinus noster mavult, *Tucius.* Gruterus.

3 *Jure Senatorio.*] Jus Senatoris erat, ut sententiam rogatus ante quicquid vellet, & quoad vellet de alia re diceret. *Gellius.*

4 *Commune crimen.*] Marii vendentis plura supplicia Equitis Romani, & Martiani ementis. *Catan.*

5 *Augustissimus.*] Majestatis plenus, Traianus enim Imp. præsidebat. Et Dion: *Octavius Augusti cognomen recepit, tanquam majus aliquod supra mortales.* Omnia enim veneranda & sacra, Augusta Romani appellant, quod luculentius Tranquillus exequitur. Ab illo igitur secundum Dionem omnes deinceps Imperatores Augusti cognomentum sibi vendicaverunt, quo significatur omnium rerum potestas. *Idem.*

6 *Princeps.*] Trajanus ceteros Senatores præibat, quod princeps Senatus erat & Cos. Nam Consulum alter interdum vel Senatus princeps universo Senatui præerat, habebatque potestatem rogandarum sententiarum. Principem Senatus à Romanis, πρόκριτον à Græcis appellatum quidam prodidere. Sciendum præsidis nomen, *Martiano ff.* primo attestante generale esse, eo quod & Proconsules & Legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur: quinimo Plinius sen. lib. VII. divum Augustum Præsidem appellavit. *Idem.*

7 *Consul.*] Nam Consulatus omnium dignitatum fere apex fuit, unde Chrysost. in orat. (ἡ τῶν ὑπάτων ἀρχὴ καθάπερ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ πάντων ἐπέχει). Ut non immerito ipsi Impp. cum ceteras dignitates infra se haberent, Consulatus tamen infulas non solum fortunæ suæ congruere, sed & nomini Augusto, ut Valent. in novell. ad sporar. loquitur, decus addere existimarunt. Vide Claudian. in Eutrop. I. & in Stilicon. 2. Liban. in Julian. & Julianum ipsum in laude Eusebiæ Augustæ. *Sirmond.*

8 *Januarius.*] Quo solebant Consulatum inire, auctore Ovidio in Fastis. *Catan.*

mensis cum cætera, tum præcipue Senatorum frequentia celeberrimus: præterea causæ amplitudo, auctaque dilatione expectatio, & fama, insitumque mortalibus studium magna & inusitata noscendi, omnes undique exciverat. Imaginare, quæ solicitudo [1] nobis, qui metus, quibus super tanta re, in illo [2] cœtu, præsente Cæsare, dicendum erat. Equidem in Senatu non semel egi: quinimmo nusquam audiri benignius soleo. nunc me tamen, ut nova omnia novo metu permovebant. Obversabatur præter illa, quæ supra dixi, causæ difficultas, [3] stabat modo Consularis, modo Septemvir [4] Epulonum, jam neutrum. Erat igitur perquam onerosum accusare damnatum,

1 *Nobis.*] Advocatis. Nam causa una à pluribus defendebatur, quod introductum temporibus Ciceronis videtur, qui lib. de Claris orat. hoc multis reprehendit. Raro tamen supra quatuor utebantur patronis. Post bella civilia ante legem Juliam usque ad duodenos est proventum: deinde Senatui placuissent. *Catan.*

2 *Cœtu.*] Senatorum conventu. Priscis temporibus tercentum Senatores fuisse legimus. M. Tullius quadringentos & decem numerat in orat. quam in Senatu pro reditu suo dixit. Tranquillus imperante Augusto supra mille per gratiam & præmium allectos scribit, quos tamen idem princeps ad modum pristinum & splendorem redegit duabus lectionibus. *Idem.*

3 *Stabat.*] Occurrebat Priscus in animo, quod fuisset Consul & Septemvir Epulonum: & rursum mihi videbatur omni honore privatus. *Idem.*

4 *Epulonum.*] Quos antiqui Epulones auctore Festo dixerunt, Jovis Opt. Max. parasiti erant. Dicti, quod epulas indicendi Jovi, cæterisque diis potestatem haberent. Unde Martialis Capitolinas & Pontificum dapes, Epulonum vocat, quas puto Tranquillum notasse in Augusto, ubi refert sex deos & totidem deas in Capitolio discubuisse, & Varronem de Agricult. Collegiorum cœnas, quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli. In hos D. Augustin. lib. VI. de Civ. D. tanquam in parasitos Jovis & mimos, Varrone dictante, invehitur: & lib. III. helluones atque sacrificiorum adipibus inhiantes, & fallacium divinationum caliginem appellando. M. Tullius de Responsis Aruspicum, testatur, si quid in ludis esset prætermissum aut commissum, Epulones solitos ad Pontifices referre, quorum de sententia illi iidem renovati & instaurati celebrabantur. Et III. de Oratore. *Pontifices*, inquit, *veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros Epulones esse voluisse, cum essent ipsi à Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti. Postea auctus est numerus & septem creari cœpti.* Vid. Lucan. & Juven. Erant autem Epulones summæ auctoritatis, Flaminibus, Auguribus, Quindecimviris pares. & cujus pater, secundum Gellium, Septemvir Epulonum fuisset, eam excusationem merebatur, ne in consortium Vestæ legeretur. Plura lege apud Macrob. & recentiores. *Idem.*

1 *Atro-*

natum, quem, ut premebat [1] atrocitas criminis, ita [2] quasi peractæ damnationis miseratio tuebatur: utcunque tamen animum, cogitationemque collegi. Cœpi dicere, non minore audientium assensu, quam solicitudine mea. Dixi horis pene quinque. Nam [3] decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. adeo illa ipsa, quæ dura & adversa dicturo videbantur, secunda dicenti fuerunt. Cæsar quidem mihi tantum studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere solicitudinem) præstitit, ut libertum meum post me stantem, sæpius admoneret, [4] voci laterique consulerem, quum me vehementius putaret [5] intendi, quam [6] gracilitas mea perpeti posset. Respondit mihi pro Martiano Claudius Mar-

1 *Atrocitas.*] Immanitas. Non enim solum lege repetundarum, sed etiam Cornelia de sicariis tenebatur, qua cavetur contra eos qui cum in magistratu essent eorum quid fecerint adversum hominis necem quod legibus permissum non sit. Legis Corneliæ de sicariis & veneficis, pœna est in insulam deportatio, & omnium bonorum ademptio, nisi honestiore loco positi fuerint, ut pœnam sustineant, sicut mox interdictum Mario urbe Italiaque. *Catan.*

2 *Quasi.*] Nam etsi judices petierat, nondum tamen pronunciaverant de eo. *Idem.*

3 *Decem clepsydris sunt additæ quatuor.*] Clepsydra poterat distingui, per quodcunque temporis spatium libuisset: unde legimus apud Philostratum in Adriano declamatore fuisse clepsydram dispositam ad mensuram centum versuum. Hîc sane quinque clepsydræ spatium unius horæ complectebantur. Unde inquit, Dixi horis pene quinque cum præmisisset viginti quatuor clepsydras impetrasse. Si enim quinque & viginti accepisset, quinque solidas horas egisset. Quod si leges *decem*, ut est in codice antiquo loco xx. tunc tres clepsydræ unam horam continebunt. *Idem.* *Decem.*] Librorum marginibus adjectum est *duodecim*, nec aliter Pal. At avorum ævo impressi, *Nam 22. clepsydris quas spatiosissime, &c.* quod habuerim pro falso, arridetque admodum illud duodecim. *Grut.*

4 *Voci laterique.*] Curanda hæc in oratore. Nec vox ultra vires urgenda. Nam & suffocata sæpe & majore nisu minus clara est: & fatigatio ut corpora non ad præsens modo, sed etiam futurum, vocem destruit. Quare reprehenditur apud Senecam Portius latro, quod nihil vocis causa faceret, non illam paulatim ab imo usque ad summum perduceret, non rursus à summa contentione paribus intervallis descenderet. *Catan.*

5 *Intendi.*] Sic quoque Pal. & exoticæ editiones, nec scio à quibus manarit illud *incendi*, ad oram positum editionibus novissimis. Hoc scio, falsum esse, nec admittendum. *Gruter.*

6 *Gracilitas.*] Tenuitas. Fuit enim Secundus corpore non admodum robusto, quod etiam testatur Trajanus in rescriptis ad eundem, *Superem, inquit, & sine querela corpusculi tui & tuorum pervenire in Bithyniam potuisses.* Catan.

1 *Missus.*]

Marcellinus. [1] Missus deinde Senatus & revocatus in posterum. neque enim jam inchoari poterat actio, nisi ut [2] noctis interventu scinderetur. Postero die dixit pro Mario [3] Salvius Liberalis, vir subtilis, [4] dispositus, acer, disertus, in illa vero causa omnes artes suas protulit. Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime &, quod eximium orationi ejus inest, [5] σεμνῶς. Dixit pro Mario rursus Fronto Catius insigniter: utque jam [6] locus ille poscebat, plus in precibus temporis, quam in defensione consumpsit. Hujus actionem vespera inclusit: non tamen sic, ut abrumperet. itaque in tertium diem [7] probationes exierunt. Jam hoc ipsum pulchrum & [8] antiquum,

1 *Missus.*] Dimissus, Senatus dissolvebatur his verbis, *Nihil vos moramur Patres Conscripti.* Hæc sumpta ex Capitolino. *Catan.*

2 *Noctis interventu.*] Nam neque post occasum solis, neque ante ortum liceret, Senatum habere. *Gellius.*

3 *Salvius Liberalis.*] Qui sub Domitiano accusatus est, cumque Secundus asserit fuisse vehementem, & disertum oratorem. Nam si Tranquillum audimus, in defensione Divitis ausus est dicere, *Quid ad Cæsarem, si Hippparchus sestertium millies habet?* Quod dictum, quamvis audacius, Vespasianus laudavit. Salvio Legato Aquitaniæ rescripsisse Adrianum refert Calistratus tit. de accusat. Seneca Liberali patriam Lugdunum assignat. Item Liberalis sub Tito Centurionis Josephus meminit. *Catan.*

4 *Dispositus.*] In coaptando singula locis suis. Est enim dispositio, rerum inventarum per locos distributio. *Idem.*

5 Σεμνῶς.] *Graviter & venuste.* Nam proprium oratoris est dicere graviter & ornate, & hominum sensibus ac mentibus accommodate juxta Cic. I. de Oratore. *Cat.* Σεμνῶς.] *Graviter.* Qui autem & *Graviter* & *Venuste* exponunt, ex duabus expositionibus unam veram alteram falsam afferunt. *Stephanus.*

6 *Locus ille poscebat.*] Ultimum causæ genus est deprecatio, cum nulla alia ratione tueri reum possumus. Ea ubicunque juris clementia est, locum habet. *Catan.* vid. supra ad p. 102.

7 *Probationes.*] Sunt exhibitæ tabulæ & testes, quas inartificiales probationes Rhetores appellant, de quibus lege pl. Fabium. Præterea. ff. XXII. tit. est de probationibus & præsumptionibus. Asconius lege Pompeia de vi cautum scribit, ut priusquam causa ageretur, testes per triduum audirentur: deinde uno die & ab accusatore & ab reo perorari jubebatur, rursus postera die sortitio judicum fieret. *Catan.*

8 *Antiquum.*] Hactenus enim sub Domitiano nec tam assidue, quam aut Rep. liberâ, aut sub Augusto, Senatus habitus; & multum remissum de cura atque intentione reddendi juris fuerat. Huc pertinet nostri illud Paneg. LXXVI. *Jam quam antiquum, quam consulare, quod triduum totum Senatus sub exemplo tui sedit?* *Antiquum* dixit, quod ad antiquum morem fiebat. Simili ratione *antiquissimam victoriam*, infra dicit lib. x. Epist. IX. *Buchner.*

quum, [1] Senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri. [2] Cornutus Tertullus Cos. designatus, vir egregius, & pro veritate firmissimus, censuit septingenta millia, quæ [3] acceperat Marius, [4] ærario inferenda, Mario urbe Italiaque [5] interdicendum: Martiano hoc amplius, Africa. In fine sententiæ adjecit, Quod ego & Tacitus injuncta [6] advocatione diligenter fortiterque functi essemus, arbitrari senatum, ita nos fecisse, ut dignum

1 *Senatum.*] Id etiam interdum ab uno factum. Nam Manlius Torquatus de filio cognitione suscepta domi consedit, solusque utrique parti per totum biduum vacavit: ac tertio die pleniss. & diligentiss. auditis testibus pronunciavit. *Cat.*

2 *Cornutus.*] Tertullus in Præfectura ærarii, & Consulatu, Secundo collega, Æmiliæ viæ curator fuit: summo necessitudinis vinculo pariter conjuncti. Tertull. & Maximi consulatus meminit Ulp. ad legem Juliam de adulteriis. Sequens tamen epistola demonstrat Tertullum fuisse designatum Cos. cum Nerva, & Tertulliano Senatusconsulto, quod factum est temporibus D. Adriani, Justinianus asserit traxisse appellationem à Tertullo. D. Augustinus irridendo auctor est, Tertullum virum gravem, & philosophum, Ædilem futurum clamasse in auribus civitatis, inter cætera sui magistratus officia sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam. Nam quæ Jul. Capitolinus de Tertulo scribit, non de Cornuto, sed ejus filio, vel alio dicta autumo. *Idem.*

3 *Acceperat.*] A Martiano. Nam trecenta non potuerant satis probari Honorato morte intercepto. *Idem.*

4 *Ærario.*] In pecuniam publicam reponenda. Non enim erant restituenda Martiano obnoxio majoribus suppliciis, quod ea summa necem equitis Rom. emisset. Ærarium erat, quo publica pecunia per Præfectos referebatur, sicut Fiscus quo Principis tantum. Dictum ab ære: nam ante argentum, ac pene etiam aurum, in precio fuit æs. Erat autem Saturni ædes, quòd tempore, quo Italiam incoluit, fertur in ejus finibus nullum esse furtum commissum, & quod sub illo nihil erat cujusque privatum. ideo apud eum locaretur populi pecunia communis, sub quo fuissent cunctis universa communia. An quod fructuum inventor & agricolationis fuisse credatur? fructuum vero copia ac venditio pecuniam gignat? Hæc ex Plinio sen. Macrobio, & Plutarcho. *Idem.*

5 *Interdicendum.*] Marium. Usitatius dicitur interdico Mario urbe, quam urbem, sicut, interdico tibi aqua & igni. quam te aqua & igni. interdum tamen accusativo jungimus diversis modis. Nam idem lib. v. *interdicendum ei advocationem* dixit. Apud Senecam ter idem dicendi genus notamus, *possessionem interdico tibi, & illi domum meam interdicam, & non interdicit sibi ac suis admirationem.* At Julius Cæsar, *Ariovistum* inquit *omni Gallia Rom. interdixisse.* *Edico* & *interdico* differunt: edicimus, quæ jubemus: interdicimus vero, quæ vetamus. Itaque Prætoris edicta & interdicta dicuntur. Tacitus insuper pro interdici aqua & igni, usus est *arceri. Idem.*

6 *Advocatione.*] Accusatione demandata à Senatu. Nam Advocatus commune verbum est tam accusatoris quam defensoris, qui si inutilis foro extitisset, vulgo Causidicus dicebatur. *Fabius.*

gnum mandatis partibus fuerit. Assenserunt Consules designati, omnes etiam consulares usque ad [1] Pompejum Collegam: ille & septingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda, & Martianum in quinquennium relegandum, Marium [2] repetundarum pœnæ, [3] quam jam passus esset, censuit relinquendum. Erant in [4] utraque sententia multi, fortasse etiam plures in hac vel solutiore vel molliore. Nam quidam ex illis quoque, qui Cornuto videbantur assensi, hunc qui post ipsos censuerat, sequebantur. sed quum fieret [5] discessio, qui [6] sellis Consulum astiterant, in Cornuti sententiam ire cœperunt. Tum illi, qui se Collegæ [7] adnumerari patieban-

1 *Pompejum Collegam.*] Apud Josephum lib. VII. falso legitur Collegas pro Collega, *Vix*, inquit, *motus eorum potuit reprimere, Collega adhuc juvenis, Legatus, postulans sibi præmitti ad Cæsarem gesta.* Catan. *Collegam.*] Scribe *Collegam*, & ita deinceps semper in hac epistola. *Casaub.*

2 *Repetundarum pœnæ.*] Ut quadruplum ablati persolveret, nec exularet. *Catan.*

3 *Quam jam passus esset.*] Sic omnes editiones & Pal. Iverim tamen pedibus in sagacissimi viri Petri Fabri sententiam, censentis illa, *quam jam passus esset*, esse mali alicujus interpretis. Rationes suas dilucide promsit lib. II. Semestrium cap. XXV. *Gruterus & Buchnerus.*

4 *Utraque.*] Tertullii & Collegæ. *Cat.*

5 *Discessio.*] Fiebat Senatusconsultum duobus modis, aut per discessionem, si consentiretur: aut si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas. *Gellius.* Ad illam consuetudinem alludens Apulejus dixit, *Non pedibus, sed totis animis latrones in ejus vadunt sententiam.* At Cicero rem ipsam notavit: *Prospiciebatur*, inquit, *in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros.* Sed Fl. Vopiscus *manuum elevationem* superioribus modis addidit, Post hæc interrogati plerique Senatores sententias dixerunt: deinde aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo, conditum est Senatusconsultum. Qui pedibus sententiam ferebant erant viliores, & ii *Pedarii Senatores* vocabantur. Vide Tacitum lib. III. Suffragia per elationem manuum pluribus Suidas exequitur. *Catan.*

6 *Sellis Consulum.*] Juxta Consules, qui in sellis sedebant curulibus, aut tribunalibus. Hi majora judicia secundum Asconium exercebant, ut Consules & Prætores, sicut qui in subselliis, minora, ut Tribuni, Triumviri, Quæstores. Erant autem sellæ quatuor pedum. Vopiscus in Firmo dicitur habuisse duos dentes elephanti pedum denum, è quibus Aurelianus ipse sellam constituerat facere, additis aliis duobus. Sellarum inventores fuerunt Ethrusci. Erant præterea sellæ familiares, quibus ad usum domesticum utebantur, ut Varro in agricult. scribit. *Idem.*

7 *Adnumerari patiebantur.*] Numerabantur enim sententiæ, non ponderabantur, quod noster Epist. sequente queritur. *Buchner.*

1 In

tiebantur, [1] in diversum transierunt, Collega cum paucis relictus. Multum postea de impulsoribus suis, præcipue de Regulo, questus est, qui se in sententia quam ipse [2] dictaverat, deseruisset. Est alioqui Regulo tam mobile ingenium, ut [3] plurimum audeat, plurimum timeat. Hic finis cognitionis amplissimæ, superest tamen [4] λειτούργιον non leve, [5] Hostilius Firminus, [6] legatus Marii Prisci, qui [7] permistus causæ, graviter vehementerque vexatus est. Nam & [8] rationibus Martiani & sermone, quem ille habuerat iu ordine [9] Leptitanorum,

1 *In diversum transierunt.*] Nam cum diversæ ac discrepantes sententiæ essent, mos erat, ut auctores illarum diversas subselliorum partes tenerent, in quas concederent, qui sentirent una, & inde discederent, qui dissentirent. Unde formula illa, qui Consul discessionem hujusmodi permittebat, QVI HÆC SENTITIS, IN HANC PARTEM: QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS. Vide Nostr. lib. VIII. Epist. XIV. *Buchner.*

2 *Dictaverat.*] Composuerat. Nam dictare quantum ex lib. V. Epistolarum Senecæ colligere possumus hoc differt à dicere, quod illud est tarde, & divulse enunciare, quæ alius excipiat: hoc est continue & uno tenore orare. Quanquam etiam dictare pro continenter dicere usurpetur, sicut Trebellius Pollio, *Non scribo, sed dicto, & dicto cum ea festinatione ut respirandi non habeam facultatem.* Catan.

3 *Plurimum audeat.*] Cum audebat, omnium audacissimus, cum timebat, omnium timidissimus erat. *Idem.*

4 *Λειτούργιον.*] Officium pertinens ad remp. Inde recentiores *Λειτουργίαν*, sacrificium publicum, quam missam vulgo appellant. Potius facit ut λειτούργιον scribatur, & interpretentur quidam tenue & leve ministerium. *Id.* *Λειτούργιον.*] Negotium pertinens ad Rempubl. vel negotium publicum. Ita enim malo, quam, Officium aut ministerium pertinens ad Rempubl. *Stephanus.*

5 *Hostilius Firminus.*] Neminem legimus Hostilium Firminum circa illa tempora. *Catan.*

6 *Legatus.*] Qui Proconsulis imperio parebat, ut magister Equitum Dictatoris. Quare Apulejus Consularem in Legato auctoritatem dixit. is enim, si aberat Proconsul, vicarias vices agebat. Aliæ autem sunt Legati partes, aliæ Proconsulis. ille omnia agere ad præscriptum, hic libere ad summam rerum consulere debet. Nam Legatus secundum Ulp. accipit jurisdictionem à Proconsule suo: si quid tamen erit quod majorem animadversionem exigat, remittere Legatus ad Proconsulem debet: neque enim animadvertendi, vel coercendi, vel atrociter verberandi jus habet. At Cajus, *Cæsar æquata Legati potentia, suo Proconsuli, Proconsulare jus minuit, & Legatorum auxit. Idem.*

7 *Permistus causæ.*] Conscius & minister rapinarum Marii. Nam in comites judicum, qui repetundarum rei sunt, lege Julia judicium datur. Auctor Marcellus JC. *Idem.*

8 *Rationibus.*] Calculis & computis septingentorum millium, dum per hæc Romani Equitis plura supplicia emeret. *Idem.*

9 *Leptitanorum.*] Leptis in Africa Tyriis,

rum, operam suam Prisco ad turpissimum ministerium commodasse, [1] stipulatusque de Martiano [2] quinquaginta millia denarium probabatur ipse: præterea accepisse [3] sestertium decem millia, fœdissimo quidem [4] titulo, nomi-

Tyriis, ut Carthago, ut Utica condita: immunis, ac libera Hirtio tradente: Neapolin dictam testatur Strabo Prius in ditione Carthaginensium fuit, quibus singula talenta quotidie pendebat, post ad Masinissam, deinde ad Romanos pervenit. *Livius*.

1 *Stipulatusque de Martiano.*] Obligasse Martianum nomine Marii. Nam stipulari est obligare alium interrogando. Seneca, *Utinam nulla stipulatio emptorem venditor obligaret.* Interprete Ulpiano generaliter novimus *turpes stipulationes nullius esse momenti.* Possumus igitur exponere stipulatum Firmimum de Martiano quod obligationem scriptis notasset, quam Martianus fecerat Prisco ad summam quinquaginta millium denariûm. Stipulari enim interrogare significat, quod observant etiam nunc notarii in obligationibus. Et *stipulatio*, Pomponio teste, *est verborum conceptio: quibus is qui interrogatur, daturum facturumve se id quod interrogatus est, respondet.* Catanæus.

2 *Quinquaginta millia denariûm.*] Denariûm pro denariorum usitata dicendi forma. *Denarius*, inquit Plutarchus: *ex decem æreis erat.* Pariter Varro de latinitate, & Festus & Plin. ac Priscianus inquit, *Denarius olim decussis valebat, & decem librarum nummus erat.* Vitruvius in denarios. denos æris constituisse antiquitatem asserit, & ea re compositionem nominis ad suam usque ætatem denarium retinere: quamvis statim subjiciat, æreum denarium habuisse XVI. asses. Gellius denarium valuisse quanti drachmam ostendit. *Idem.*

3 *Sestertium decem millia.*] Opinor millia tollendum. Nam fidem excedit, nisi secundum Festum velimus dicere sestertium quartam partem denarii dictam. & Plin. scriptum reliquit scrupulum olim valuisse sestertiis vicenis, quod efficit in libras ratione sestertii qui tunc erat, sestertios novenos. Nec negaverim sestertium in masculino fuisse longe minoris, quam neutro genere, quod declaratur seqq. auctoritatibus. *Valerius* equitibus singulas libras argenti & quingentos sestertios dari imperavit. *Tranq.* in Cæs. Dictatore scribit, eundem annuam habitationem usque ad bina millia nummûm (quæ procul dubio faciunt duo sestertia) in Italia non ultra quingenos sestertios remisisse. Sic Fabium Valentem tradit *Tacitus* addidisse tricenos singulis militibus sestertios, ubi sane longe minoris est. *Justinianus in Instit.* pro re minima sestertium posuit, ut pro mille sestertiis unus aureus computetur, & *Plutarchus in M. Antonio* (nisi menda est) cuidam ex amicis dari jusserat millia vigintiquinque. hoc Romani decies sestertium appellant, quanquam *Aruntius apud Priscianum* inquit, sestertius olim dupondius & semis, id est, duæ libræ & semis, quasi semistertius, quo tempore denarius decussis valebat: hoc est post duos sequens tertio loco est semis. duobus enim & semis antiquus sestertius est. & veteris consuetudinis ut retro æri dicerent, ita ut semis quintus, semis quartus, semis tertius nunciarent: ab semis tertius sestertius dictus: cui astipulantur Varro, Seneca, & Festus. *Idem.*

4 *Titulo.*] Inducenda videtur vox *titulo*, rescribendumque *fœdissimo quidem unguentarii nomine: qui titulus, &c.* Gruter.

1 Nomine

[1] nomine unguentarii, qui titulus à vita hominis compti ſemper & [2] pumicati, non abhorrebat. Placuit cenſente Cornuto referri de eo proximo Senatu: tunc enim caſu, incertum an [3] conſcientia, abſuerat. Habes res urbanas: invicem ruſticas ſcribe, quid arbuſculæ tuæ, quid vineæ, quid ſegetes agant, quid oves delicatiſſimæ. In ſumma, niſi æque longam epiſtolam reddes, non eſt quod poſtea niſi breviſſimam expectes. *Vale.*

XII. C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

Noto jam per ſuperiorem epiſtolam argumento, ſignificat quem finem cognitio Firmini habuerit.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΟΝ illud, quod ſupereſſe Marii Priſci cauſæ proxime ſcripſeram, neſcio an ſatis circumciſum, tamen & abraſum eſt. Firminus inductus in Senatum reſpondit crimini noto. Secutæ ſunt diverſæ ſententiæ Conſulum deſignatorum. Cornutus Tertullus cenſuit [4] ordine movendum: acutius [5] Nerva, [6] in ſortitione provinciæ rationem ejus non habendam: quæ ſententia, tanquam [7] mitior, vicit. cum ſit alioqui durior

1 *Nomine unguentarii.*] Tanquam ſi Martiano unguentum vendidiſſet: quod hodie faciunt honeſtiores fœneratores, nomen rei, non rem ipſam vendentes. Cavetur autem principalibus conſtitutionibus, ne qui provinciam regunt, quive circa eos ſunt, negocientur, mutuamve pecuniam dent, fœnuſve exerceant. *Catan.*

2 *Pumicati.*] Mollis, pumice lævigati. *Catan.* Sic *Ruſſam pumicare gingivam* Apul. Apolog. I. videtur in Catullo legiſſe apud Turnebum l. XXI. cum præſertim ita ſcribit: *Quem multo æquius erat ſpurciſſimo ritu Iberorum, ut ait Catullus, ſua ſibi urina dentem, atque ruſſam pumicare gingivam.*

3 *Conſcientia.*] Qui ſe participem rapinarum Marii ſciret: ideo cum hoc cognoſceretur ſponte abſuerit à diſquiſitione. *Catan.*

4 *Ordine movendum.*] Prohibendum ne ingrederetur Senatum, dignitate Senatoria privandum. *Idem.*

5 *Nerva.*] Conſul deſignatus, non Imperator. Trajanus ipſe enim præſidebat. Fuerunt autem plures Nervæ, quorum quietem Martialis commendat. *Idem.*

6 *In ſortitione provinciæ.*] Dum Senatus ſortiretur provincias, quarum ſortitione Senatorii viri ad eas regendas mittebantur. *Idem.*

7 *Mitior.*] Quia non movebatur ordine, & ſane erat mitior: nam ſi motus Senatu fuiſſet, ex Caſſii Longini ſententia propter turpitudinem, judicare vel teſtimonium dicere non poterat,

rior triſtiorque. Quid enim miſerius [1] quam exectum & exemptum honoribus ſenatoriis, labore & moleſtia non carere? quid gravius, quam tanta ignominia affectum, non in ſolitudine latere? ſed in hac [2] altiſſima ſpecula conſpiciendum ſe monſtrandumque præbere? Præterea, quid publice minus aut [3] congruens, aut decorum? [4] notatum à Senatu in Senatu ſedere? ipſiſque illis, à quibus ſit notatus, [5] æquàri? ſummotum à [6] Proconſulatu, quia ſe in legatione turpiter geſſerat, de Proconſulibus judicare? damnatumque ſordium, vel damnare alios vel abſolvere? Sed hoc [7] pluribus viſum eſt. numerantur enim ſententiæ, non ponderantur: nec aliud in publico conſilio poteſt fieri, in quo nihil eſt tam [8] inæquale, quam [9] æqualitas ipſa. nam cum ſit impar prudentia, par omnium jus eſt. Implevi promiſſum, prioriſque epiſtolæ fidem exſolvi, quam ex ſpatio temporis

rat, quia lex Julia repetundarum hæc fieri vetat. Hinc non mirum, ſi tantum hæc ſententia à Secundo reprehenditur, tanquam contra Juliam legem. *Catan.*

1 *Quam exectum.*] Nihil variant libri, niſi quod quidam *exactum.* Faber lib. II. Semeſtr. cap. 16. malebat, *exutum & exemtum.* non abſurde. *Gruter.* Et recte, ut arbitror. Nam multo honeſtius illud altero eſt. *Buchner.*

2 *Altiſſima ſpecula.*] Curia, quam propter frequentiam & dignitatem Senatorum tranſlative altiſſimam ſpeculam appellavit. *Catan.*

3 *Congruens, aut decorum.*] Ita animandam duxi ſententiam. Recentiores enim editiones, ut juvarent credo ſenſum, objecerant nobis: *decorum, quam notatum, &c.* quæ vox nec in Pal. aut edit. Ver. Iidem etiam admiſcuerant infra verbum *lenius*, quod in nullis vetuſtioribus: *Sed hoc pluribus lenius viſum, &c.* itaque ibi quoque abjecimus. *Gruterus.*

4 *Notatum à Senatu.*] Vide ad Livium lib. XXVII. cap. XXV. *Gronov.*

5 *Æquari.*] Habere æquale jus dicendæ ſententiæ. *Catan.*

6 *Proconſulatu.*] Ab adminiſtratione provinciæ, ſeu Proconſulari imperio. Nam qui in populi provincias (quanquam & in Imperatorum quandoque) mittebantur, ad regendum illarum ſtatum, *Proconſules* appellabantur. *Buchner.*

7 *Pluribus.*] Majori parti Senatorum. Nam quod major pars curiæ efficit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint. *Scævola.* An *pluribus,*) Impudentioribus. Sapientes enim rariores ſunt. Unde Liv. in præf. ſecundi belli Punici dicit, *ut plerumque fit, major pars meliorem vicit.* Et Græcum ad hoc proverb. τῶ πλειόνων ψῆφος νικᾷ, id eſt, Plurium ſuffragium vincit. *Catan.*

8 *Inæquale.*] Iniquum, quia alii prudentes, alii inſipientes. *Idem.*

9 *Æqualitas.*] Quod unuſquiſque Senator æquale jus ſuffragii habeat: erat in Senatoribus idem jus, ſed diſpar prudentia. *Idem.*

1 *Priſ-*

poris jam recepisse te colligo. nam & festinanti & diligenti tabellario dedi, nisi quid impedimenti in via passus est. Tuæ nunc partes, ut primum illam, deinde hanc remunereris literis, quales istinc redire uberrimæ possunt. *Vale.*

XIII. C. PLINIUS [1]PRISCO SUO S.

Voconium Romanum, majoribus clarum & virtutibus suis, præsertim eruditione, Prisco commendat summa arte & gratia.

ET tu occasiones obligandi me avidissime amplecteris, & ego nemini libentius debeo. Duabus ergo de causis à te potissimum petere constitui, quod impetratum maxime cupio. Regis exercitum amplissimum, hinc tibi beneficiorum larga materia: longum præterea tempus, quo amicos tuos exornare potuisti. Convertere ad nostros, nec hos multos. Malles tu quidem multos, sed meæ verecundiæ sufficit unus aut alter, ac potius unus. Is erit [2]Voconius Romanus: Pater ei in equestri [3]gradu clarus, clarior [4]vitricus, immo pater alius. nam huic

1 *Prisco.*] Sunt, qui Julium Priscum, qui per Vitellium ad Præfecturam cohortis pervenit, intelligant. Qui propius vero accedunt, Neratium Priscum temporibus Trajani JC. celeberrimum, auctore Pomponio, & Papiniano ac Secundo amicitia conjunctum, à quo lib. III. fatetur se impetrasse Tribunatum militarem. Hunc igitur Priscum Neratium Marcellum Trajanus unice dilexit: adeo ut frequens opinio fuerit id animi fuisse Trajano relinquendi illum, non Adrianum successorem imperii, multis amicis in hoc consentientibus: usque eo, ut Prisco aliquando dixerit, *Commendo tibi provincias si quid mihi fatale contigerit.* Hunc postea Adrianus in consilio habuit, quem gessisse Consulatum cum Antonino testatur Venulejus ad legem Corneliam de sicariis: & Pomponius de origine juris Consulatus Neratii meminit. Neratium etiam Aticilinum inter JC. memorat Paulus, sicut Aristonem legimus Neratio Appiano rescripsisse. Neque crediderim Statio Prisco missam hanc epistolam: per quem sub Antonino Philosopho res prospere sunt gestæ, & bellum Parthicum adjuvantibus aliis duobus confectum est. *Catan.*

2 *Voconius Romanus.*] De hoc lib. I. ad Ep. v.

3 *Gradu.*] Dignitate. Respexit ad id, quod Equites lege Roscia in quartodecimo Theatri gradu sedebant. *Cat.*

4 *Vitricus.*] Cujus correlativum privignus, & quia nomen est invisum sicut noverca, correxit, patrem alterum dicendo. Modestinus vitricum, novercam & privignum ita circumscribit: *Ex alia uxore natis, noverca di-*

[1] huic quoque nomini pietate successit mater è primis [2] citerioris Hispaniæ. Scis quod [3] judicium provinciæ illius: scis quanta sit gravitas: ipse [4] flamen proxime fuit. Hunc ego, cum simul studeremus, arcte familiariterque dilexi. ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis. cum hoc seria, cum hoc jocos miscui. Quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale jucundius? mira in sermone,

citur matris vir, ex alio viro natus, vitricus appellatur: eorum uterque natos aliunde, privignos privignasque vocant. Cat.

1 *Huic quoque nomine.*] Sensus est, ex vitrico condigne pater dici potest respectu pietatis & amoris in privignum Voconium quem adoptavit, quod ipse ad Trajanum testatur: & tunc sic legetur, *nam huic quoque nomine & pietate successit. Mater è primis citerioris Hispaniæ*: Verum si legatur, *nam huic quoque nomine matris pietate successit*, erit sensus, Voconius accepit etiam nomen vitrici, quia ab eo fuerat adoptatus: unde merito alterum patrem vitricum appellavit. & hoc consecutus est pietate eximia erga matrem. Dum enim illum Plinius petit promovere in Senatum, *Summa*, inquit, *pietate liberalitatem sestertii quadringenties à matre meruit, & statim patris hæreditatem & adoptionem à vitrico.* Catan. *Huic quoque nomini pietate, &c.*] Emendatio est à Pal astipulantibus relectitiis editionibus. Primus intulit illud hactenus receptum *Nam huic quoque nomine & pietate successit*, Aldus Manutius Pater. *Gruter.*

2 *Citerioris Hispaniæ.*] Tarraconensis, cujus veterem formam sicut aliarum provinciarum scribit Plinius mutatam fuisse. Lege plura apud eundem & Strabonem, Diodorum, Justinum, qui ab Hispallo cognomentum sumpsisse asserit. *Catan.*

3 *Judicium illius provinciæ.*] Nam ab ea plurimi viri clarissimi fuerunt oriundi. Inde Pacatus, ubi Hispaniam laudat, *Hæc*, ait, *durissimos milites, hæc expertissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos vates parit: hæc judicum mater, hæc principum est.* Et sane sunt Hispani ingenio excusso. *Idem.*

4 *Flamen.*] Dialis, quem majorem flaminem Patricii generis appellabant: minorem vero plebei. Nam inter quindecim flamines Dialis maximæ dignationis erat: super quo apud Liv. Plutarch. Gell. D. Augustin. Serv. & Macrob. multa offendes. *Catanæus.* Dialis etiam est pro *dio* ut flamen Dialis, pro Jovialis, & Apuleio *Diale fulmen.* Inde & *sub Dio*, quod alii dicunt sub Jove. Est & Δῖον templum Jovis. *Salmas. ad Suet.* Flamines dicti à filo, quo utebuntur, quasi Filamines. In capite enim pileum habebant, in quo erat brevis virga, desuper habens lanæ aliquid. Quod cum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus capitibus eos incedere nefas erat, quanquam diebus festis pilea erat necesse accipere. vid. *Serv.* & *Marc. Donat.* A flamine flaminium est; sic flaminia sunt flaminum sacerdotia, quanquam & flamonii vocem pro flaminio agnoscant veteres glossæ & inscriptio Albæ Juliæ:

L. FL. VALENS.
OB HONOREM
FLAMONI
B.P.D.

Id flaminicum munus dicitur in alia inscriptione. Vid. *Sirmond ad Sidon.* conf. & *Aul. Gell. in Noct. lib.* x. *capite* xv.

1 *Dul-*

mone, mira etiam in ore ipſo vultuque ſuavitas. Ad hoc, ingenium excelſum, ſubtile, [1] dulce, facile, eruditum in cauſis agendis. Epiſtolas quidem ſcribit, ut [2] muſas ipſas latine loqui credas. amatur à me plurimum, nec tamen vincitur. Equidem juvenis ſtatim juveni quantum potui per ætatem avidiſſime contuli, & nuper ab optimo Principe [3] trium liberorum ei jus impetravi. quod quanquam [4] parce & cum delectu daret, mihi tamen, tanquam [5] eligeret, indulſit. Hæc beneficia mea tueri nullo modo melius, quam ut augeam, poſſum. præſertim cum ipſe illa tam grate interpretetur, ut dum priora accipit, poſteriora mereatur. Habes qualis, quam probatus charuſque ſit nobis. Quem rogo pro ingenio, pro fortuna tua exornes. imprimis ama hominem. Nam licet tribuas ei quantum ampliſſimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua: cujus eſſe eum uſque in intimam familiaritatem capacem, quo magis ſcires, brevi-

conf. p. 161.

1 *Dulce.*] poteſt referri hoc verbum ſicut præcedens & ſubſequens ad epigrammata, quorum ſcriptorem fuiſſe teſtatur Apulejus. *Catan.*

2 *Muſas ipſas loqui credas.*] Cum volumus oſtendere orationem alicujus ſuavem, doctam, abſolutam, dicimus muſas diſciplinarum præſides per os illius locutas. Nam ex Ælii Stilonis ſententia refert Fabius *Plautino ſermone locuturas fuiſſe muſas, ſi latine loqui voluiſſent.* quod dubium exemit Secundus à Voconii ſcriptis, Latine dicens, loqui credas. *Idem.*

3 *Trium liberorum jus.*] Quod impetrabatur ab iis qui parum fœlices in prole fuiſſent, de quo Martial. lib. II.

Quod fortuna vetat Cæſar permitte videri,
Natorem genitor credat ut eſſe trium.

Et Secundus ad Trajanum, dum pro Tranquillo jus idem petit. *Parum*, inquit, *fælix matrimonium expertus eſt, impetrandumque à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegavit.* Qui ergo id impetraſſent, in dignitatibus & muneribus anteponebantur carentibus liberis, Tranquillo & Juriſconſulto auctoribus. Et Dion inquit, in Auguſto, Jus trium natorum dabatur mulieribus, quæ tres periſſent, etiam ſi ſtatim mortui fuiſſent, tradente Gellio, ad retribuendam partem aliquam gratiæ: fruebantur enim per id honoribus & privilegiis à quibus ſteriles arcebantur. *Catan.* Vide pl. *Tac. Dionyſ. in ſuis antiquit. Appian. lib. II. bellorum civil. & Euſeb. in Chron.*

4 *Parce & cum delectu.*] Raris & bonis. Extat Trajani epiſtola, qua Secundo jus trium liberorum pro Tranquillo petenti reſpondit, ſe favere illius deſiderio, ſed nolle excedere numerum concedendi jus trium natorum, quem profeſſus fuerat apud Senatum. *Catan.*

5 *Eligeret,*] Tanquam cum delectu daret. Legitur & à Catan. *liceret*, quod explicat, *ſcil.* ſupra profeſſum meum.

breviter tibi ſtudia, mores, omnem denique vitam ejus expreſſi. Extenderem preces, niſi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epiſtola feciſſem. Rogat enim & quidem efficaciſſime, qui reddit cauſas rogandi. *Vale.*

XIV. C. Plinius [1]Maximo Suo S.

Centumvirales cauſas, tanquam obſcuras, & veterem formam non ſervantibus actionibus, per epiſtolam apud Max. notat.

VErum opinaris, diſtringor centumviralibus cauſis, quæ me exercent magis quam delectant. ſunt enim pleræque parvæ & [2]exiles. Raro incidit vel perſonarum claritate, vel negotii magnitudine inſignis. Ad hoc, perpauci, cum quibus juvet dicere. cæteri audaces, atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri [3]ad declamandum huc tranſeunt, tam irreverenter & temere, ut mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, *Sic in foro pueros à centumviralibus cauſis auſpicari, ut ab Homero in ſcholis.* Nam [4]hic quoque, ut illic primum cœpit

1 *Maximo.*] Interdum alibi ad Maximum ſcribit, ut ubi hortatur edere libros, quos in Blateram compoſuerat. ſive is fuerit Gavius Maximus vir ſeveriſſimus Præfectus prætorii uſque ad viceſimum annum: cui poſtea Tatius Max. ſucceſſit. quod vero proximum videtur. Nam Secundus noſter eundem in Achaia Legationem Proconſulari imperio gerentem monet lib. VIII. ut mollius & clementius ſubditos tractaret. Scio tamen multos fuiſſe Maximos: ad quos potuit ſcripſiſſe, ut ad Claudium Maximum Stoicum inter præceptores divi Antonini, & Albium Max. virum doctum Mart. commemorat. Et Secundi extant epiſtolæ, quibus teſtatur Domitianum ſcripſiſſe Terentio & L. Appio Maximis: refert Dion adverſum Antonium rebellantem eundem imperatorem miſiſſe L. Maximum & Trajanum. Idem auctor eſt, Maximum præfectum, cum ipſe ad oceanum navigaret, deſtinaſſe adverſum deficientes: à quibus pugna victus interiit. Urbio Maximo divos fratres reſcripſiſſe Ulp. mentionem facit. *Catan.*

2 *Exiles.*] Obſcurarum perſonarum. Nam illud, ad cauſas, hoc, ad perſonas refertur. Vel legatur *ex illis* ſcilicet cauſis, & tunc ſenſus clarior erit. *Idem.*

3 *Ad declamandum huc tranſeunt.*] Forte *à declamando*, i. e. ſtatim à ſchola. *Gronov.*

4 *Hic.*] Quorundam authoritates faciunt, ut referatur ad ſcholas, ſicut *illic*, ad Centumviros, quod eſt proximius. quod etiam interdum alibi annotavimus. Ut Liv. ultimo belli Punici, *Melior tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria: hæc in tua, illa in deorum manu eſt.* Apulejus lib. XI. ſui aſini, *Vidi aſinum pinnis adglutinatis adambulantem cuidam ſeni debili, ut illum quidem*

cœpit esse, quod maximum est. At hercule ante memoriam meam, ([1] majores natu ita solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo [2] Consulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur. Nunc [3] refractis pudoris & reverentiæ claustris, omnia patent omnibus. Nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redempti [4] mancipes: [5] convenitur in

quidem Bellerophontem, hunc autem dicerent pegasum. Ovid.

Utque sit hic somno proditus, ille dolo.

Nam, hic, ad Rhœsum refertur, ille, Dolona respicit, verbum propius. *Cat.*

1 *Majores.*] Recepi in textum lectionem Marginalem, exclusa altera, quod eam firmaret editio omnis ante Aldinam, nec aliter restaret in Pal. *Manutius* invexerat libris, *majores natu, ita dicere solebat.* Miror, quare? altera enim scriptura melior & planior, quæ vult se juvenem adhuc, usurpare tamen sermonem seniorum; hoc est, *ante memoriam meam.* Quo notat, paucos ante annos subversum morem pristinum. *Gruterus.*

2 *Consulari producente.*] Viro summæ auctoritatis & dignitatis in forum comitante, Sic legimus Augustum amplissimo præditum magistratu Cajum & Lucium filios suo quemque tyrocinio deduxisse in forum: sic Tiberium Romam reversum filium suum Drusum. Hanc rem Tacitus de causis corruptæ eloquentiæ latius exequitur. *Ergo*, inquit, *apud majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur à patre, vel à propinquis, ad eum oratorem qui principem locum in civitate tenebat: hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, utque (sic dixerim) pugnare in prælio disceret.* Catan.

3 *Refractis claustris pudoris.*] Prostituto pudore, abjecta omni reverentia. Hinc legimus apud M. Tullium Rhetores Græcos dicendi magistros urbe pulsos à Crasso Censore edicto, quod noluisset ille vir tantus ingenia obtundi & impudentiam corroborari. *Idem.*

4 *Mancipes.*] Oratores servorum precio conducti ad agendum. Manceps est, quicquid à populo emitur condiciturve juxta Festum: apud quem tamen sic legendum puto. *Qui aliquid à populo emit, conducitve quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse.* quanquam alibi apud eundem legatur. *Manceps est quod manu capitur.* Quo loco significare servum videtur. Asconius, *mancipes*, scribit, *sunt publicanorum Principes, Romani homines, qui quæstus sui causa decimas redimunt: sic pastum aut pecora publica suo periculo & reipubl. repræsentant.* Quos non intelligit Secundus, sed servos, qui precio conducti erant ad audiendum. Nam redemptores sunt, qui precium accipiunt: & manceps à Cic. in Prætura urbana sic accipitur, *Si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe quem ipse apposuisset, sibi nullam prædam esse videt.* Idem.

5 *Convenitur.*] A *conductis* servis *& redemptis* oratoribus. *Catan.* *Convenitur.*] Vetus editio omnis: *Convenitur à conductis & redemtis. In media basilica tam, &c.* Primusque Aldus adjecit, *ubi*, aliterque distinxit. Et vero tertio antiqua ferri queat, ut cum stomacho repetat illud *à conductis & redemtis*, innuatque insuper extra eos nullos præterea adesse auditores. *Gruterus.*

in media [1] basilica, ubi tam palam [2] sportulæ, quam in triclinio dantur. [3] Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane [4] Σοφοκλεῖς vocantur: iisdem latinum nomen impositum est, [5] *laudicœni*. Et tamen crescit indies fœditas [6] utraque lingua notata. Heri duo [7] nomenclatores mei, (habent sane ætatem eorum, qui

1 *Basilica.*] Julia, ubi causæ Centumvirales agebantur. Testatur ipse alibi, *Descenderam*, inquit, *in Basilicam Juliam auditurus quibus proxima comperendinatione responderem.* Juliæ basilicæ dedicationis meminit Euseb. in Chron. Erat autem locus capacissimus, ubi sæpius consilia publica & privata judicia arbitriaque conficiebantur. Inde Seneca, *Premitu judiciorum basilicæ resonant.* Extructæ enim sunt in urbe præter Juliam, aliæ basilicæ, ut Portia & Ulpia, de quibus omnibus fit mentio à P. Victore. *Cat.* *Basilica.*] Basilica dicta quasi regia. Vid. Sueton. lib. 1. de Cæs. & JC. de Verb. oblig. qui Basilicam publicis usibus accommodatam esse demonstrant. Et *Beroald. ad Sueton.*

2 *Sportulæ.*] Munuscula, quæ dabantur amicis officii causa, ut centum quadrantes: de quibus Martialis, & interdum pro minori summula. Nam Secundus de divis. sportularum, *Qui virilem* inquit *togam sumunt vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totum Senatum atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel singulos dare.* Sportæ autem & sportulæ ac sportellæ, quo verbo Tranquillus utitur, sunt nummorum receptacula, sicut sacci, sacculi, sacelli, auctore Pediano. Dion frequenter narrat sportulas fuisse tesserulas ligneas, quas ex vertice theatri in populum spargebant Imperatores: quibus signa inerant esculenti, aut vestis, aut argenti, præterea vasis, aut auri, equorum domitorum, pecorum, servorum. Eas, qui excepissent, oportebat ad distributores afferre, à quibus quod inscriptum erat, accipiebant. *Cat.* Vide & *Jac Sirmond ad Sidon.*

3 *Ex judicio.*] Scil. primo. Nam quatuor judicia fiebant in Basilica Julia, ubi erant totidem tribunalia. *Cat.*

4 Σοφοκλεῖς.] Ἀπὸ τοῦ σοφοῦ καὶ τοῦ καλεῖσθαι, id est, *ab eo quod Sophi dicuntur.* Nam qui dicentibus solebant adulari, clamabant *Sophos.* Perinde, ac si dicerent sapienter dictum, quod testatur Martialis lib. sexto.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.

Sic & Claudianus. Plutarch. inquit, *καλῶς καὶ σοφῶς* suis temporibus fere desuevisse, & jam à quibusdam dici divine & phanatice. Superflue additum fuerat in codice post Σοφοκλεῖς. ἀπὸ τοῦ σοφὸς καὶ τοῦ καλεῖσθαι. hoc ex fide veteris exemplaris, & Pliniana insita brevitate. Fuerat enim cujusdam interpretatio forte superinducta, & postea à rudi scriptore inter codicis verba inserta. *Idem.*

5 *Laudicœni.*] Qui laudarentur ob cœnam, quod convenit cum Martiale. Sunt qui σοφοκλεῖς & laudicœni referant ad auditores, non ad oratores, quod illi cœnarum causa sapientes vocarent, & laudarent causidicos. Hunc morem tetigit Lucianus quando malum oratorem instruxit. *Idem.*

6 *Utraque lingua.*] Græco vocabulo eos appellando σοφοκλεῖς, & laudicœnos. *Idem.*

7 *Nomenclatores.*] Nomenclator sive

[1] nuper togas sumpserunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. tanti constat, ut sis disertissimus. Hoc precio [2] quamlibet numerosa [3] subsellia implentur, hoc ingens [4] corona colligitur: hoc infiniti clamores commoventur, cum [5] μεσόχορος dedit signum. Opus est enim signo

sive nomenclator per syncopen à nomine calando, id est citando dicitur, qui vel Principi vel magistratui vel candidato nomina suggerit & notat. Spartianus in Adriano, *Nomina plurimis sine nomenclatore reddidit: quæ semel & congesta simul audierat ut nomenclatores sæpius errantes emendaverit.* M. Tullius pro Murena, *Quid? quod habes nomenclatorem, in eo quidem fallis & decipis.* Cum Romani servorum legiones domi alerent, necesse erat habere qui eos nomine citarent. in quod Plinius senior sic invehitur, Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa acta: servorum quoque causa nomenclator adhibitus. Extat Augusti scomma de nomenclatore oblivioso, dicente Imperatori, Nunquid ad forum mandas? *accipe*, inquit, *commendatitias, quia illic neminem nosti.* Et illud Fabii, de ingrato litigatore causidici conspectum vitante in foro per nomenclatorem missum ad eum, *Amas me*, inquit, *quia te non vidi.* Hunc prius *fartorem* dictum, ut qui clam infarciret nomina in aurem domini, Porphyrio & Festus scribunt. Martialis qui piscem mugilem nomine citabat, per translationem nomenclatorem appellavit: ac nomenclaturam Plinius, & Columella nomenclationem dixerunt. *Idem.* Romæ Ara cœli exstat tabula Marmorea cum hac inscriptione: L. VOLVSIO. VRBANO. NOMENCLARORI. CENSORIO. Sic *Marcellus Donatus* ad Sueton.

1 *Nuper togas sumpserunt.*] Qui XVII. ætatis annum ingressi sunt. Placet intelligere virilem togam, quæ eo ætatis sumebatur, referente JC. *Catan.* *Qui nuper.*] Circumscribit XVII. annorum ætatem. Nam nati ann. XVI. togam puram, sive virilem, prætextâ positâ, sumebant Romani, viriliaque officia auspicabantur. *Buchner.* *Nuper, &c.*] Error vulgaris. Quindecim annorum ætatem voluit dicere: nam annos quatuordecim nati prætexta puerili posita togam puram sumebant. *Gronovius.*

2 *Quamlibet.*] Vel maxima quantumvis. Quintilianus, Quamlibet multa legerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. *Catan.*

3 *Subsellia.*] Sedes promiscuas. Sic Tranquill. vocat ad spectandos ludos in Theatro comparata sedilia. Et C. Celsus subsellium pro sella privata posuit. Asconius tamen subsellia prodidit esse Tribunorum, Triumvirorum Quæstorum, & hujuscemodi judicia minora exercentium, qui non in sedibus curulibus & tribunalibus, sed in subselliis considebant. *Idem.*

4 *Corona.*] Audientium circulus, concio. Significat enim circulum uniuscujusque rei: hominum præsertim stantium. Ovid.

Consedere duces, & vulgi stante corona.

M. Tullius de Cl. Orat. *Si à corona relictus sim, non queam dicere.* Sic & Seneca in Natural. Palladius, In fastigiis murorum Prætorii jussit coronas prominentes fieri. Demum Cato in re Rustica, extremitates agrorum coronas posse dici demonstrat, cum circum coronas & vias, ulmos seri præcipit. *Idem.*

5 Μεσόχορος.] Qui in media turba est, compositum vocabulum, ἀπὸ τοῦ μέσου καὶ τοῦ χόρου, id est, à medio choro. *Catan.* & *Stephanus.*

signo apud non intelligentes, ne audientes quidem: nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Si quando transibis per Basilicam, & voles scire quomodo quisque dicat, nihil est quod tribunal ascendas, nihil quod præbeas aurem, facilis divinatio. Scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime. Primus hunc audiendi morem induxit [1] Largius Licinius, hactenus tamen, ut auditores [2] corrogaret. Ita certe ex [3] Quintiliano, præceptore meo, audisse memini. narrabat ille, Assectabar [4] Domitium Afrum, quum apud centumviros diceret gravi-

1 *Largius Licinius.*] Qui Plinii avunculi commentarios quadringentis millibus emere voluit. Vir Prætorius, & post Præturam factus Legatus, cui jura reddenti Carthagine accidit mordenti tuber, ut deprehensus inde denarius primos dentes inflecteret. Hæc ex Plinio, apud quem legitur Lartius Licinius: pariter l. xxx. Latinum Largum Paulus JC. commemorat. *Cat.*

2 *Corrogaret.*] Rogando convocaret. *Idem.*

3 *Quintiliano.*] M. Fabio Quintiliano summo oratore, operibus suis & præconio Juvenalis celeberrimo. Hic ex Calagura Hispaniæ oppido oriundus inter Patricios Romanos insertus, sive jure latii, seu Principum liberalitate, quod multis factitatum videmus, & Secundo nostro. Nam ille, auctore Ausonio, Consularia ornamenta per Clementem adeptus est: unde non mirum si Juvenalis eum nobilem per lunata calciamenta designavit. Immo ut magis probem fuisse Romanum civem, addam Trebellii Pollionis dictum: ubi Posthumii junioris eloquentiam laudat, adeo probatam asserens ut ejus controversiæ Quintiliano dicantur insertæ, quem declamatorem Romani generis acutissimum, unius capitis lectio prima fronte demonstrat. Romani generis appellavit, vel ob eloquentiam, vel quorum majores urbe donati fuerant. *Idem.*

4 *Domitium Afrum.*] Hic recens Prætura modicus dignationis, & quoquo facinore festinans clarescere, sub Tiberio juxta Tacit. Claudiam pulchram & Furnium reos peregit. Inde primoribus oratorum additus, divulgato ingenio & assecuta Cæsaris asseveratione, qua suo jure disertum eum appellavit: mox capessendis accusationibus, aut reos tutando prosperiore eloquentiæ quam morum fama fuit, nisi quod ætas externa multum etiam eloquentiæ dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam. Fabius confitetur lib. v. Domitium Afrum, senem se adolescentulum coluisse, cum adhuc causas ageret: quo tempore multum de pristina authoritate perdidit, prius fori princeps creditus, inde æmulatione quadam sub Cajo reus, (Conabatur enim is Imperator omnes oratores, Domitium imprimis acerrimum & summum dicendo superare) præter spem absolutus est: quod nihil Cajo accusanti responderit, neque se defenderit: simulabat autem vereri & Imperatoris vim admirari. quare ad preces conversus tremebundus dicebat se magis Cajum oratorem, quam Cæsarem expavescere. quibus princeps captus persuadens dicendi acrimonia vicisse (Callisto liberto insuper adjuvante) Domitium judicio liberavit, & Consulem renunciavit, abrogatis qui tunc in eo fuerant honore. Hæc *Dion.*

Morti-

graviter & lente (hoc enim illi actionis genus erat) audiit [1] ex proximo immodicum insolitumque clamorem, admiratus reticuit: ubi silentium factum est, repetit quod abruperat: iterum clamor, iterum reticuit: & post silentium cœpit idem tertio. Novissime quis diceret, quæsivit. responsum est, Licius. Tum [2] intermissa causa, *Centumviri*, inquit, *hoc artificium periit*. quod alioqui perire incipiebat, quum perisse Afro videretur: nunc vero prope funditus extinctum, & eversum est. Pudet referre, quæ, quam [3] fracta pronunciatione dicantur: quibus, quam teneris clamoribus [4] excipiantur. Plausus tantum, [5] ac sola [6] cymbala & [7] tympana illis canticis desunt,

Mortis ejus meminit Tacitus, sed adeo circumcise, ut nemini dubium esse possit, quin pars aliqua historiæ interciderit: nam nec causas nec modum, quod alibi assolet, ibi explicat. Eusebius in Chron. tradit mortuum fuisse Afrum in cœna ex cibi redundantia. *Catan.*

1 *Ex proximo loco.*] Dicebat enim Licinius in Basilica Julia apud aliud tribunal. Erant autem quatuor, ideo Centumviralis hasta appellatur, alibi quadruplex judicium à Secundo. *Idem.*

2 *Intermissa causa.*] Digrediens à re quam tunc agebat. *Idem.*

3 *Fracta.*] Enervata, molli, scenica. in quod acerrime Fabius invehitur. *Sed quodcunque*, inquit, *magis tulerim quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque cantandi: quod inutilius sit an fœdius nescio. Quid enim minus oratori convenit quam modulatio scenica? & nonnunquam ebriorum, aut comessantium licentia similis?* Idem.

4 *Excipiantur.*] Excipere: est rem ab aliis prænunciatam pariter referre vel scribere, & notare: per translationem dicimus excepta vulnera. interdum tamen simpliciter pro suscipere. ut Curtius, Legatos ab Alexandro exceptos, id est admissos. & Plin. senior excipulas vocat nassas, quibus anguillæ capiuntur. *Idem.*

5 *Ac sola.*] Hæc est lectio Vett. edd. & Pal. Posteriores adjecerunt vocem *Ac potius sola cymbala, &c.* Natam in officina Aldi Manutii. *Grut.*

6 *Cymbala.*] Dicta à concavitate & curvatione, sicut cymbia pocula. κυφὸς enim curvum, quasi κυφάλα, id est curva aliqua. Hinc Lucret.

Tympana tenta tonant palmis & cymbala circum
Concava raucisonoque minantur cornua cantu.

Nam cymbala tinnitum, sicut tympana sonitum edunt auctore Apuleio. & in epigr. Alexidis cymbala acuti soni vocata. Athenæus scribit in tibiis bombum, in Cymbalis tinnitum, & tympanis sonitum dici. Erant autem cymbala tutelæ matris deorum ascripta, quod similia sunt hemicyclis cœli quibus terra deorum mater cingitur. Et Diodorus scribit, Cybelen invenisse cymbala & tympana. Et cymbalistam dicimus qui cymbalis; sicut tympanistam qui tympanis utitur. *Catanaus.* Conf. Turneb. Adv. xxvi.

7 *Tympana.*] Bellica Indorum instrumenta pro tubis, qui in aëre suspensa scuticis diverberabant, unde horrendus quidam sonitus emittebatur. Conficiebantur autem ex trunco abietis

desunt. ululatus quidem ([1] neque enim alio vocabulo potest exprimi, theatris quoque indecora laudatio) large supersunt. Nos tamen adhuc & utilitas amicorum, & [2] ratio ætatis moratur, ac retinet. Veremur enim ne forte non has indignitates reliquisse, sed laborem refugisse videamur. Sumus tamen solito [3] rariores, quod initium est gradatim desinendi. *Vale.*

XV. C. PLINIUS VALERIANO SUO S.

Interrogat Valerianum quantum veteribus, & nuper comparatis agris oblectetur.

[4] QUo modo te veteres [5] Marsi tui? Quo modo emptio nova? placent agri, postquam tui facti sunt? Rarum id quidem, [6] nihil tamen æque gratum est adeptis

abietis cavato orichalci tintinabulum in eo collocantes, & taurino corio circumtegentes. Hæc in pugnas elata ferebant, cum vero strepitum maximum, aut signo aliquid significare volebant, convertentes ad os, ligneum vas concutiebant: at quæ in eo erant tintinnabula multa, & magna in arcto resonantia, intus obscurum quendam sonitum faciebant, quem mugitu non dissimilem hujus rei ignari difficile poterant discernere instrumenti an beluæ ruditus esset. Hammonius, *tympanum pellibus contectum pulsatur.* A verbo τύπτω tympanum, & interpositione (m) deductum: baccharum instrumentum, & in sacris Dionysii ferri solitum refert Athenæus. Tranquillus, Gallum tympanizantem dixit, quod tympanum pulsaret, & masculino genere prolatum Suidas non sine auctore scripsit. Julius Pollux tympana vasorum nomina esse, quæ & cymbala dicuntur, asserit. Plinius, *Tympanas margaritas, quibus una facies rotunda, & planicies aversis esset.* Tympana præterea vehiculorum tecta legimus. Et apud Celsum tympanitem genus hydropis. Et tympanum carnificis lignum est, quo noxios torquet. Inde τυμπανίζει, id est flagellat, excoriat. *Catan.*

1 *Neque enim.*] Distinctio hujus loci à me est. Nam ut antea interpungebatur à Nemine profecto intellectus est. Scribebatur enim: *Ululatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi) theatris quoque, &c.* Gruter.

2 *Ratio ætatis.*] Nondum enim pervenerat ad LX. annum, vel LXX. juxta alios, cum licebat se excusare à civilibus officiis. *Cat.*

3 *Rariores.*] Rarius quam consueveramus apud Centumviros agimus. *Idem.*

4 *Quo modo.*] Placent tibi, scilicet agri aviti? *Idem.*

5 *Marsi.*] Quos in Marsis possides. Marsi à velocitate pedum dicti, populi ultra Picenum in secunda regione: terrori sunt serpentibus, referente Plinio & Dionysio. A Strabone & Tacito etiam Marsi assignantur Germaniæ. *Idem.*

6 *Nihil tamen.*] Quanquam potest evenire ut emptio nova cum desideratur

ptis, quam concupiscentibus. Me prædia materna parum commode tractant: delectant tamen, ut materna. Alioqui longa patientia [1] occalui. Habent hunc finem assiduæ querelæ, quod queri pudet. *Vale.*

XVI. C. PLINIUS [2] ANNIANO SUO S.

Annianum hortantem, Aciliani codicillos, quia non essent testamento confirmati, irritos habendos, monet se pluris facere defuncti voluntatem, quam jus ipsum.

TU quidem pro cætera tua diligentia admones me, [3] codicillos Aciliani, qui me ex parte instituit hæredem, pro non scriptis habendos, quia non sint [4] confirmati testamento. Quod jus ne mihi quidem ignotum est, cum sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt: sed ego

tur placeat. Sunt qui velint, *nihil tamen usque ad me*, fuisse quandam glossulam & epistolæ insertam. quid si *ademptis*, pro emptis? *Catan.*

1 *Occalui. Habent.*] Sic omnes editi & Pal. Calamo exaratus verbo amplius *occalui aliis. Habent.* De quo viderint, quibus otium. *Gruter.*

2 *Anniano.*] Vidi in monumentis Brixianorum, C. Lucretium Annianum. Præterea in quibusdam exemplaribus memini legere ad Annium scriptam epistolam. Sive is fuerit Annius Gallus ab Othone peditum rector destinatus, & cum Vestritio iterum copiarum rector ad occupandas Padi ripas præmissus: deinde à Mutiano dux cum Petilio Cereale electus. Sive Annius Verus, qui postea ascito nomine Antonini imperavit. Potuit & mitti T. Annio Flaviano aquarum curatori Vespasiano quinto, & Tito Coss. Frontino auctore. *Catan.*

3 *Codicillos.*] Epistolas. Fabius: *Codicilli dubium ad quem scripti.* Plinius tradit Homerum scripsisse Bellerophonti *codicillos datos.* Tranq. Othonem scripsisse ad sororem *codicillos consolatorios.* Derivatio tamen verbi aliud quam epistolas importare videtur, referente Seneca. Nam caudex, sive codex, à quo codicilli, plurimarum tabularum contextus est. *Catan.* Vide & A. Manut. Erant quoque Officiorum seu dignitatis codicilli. Sueton. *immutates officiorum datorum codicillos.* in Tib. Cl. ad quem loc. vid. *If. Casaubon.*

4 *Confirmati testamento.*] Ante Augusti tempora constat codicillorum jus in usu non fuisse, sed primus L. Lentulus codicillos introduxit, cujus authoritatem multis sequentibus idem Imperator Trebatio suadente constituit codicillos jure optimo esse. Et cum ante testamentum codicilli facti erant, Papinianus ait, Justiniano referente, non aliter vires habere, quam si speciali post ejus voluntate confirmentur. Quæ enim postea sequuntur prioribus derogant. *Catanæus.*

1 Pro-

ego [1] propriam quandam legem mihi [2] dixi, ut defunctorum voluntates, [3] etiamsi jure deficerentur, quasi perfectas tuerer. Constat autem codicillos istos Aciliani [4] manu scriptos. Licet ergo non sint confirmati testamento, à me tamen ut confirmati observabuntur. præsertim cum [5] delatori locus non sit. Nam si verendum esset, ne quod ego dedissem, [6] populus eriperet, cunctatior fortasse, & cautior esse deberem. Cum vero liceat hæredi donare, quod in hæreditate subsedit, nihil est quod obstet illi meæ legi, cui publicæ leges non repugnant. *Vale.*

XVII. C. PLINIUS [7] GALLO SUO S.

Respondet Gallo admiranti cur tantopere Laurentino agro detineretur, Locique opportunitatem & villæ structuram mire describens hortatur, ut villam tot rebus ornatam contubernio suo magis commendet.

MIraris, cur me Laurentinum, vel (si ita mavis) Lau-

1 *Propriam.*] Convenientem. Sunt qui legant *proximam* non inconvenienter. Julianus, *De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet. quod moribus & consuetudine inductum est. & si qua in re defecerit, tunc quod proximum, & consequens est.* Catan.

2 *Dixi.*] Constitui. Defunctorum voluntates, quod sæpe mandant JCti tit. de militari testam. & postea secundum Justinianum Severus & Antoninus rescripserunt, Ex his codicillis, qui testamentum præcedunt, posse fidei commissum peti: si appareat eum, qui testamentum fecit, à voluntate quam in codicillis expresserat, non recessisse. Hinc Julianus. ff. XXIX. *Codicillorum jus singulare est, ut quæcunque in his scriberentur, perinde haberentur, ac si in testamento scripta essent.* Idem.

3 *Etiamsi jure deficerentur.*] Pal. & Vett. edd. *jure deficerent.* Inde putarim ortum illud nostrum marginale, *jura deficerent.* Gruterus.

4 *Manuscriptos.*] *Martianus & Paulus,* Codicillos, neque sua manu scribere, neque signare licet, valent tamen. Conficiuntur autem quatuor modis; aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommissum, aut sine testamento. *Cat.*

5 *Delatori locus non sit.*] Per Trajanum enim legimus id genus hominum exactum in exilium. *Idem.*

6 *Populus.*] Ærarium publicum, quod sub Trajano silens & quietum fuit, relegatis delatoribus, qui omnia testamenta prius irrita faciebant. An populus Brixiensis qui hæres erat eorum qui sine hærede legitimo moriebantur. *Idem.*

7 *Gallo.*] Sive is fuerit Didius vel Annius Gallus, de quo supra, an ille Gallus cujus favore Adrianus Trajano fuit

[1] Laurens meum tantopere delectet? desines mirari, cum cognoveris gratiam villæ, opportunitatem loci, [2] litoris spatium. Decem & septem millibus passuum ab urbe secessit: ut peractis, quæ agenda fuerint, [3] salvo jam & composito

fuit acceptus. Galli Præfecti urbis fit mentio apud Juvenal. Satyr. XVI. Rubrium Gallum cum Cælio Pisone Consulem, per quos subventum libertatibus est Senatusconsulto, testatur Ulpianus fuisse temporibus divi Trajani. Possumus etiam intelligere Numatium Gallum, quem Martial. lib. X. scribit fuisse simplicitate prisca, & bonitate Socrati parem. *Catan.*

1 *Laurens.*] Per correctionem. Quanquam alibi semper Laurentinum dicat, non sine analogia, utpote à Laurento oppido deductum: tametsi ab eo Laurentes vocemus. An quia usus fuerat diminutivo, ne tam egregium opus minueretur, grandiori vocabulo dictum correxerit? *Idem.*

2 *Litoris spatium.*] Vox *Litoris*, de ipso secessu villæ in litore positæ capienda est: *Spatii* vero de distantia ejus ab urbe Roma quam mox describit: ab ultimo eorum, quæ proposuerat, incipiens: quod sæpe solent auctores, *Litora* pro *secessibus* (quod hi plerumque ibi amoenitate eorum peterentur) & Tacitus dixit Hist. III. cap. LXIII. *In eundem modum & Mucianus composuit Epistolas: quibus plerumque fidere Vitellius, ac de numero servorum, electione litorum loqui.* Paulo ante *secreta Campaniæ* dixerat; mox, *beatus Campaniæ sinus*, appellat. Qui & alibi *amœna litorum*, pro amoenioribus secessibus litorum dixit. *Buchner.*

3 *Salvo jam & composito die.*] Nascitur dies, mane; moritur, vesperi: inter hæc duo tempora adolescit quasi atque maturat. Nam & Virgilius *maturam lucem* de adulta ac plena dixit.

—— Interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies.

Qui & *Soles maturos* in Georgicis dixit, de Solstitiali tempore, cum plena æstas est, & Sol ex incrementis suis maxime potens. Nam simul declinare incipit, quod à solstitio accidit, simul remitti & calor ejus solet. *Maturum* itaque in talibus τέλειον, ἄκρον est: hoc est, quod ad suam ἀκμὴν pervenit. Apud Statium in Silvis legimus:

Jam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Moriente die, id est, declinante, & jam eunte in vesperam ac noctem. Porro ut moritur dies, ita & sepelitur. Virgilius:

Ante diem clauso componat vesper olympo.

Horatius:

Condit quisque diem collibus in suis.

Componere enim & *condere*, sepelire est. Horatius:

—— Est tibi mater?
Cognati? queis te salvo est opus? haud mihi quisquam,
Omnes composui.

Quare & hic *compositus dies* sepultus erit, hoc est, finitus atque peractus. *Salvus* autem, qui adhuc durat & vivit quasi. Vivit enim dies, cum adhuc lucet, nec jam elapsus totus est. Nam & Sophocles Ζῶον χρόνον de præsenti & nondum præterito tempore dixit. At quanam ratione *salvus* atque *compositus*, ut duo contraria, hic conjunguntur? An, pro *salvo*; *soluto*; vel *absoluto*, legendum est? Nam ex scripturæ compendio facile potuit corrumpi locus. Et *solvi* etiam atque *absolvi*, quandoque mori est. An retinendum *Salvo*; & disjunctione ac inductione particulæ *&* tentandum remedium? Ita scilicet: *Ut peractis quæ peragenda salvo; jam composito die possis ibi manere.* Ut significet eodem die se potuisse

posito die possis ibi manere. Aditur non una via: nam & [1] Laurentina & Hostiensis eodem ferunt, sed Laurentina à quartodecimo [2] lapide, Ostiensis ab undecimo relinquenda est. Utrinque excipit iter aliqua ex parte arenosum [3] jumentis paulo gravius & longius, equo [4] breve & molle. Varia hinc atque inde facies. nam modo occurrentibus sylvis via coarctatur: modo latissimis pratis diffunditur & patescit. multi greges ovium, multa ibi equorum, boumque armenta: quæ montibus hyeme depulsa, herbis & tepore verno [5] nitescunt. Villa usibus capax, non sumptuosa tutela. Cujus in prima parte [6] atrium frugi, nec tamen sordidum: deinde porticus in [7] O literæ similitudinem circumactæ, quibus parvula, sed

potuisse venire in villam, & ordinare negotia ante vesperam, & ibi deinde quiescere per noctem. Nam *manere*, per noctem quiescere est. Unde & *mansio* locum significat, ubi confecto diei itinere quiescendi causa manemus per noctem, quod in Glossario docendum erit. *Buchner.* *Salvo jam & composito die.*] Frustra sudat his *Buchnerus.* *Salvo & composito die*, est omni penso diei confecto: ut nihil omiseris eorum, quæ illo die curanda habebas & curare constitueras, ut non temporius ex urbe exeas, quam functus omni officio ejus diei fueris. *Dies* pro opere diei, hæc omnis difficultas. Adde & Senecam de Ira III. 36. *Gronovius.*

1 *Laurentina.*] Quæ Laurentum ducit: sicut Hostiensis, quæ Hostiam. *Cat.*

2 *Lapide.*] Miliario. Unum enim quodque miliarium signabant ab urbe lapide in via erecto: & nunc quoque plurimis vicis mansit appellatio, à numero lapidum. *Idem.*

3 *Jumentis.*] Alii *junctis*, id est, equis conjugatis. Unde Tranq. Suet. in Dictatore, *post solis occasum mulis è proximo pistrino ad vehendum junctis.* Sequentium tamen scriptorum auctoritas facit, ut magis credam legendum *jumentis*, quod etiam in quibusdam codicibus receptum. Idem Tranq. in Ner. *Sed & in via Appia vico repente puerum citatis jumentis haud ignarus obtinuit.* Idem. *Jumentis.*] Hoc habet editio Manutii, at ea priores *junctis*, & sic Pal. quoque noster, nec prorsus displicet. *Gruter.*

4 *Breve.*] Quia facilius equo viarum compendia rapiuntur. *Catan.*

5 *Nitescunt.*] Pinguescunt. Virgil.

—— *Quæ cura nitentes.*

Pascere equos. —— Idem.

6 *Atrium frugi.*] Non sumtuosum. Atrium erat in prima parte domus, inde quidam opinatur dictum, quod esset anterius. Varro ab Atriatibus Tuscis appellatum credidit: illinc enim exemplum sumptum. At Festus, inquit, Atrium proprie est genus ædificii ante ædem continens mediam aream: in quam aqua collecta ex omni tecto descendit. Dictum autem atrium quod à terra oriatur quasi atrarium. Vide pl. Macrob. & Gell. qui pleraque de atrio tradidere. *Idem.*

7 *O literæ.*] In rotunditatem ad typum literæ O. Fuit etiam in secunda lectione in Δ literæ, ut scilicet porticus illæ triangulares essent. *Idem.*

1 *Atta.*]

ſed feſtiva [1] area includitur: egregium hæ adverſum tempeſtates receptaculum: nam [2] ſpecularibus, ac multo magis imminentibus tectis muniuntur. Eſt contra [3] medias [4] cavædium hilare: mox triclinium ſatis pulchrum, quod in litus excurrit; ac ſiquando [5] Africo mare impulſum eſt, fractis jam, & noviſſimis fluctibus leviter adluitur. Undique valvas, aut feneſtras non minores valvis habet: atque ita à lateribus, à fronte [6] quaſi tria maria proſpectat. A tergo cavædium, porticum, aream: [7] porticum rurſus, mox atrium, ſylvas, & longinquos reſpicit montes. Hujus à læva retractius paulo [8] cubiculum eſt amplum: deinde aliud minus, quod altera feneſtra admittit [9] orientem, occidentem altera retinet. Hæc

1 *Area.*] Locus in ædibus ſub dio. Florentinus, *Area locus in urbe ſine ædificio: in rure ager appellatur: idemque ager cum ædificio fundus dicitur.* At Paulus, *Area pars inſulæ eſt, & quidem maxima.* Feſtus, *Area locus vacuus quaſi exaruerit, & non poſsit quicquam generare.* Eſt & trituræ locus, quam aream Varro fieri præcipit circularem. Celſus pro morbo aream ponit. *Catan.*

2 *Specularibus.*] Sicut noſtra tempeſtate vitreis orbibus conglutinatis frigus & ventos arcemus: ſic olim lapidibus ſpecularibus in quamlibet tenues cruſtas fiſſis. Hiſpania & Cappadocia multitudine & magnitudine Cyprum & Ciliciam ſuperant. Sunt tamen obſcuriores, ut in agro Bononienſi breves, & maculoſi. Candido ſpeculari mira natura ineſt: cum neque ſeneſcat, facileque ſolem & frigus ſuſtineat. In quem fuerint uſum vide apud Juven. Martial. Ulpian. Columell. Pallad. &c. *Idem.*

3 *Medias.*] Porticus. Quidam legunt *meſaulas* non medias, de quibus Vitruvius, *Inter duo autem piſtyla itinera ſunt, quæ meſaulæ dicuntur: quod inter duas aulas media ſunt interpoſita.* Idem.

4 *Cavædium.*] Vitruvius & Varro disjunctum protulere, *cava ædium* appellantes. Erat autem intra parietes locus tectus & patulus ad uſum omnium maxime ſalutantium relictus. Nam etiam non invitati illuc commeare poterant, ſic ad veſtibulum & periſtylia. Ædificabantur autem juxta triclinium in quinque genera diſtinctum Thuſcanicum, Corinthium, Tetraſtylum, diſpluviatum, teſtudinatum, quare ſtatim ſubnectit triclinium. *Idem.* Vide & ex Vitruv. lib. VI. cap. 3. *Turneb. Adverſar. lib. x. cap.* 17.

5 *Africo.*] Vento ab Africa ſpirante. *Catan.*

6 *Quaſi tria maria.*] Nam revera mare Tyrrhenum tantum proſpectabat, ſed cum à tribus locis, à fronte ſcilicet & duobus lateribus proſpectum baberet, quaſi tria maria dixit propter diverſam faciem. *Idem.*

7 *Porticum rurſus.*] Alteram porticum: an præcedentis partem? *Idem.*

8 *Cubiculum.*] Dictum autumat Feſtus à cuba Sabinorum lingua, quam militares lecticam vocant. Cubicula etiam Vitruvius ſolet appellare tignorum & aſſerum ſuſtentacula. *Idem.*

9 *Orientem.*] Solem. Nam cubicula,

Hæc & ſubjacens mare longius quidem, ſed ſecurius intuetur. Hujus cubiculi, & triclinii illius objectu includitur angulus, qui puriſſimum [1] ſolem continet, & accendit. Hoc [2] Hybernaculum, hoc etiam [3] Gymnaſium meorum eſt. Ibi omnes ſilent venti, exceptis, qui [4] nubilum inducunt, & ſerenum [5] antequam uſum loci eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum [6] in apſida curvatum, quod ambitum ſolis feneſtris omnibus ſequitur. Parieti ejus in bibliothecæ ſpeciem [7] armarium inſertum eſt, quod non legendos libros, ſed lectitandos capit. Adhæret dormitorium [8] membrum tranſitu interjacente, qui

ſicut bibliothecæ orientem ſpectare debent: cum illa matutini luminis uſum poſtulent, in his libri non putreſcant. *Catan.*

1 *Solem continet.*] Id eſt, *teporem Solis infuſi repercuſſu auget*, ut infra de Xyſto & Crytoporticu loquitur. *Buchnerus.*

2 *Hybernaculum.*] Locus hyberno tempore idoneus: ſicut hybernacula militum ſtativa per hyemem ſolemus appellare. Vide pluribus Vitruvium. *Catan.*

3 *Gymnaſium.*] Locus ubi exercebantur: proprie tamen de athletis, quoniam nudi contendebant, poſtquam primum nudus Orſitus cucurrit in Olympia. Fuerat enim antiquis conſuetum ſubligaria ferre circum pudenda in gymnaſiis: Orſito vero Lacedæmonio certanti ſoluta fibula cauſam doloris incuſſit: unde lex conſtituta, ut nudarentur. Novimus publicas etiam balneas gymnaſia dici: quare Suidas unctuaria, & lavacra appellat. Immo etiam certamina equeſtria, & venationes, quod corpus exerceant, quidam dixere gymnaſia, & Baleares gymnaſias Græci vocarunt: quod nudi æſtate incederent. *Diodorus.*

4 *Nubilum inducunt.*] Tempus nubilum faciunt quales ſunt auſtrales, notus, aphricus, libonotus, & eurus plerunque. *Catan.*

5 *Antequam uſum loci.*] Prius ſol obducitur nubibus, quam calor faceſſat. *Idem.*

6 *In apſida.*] Id eſt, in curvaturam rotæ ſive teſtudinis. Hoc enim ſignificat ἀψίς, familiaris dictio Plin. ſeniori, ubi de aſtronomicis tractat. Et cameras ἀψῖδας dictas Suidas interpretatur. Recentiores ſcribunt in Bajano & Lucrino adhuc apſidas extare celſi ſuperbique operis: quarum partem balnea, partem ſacella, partem cubicula, & villarum aulas occuparet: in earum aliquibus ferramenta ſemicorroſa ſuperne adhuc pendere. Legunt & *in aſpida curvatum*, id eſt, in formam aſpidis circumactum. Aſpis eſt ſerpentis ſpecies. *Idem.*

7 *Armarium.*] Rerum receptaculum, veluti veſtiarium: in cujus formam vidimus bibliothecas comparatas interdum. *Catan.* Eſt etiam promtuarium, ex quo cibus promitur. Plaut. in Capt. Sc. Dieſpiter.

Cellas refregit omnes intus, reclauſitque armarium.

8 *Membrum.*] Pars domus. Nam Columella cum Apulejo ſic nominat. Videtur autem fuiſſe dormitorium membrum, quod ipſe lib. v. in alterius villæ deſcriptione dormitorium cubiculum dixit. *Catan.*

1 *Suſpen-*

qui [1] suspensus & [2] tabulatus conceptum vaporem salubri temperamento huc illuc digerit & ministrat. Reliqua pars lateris hujus [3] servorum libertorumque usibus detinetur, [4] plerisque tam mundis, ut accipere hospites possint.

1 *Suspensus.*] Elevatus. Lege Vitruvium de suspensuris caldariorum. *Catan.*

2 *Tabulatus.*] Tabulis ubique interpositis, per quas vapor huc & illuc digeratur. quod magis placet, quam *sublatus subulonibus*, id est, tibicinibus suffultus. Subulones enim tibicines Thusci, auctoribus Festo & Varrone, dixerunt, ad cujus similitudinem unicornes cervos appellavere subulones. Et Desubulare, Marcello tradente est, perfodere, à subula tractum. Legimus etiam *quod suspensum & tabulatum*, ut ista referantur ad dormitorium. *Idem.* *Suspensus & tabulatus.*] Pal. & ed. vetus, membrum & transitu, mox Palatinus, *qui suspensus sublatus conceptum, &c.* Modius cum invenisset in Neustetteri MS. *qui suspensus subditis*, legendum pronunciat, *suspensus sublicis* aut *sublicius*. Gruter. Jac. Sirmond ad Sidon. in descript. Burg. Pontii Leontii, *Tubulatum* legi vult. Per *tubulos* enim parietibus impressos, ut loquitur Seneca Epist. xc. vapor emittitur. *Tubulus* etiam canna est, qua aqua deducitur, Varr. de Re rust. c. 8. Et *Tubos viscerum* dixit Martial. lib. 11.

3 *Servorum libertorumque, &c.*] Non solicitarem hanc lectionem, si per sequentia staret. Nam qua ratione *mundos* vocari servorum *usus*; aut *hospites* potuisse *accipere* existimabimus? Forte an per compendium scriptum *usibus* fuit: quod qui non capiebant, *usibus* postea rescripserunt, cum *mansibus* aut *mansionibus* deberent. Nam *mansus* & *mansio* idem est: ut *habitatio*, & *habitatus*. Vet. Glossæ: οἴκησις. *Habitatio*, *habitatus*, *habitaculum*. Et paulo ante perstrinximus, quid *manere* & *mansio* Latinis dicatur. Quare si horum alterutrum admittimus, omnia expedita erunt & plana. Possis tamen & ita: *Servorum libertorumque usibus detinetur plerisque æcis*, (vel *membris*) *tam mundis, ut accipere hospites possint.* *Membra* frequenter dicuntur domus partes: suppeditatque hæc ipsa Epistola exempla. *Oecos* apud Vitruvium legimus. Qui tamen huc nihil faciunt. Apud Lucianum nunc οἶκοι nunc οἰκήματα appellantur, quælibet membra balinei. Cæterum οἴκημα, Vetus Glossarium *Cellam* interpretatur. Ac vocant Latini frequenter *cellas*, ubi servi morantur, ac cubant. Sic *Atriensis cellam* apud Suetonium Caligula: & *Ostiarii cellam* apud Petronium legimus. Quo nomine tamen hic uti Plinius noluit: quod non ad rationem cellarum hæ mansiones extructæ essent, angustius scilicet, ac parum munde; sed in legitimorum cubiculorum morem laxius ac elegantius. quamquam neque *cubicula* appellare voluit propter conditionem utentium: & *æcos* appellavit forte potius; quod illud nominis nec dis-convenirct servorum mansionibus; & honestioribus habitaculis etiam aptari posset. *Buchner.*

4 *Plerisque tam mundis.*] Non *usus servorum* Plinio *mundi* vocantur, nec *mansionibus*, *mansibus*, *æcis*, *membris*, locus est. Sana sunt omnia, neque habent quicquam difficultatis, modo recte accipiantur. *Plerisque*, puta reliquæ partis lateris hujus locis vel membris, *tam mundis*; in quo intelligitur participium verbi substantivi. Cum dicit *servorum libertorumque usibus detinetur*, significat ibi esse cellas vel membra, in quibus illi cubent. Tum, *plerisque tam mundis*, id est, & pleraque eorum, quæ servorum & libertorum usibus detinentur,

sint. Ex alio latere cubiculum est politissimum, deinde vel cubiculum grande, vel modica [1] cœnatio, quæ plurimo sole, plurimo mari lucet. Post hanc cubiculum cum [2] procœtone, altitudine æstivum, [3] munimentis hybernum. est enim subductum omnibus ventis. Huic cubiculo aliud, & procœton communi pariete junguntur, inde balinei, [4] cella frigidaria, spatiosa & effusa, cujus in contrariis parietibus duo [5] baptisteria, [6] velut ejecta sinuantur, abunde capacia. [7] Si innare in proximo cogites,

nentur, tam munda sunt, ut etiam hospites ingenuos eo collocare possis. *Gronovius.*

1 *Cœnatio.*] Locus ad cœnam sumendam. Sidonius pro diæta indifferenter ponit. Columella præcipit cœnationes in villa hyberni temporis æquinoctialem occidentem, sed æstivas hybernum orientem spectare. Cœnatorium autem vestis est, qua in cœnis utebantur: At cœnacula in superiore domus parte erant, ad quæ scalis ascendebatur, solita inquilinis locari, auctoribus Juvenale, & Pompejo. & Ulpianus cœnaculariam exercere usurpat pro eo, quod est cœnacula locare. *Cat.*

2 *Procœtone.*] Id est, antithalamo: quod satis congrue facit, & Columella hoc vocabulo usus est. Nec putant, inquit, se habere villam nisi multis vocabulis retineant Græcis: quin vocent particulatim procœtona, palæstram, apodyterion. Græcum est Προκοιτῶν Antethalamum, Antecubiculum. Legunt etiam *Procestrio*, quo proceditur in muro. Ælius etiam referente Festo *ædificia dicit extra portam.* Artorius, quæ sunt ante castra *procestria* scripsit. Cæsar *Erycinum* videtur vocare. *Idem. Procœtone.*] In Pal. est *proceriore*, moxque infra *proceriori.* Sed vett. edd. utroque in loco habent *procestrio.* Gruter.

3 *Munimentis.*] Parietibus specularibus aptum ad usum hyemis. *Catanæus.*

4 *Cella frigidaria.*] Ubi aqua frigida, si pœnituisset teporis, lavabantur. Nam balinei cellæ tres erant: caldaria, ubi calida, tepidaria, ubi tepida: frigidaria, ubi frigida servabantur. Vitruvius in balnearum dispositione cum calidariam & tepidariam memoravit, statim frigidarii aheni memoriam facit. Nam præfurnio tria ahena imponebantur, caldarium, tepidarium, frigidarium, ut ex tepidario in caldarium, quantum aquæ exierit, influat, de frigidario in caldarium. *Idem. Frigidaria.*] Caldariam vel calidariam vocarunt Θερμὸν οἶκον. Galen. lib. 1. Tepidariam ἠρέμα χλιαινόμενον οἶκον & ἠρέμα θερμὸν οἴκημα. Frigidariam vero ψυχρὸν οἶκον. Vide *Salmas. not. in Fl. Vopiscum.*

5 *Baptisteria.*] Lavacra. ἀπὸ τοῦ βάπτειν, à lavando, de quo Sidonius. Huc è locis calore venientibus triplex medii parietis aditus per arcuata intervalla reseratur. ubi tria cellarum genera jam prædicta demonstrantur. *Catan.*

6 *Velut ejecta.*] Tanquam à pariete eminentia. *Sinuantur.*] Circumvolvuntur. Nam extra parietem hemicycli formam retinebant. *Idem.*

7 *Si innare in proximo, &c.*] Distinctio hæc est à Pal. & Vett. edd. Recentiores *abunde capacia, si innare in proximo cogites. Adjacet, &c.* Gruterus.

gites, adjacet [1] unctuarium [2] hypocaustum, adjacet [3] propnigeon balinei. mox duæ cellæ magis elegantes, quam sumptuosæ. cohæret calida [4] piscina mirifice, ex qua natantes mare aspiciunt. Nec procul [5] sphæristerium, quod calidissimo soli, inclinato jam die, occurrit. Hinc turris erigitur, sub qua [6] diætæ duæ, totidem in ipsa. præ-

1 *Unctuarium.*] Ubi servabatur oleum unctui opportunum. *Cat.* *Unctuarium.*] Hoc Lucian. ἀλειπτήριον οἶκον vocat, & ita describit μεθ' ὃν ἐν δεξιᾷ οἶκος δὲ μάλα φαιδρὸς, ἀλείψασθαι ἀφθόνως παρεχόμενος, ἑκατέρωθεν εἰσόδους ἔχων Φρυγίῳ λίθῳ κεκαλλωπισμένας, τοὺς ἀπὸ παλαίστρας εἰσιόντας δεχόμενος. Meminit & unctuariæ cellæ Dialogus Adr. Imp. cum Epicteto, verba vide apud *Salmas.* *in Fl. Vopisc.* 29.

2 *Hypocaustum.*] Quod hypocaustum græce, nos latine succensum appellamus. Erat autem locus in thermis concameratus & fornicatus, habens ante præfurnium quo igne imposito illas calefaciebant. Nam ὑπὸ, sub, & καυστικὸν ardens vaporarium à quibusdam vocatur, quia vaporandis cubiculis adhibebatur. *Vitruvius.*

3 *Propnigeon.*] Suida interprete, πνιγεὺς caminum & furnum significat: & proprie ubi carbones accenduntur. quod Latine dici potest Præfurnium. Sic Vitruvius utitur: apud quem propigneum inversum vocabulum offendes. magnus etymologic. πνῖγος æstum interpretatur. *Catan.*

4 *Piscina.*] *Non piscandi sed natandi causa sine fructu*, inquit Varro de piscinis. Palladius, *Piscinales cellæ in æstivis balneis à Septentrione lumen accipiant, in hyemalibus à Meridie.* Aquæ calidæ piscinam Mœcenas primus in urbe struxit: & nimiam piscinarum luxuriam Seneca taxat. *Idem.*

5 *Sphæristerium.*] Locum putant à ludo sphæræ quam pilam possumus appellare. Nam σφαιρίζειν & σφαιρομαχεῖν, est *pila ludere*: & σφαιριστὴς *qui pila ludere scit*, qualis Lycon Peripateticus, auctore Athenæo. Lampridius non pro loco, sed ludo usus est. *Post lectionem*, inquit, *palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus operam dabat.* Inde Papinius lib. IV. Sylvarum, in præf. *Sed &*, inquit, *Sphæromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur.* Et Tranquillus. scribit Vespasianum fuisse solitum in sphæristerio fauces & cætera membra distringere. Pausanias: *Est*, inquit, *& statua antiqua Herculis, cui sacrificant sphæris qui ab ephebis in viros transeunt.* Idem.

6 *Diæta.*] Diæta locus erat in quo per diem versari solebant. à verbo Græco, διαιτῶμαι, quod est *vivo & dego.* Sive vocabulum diætæ à die, & edendo tractum videatur: quod in ea de die cœnaretur. Nam fuisse idem quod cœnaculum Ulpianus de extraordinariis criminibus innuit. Athenæus diætas tetraclinias scribit suscepisse triginta viros, & nata aram diætam in Hieronis navi lectos habuisse quindecim. Et Sidonius, *Ex triclinio fit in diætam sive cœnationem transitus.* Fuisse autem diætas superiores & inferiores ostendit. Scævola de donationibus: & Pollux ἐνδιαιτήματα delectationis causa construi tradit. Et Imp. Alexander in palatio struxit diætas nomine matris suæ. Diæta etiam cibum unius diei significari receptum est, & speciem medicinæ quæ victu medetur, diæticam appellatam Celsus

præterea [1] cœnatio, quæ latissimum mare, longissimum littus, amœnissimas villas prospicit. Est & alia turris: in hac cubiculum, in quo sol [2] nascitur conditurque: lata post [3] apotheca & [4] horreum. Sub hoc triclinium, quod turbati maris non nisi fragorem & sonum patitur, eumque jam languidum ac desinentem. hortum & [5] gestationem videt qua hortus includitur. gestatio buxo aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur. Nam buxus qua parte defenditur tectis, abunde viret aperto cœlo, apertoque vento: &, quanquam [6] longinqua aspergine maris, inarescit. Adjacet gestationi interiore circuitu vinea tenera & umbrosa, nudisque etiam pedibus mollis

testatur: de qua Rufus Ephesius scripsit libros quinque, unum de diæta scilicet navigantium. Suidas diætas vocat judicia, quæ non fiunt pro tribunali: qualia sæpe audivimus hodie fieri apud Germanos, & diætatas judices ad hoc electos. Nam Διαιτᾶν est judico. *Catan.* *Diæta.*] Pal. & vet. edd. *sub qua zeta dua.* Gruter.

1 *Cœnatio.*] Locus eminens & patulus, quales sæpius est videre in Genuensium villis, ubi & cibum capiunt, & littus ac mare prospectant, *terratias* vulgo appellant: quod sunt patenti cœlo & planæ, quanquam summo instar æquatæ terræ. *Catan.*

2 *Nascitur conditurque.*] Altera fenestra Orientem, altera Occidentem solem admittit. Lucianus domum commendat quæ patentibus fenestris solem Occidentem excipit. *Idem.*

3 *Apotheca.*] Cella vinaria. Nam quamvis apotheca possit esse locus, quo res servandæ reponuntur ἀπὸ τῆ ἀποτίθεσθαι, à reponendo dictus; tamen pro cella vinaria accipi solet auctoribus Plinio avunculo & Columella. Sic & Ulpianus. *Catan.* Testatur & hoc *Salm. in Æl. Spartian.*

4 *Horreum.*] Granarium ab hordeo, quod in eo servabatur, quidam dictum autumant. Debet autem esse siccissimum, & sicut cella vinaria ad Septentrionem spectare, aversum omnino ab austro. auctores sunt Vitruvius, Plinius, Palladius, & Columella. *Catan.* *Horreum.*] Horreum & Apotheca æquipollent, quamvis horreum generalius. Descendit ex Gr. ὡρεῖον, quod est cujusvis rei φυλάκτιον. Falluntur enim, qui ὡρεῖον ex Latino flexum autumant, eamque vocem ut barbaram in suis lexicis notant. *Salmas. in Æl. Spartian.*

5 *Gestationem.*] Locum, quo gestabantur, quamplurimum sub dio ambulacrum. *Catan.* Vide ad Ep. III. l. I. *Gestationem.*] Est hæc præterea ipsa etiam exercitatio, qua gestamur, ac vehimur, equo, lectica, vel quovis alio genere. Sidon. lib. II. epist. IX. transfert ad ambulationem, cum tamen alii ab ea distinguant. Vid. *Senec. Epist.* LV. *Plin. sen. lib.* XXVII. *apud Jac. Sirmond. ad Sidon.*

6 *Longinqua aspergine.*] Ut vix possit conspergi rore salso. Fit enim aspergo maris ex concussione vicini scopuli. Hinc Virgil.

Objectæ salsa spumant aspergine cautes.

Catan.

1 *Mollis.*]

lis & cedens. Hortum [1] morus & ficus frequens vestit: quarum arborum illa vel maxime ferax est terra, malignior cæteris. [2] hac non deteriore quam maris facie cœnatio remota à mari fruitur. [3] Cingitur diætis duabus à tergo, quarum fenestris subjacet [4] vestibulum villæ, & hortus alius [5] pinguior & rusticus. Hinc [6] cryptoporticus [7] prope publici operis instar extenditur. Utrinque fenestræ, à mari plures, ab horto singulæ, [8] & altius pauciores. Hæ, cum serenus dies & immotus, omnes: cum hinc vel inde ventus inquietus, qua venti quiescunt, sine injuria, patent, ante cryptoporticum [9] Xystus

1 *Morus.*] Arbor Palladi dicata, quod sero germinat: ideo nullis vernis subjecta tempestatibus. *Catan.*

2 *Hac non deteriore.*] Sensus est: alia quamvis procul à mari cœnatio, tamen fruitur aspectu tam amœno quam illa, quæ mari adjacet. *Idem.*

3 *Cingitur diætis.*] Conjunguntur duæ diætæ cœnationi continentem versus. Ad idem fere legitur, *vincitur. Idem. Diætis.*] Pal. & edd. vett. *zetis duabus.* Grut.

4 *Vestibulum.*] Ingressus. Ex auctoritate Cæcilii Galli, Gellius, & eadem ad verbum transcribens Macrobius, refert non in ipsa domo nec partem ædium, sed locum ante januam esse, per quem de via aditus accessusque ad ædes fit, cum dextra sinistraque inter januam & tecti, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur. Fiebat autem in ædibus amplissimæ fortunæ. Vestibuli derivationem aliam refert Ovidius in Fastis à Gellio & Macrobio, à Vesta deducens more poëtarum. Vitruvius & Ulpianus vocabulo Græco utentes prothyrum appellarunt: dii propylæon, ut Maximus & Thucydidis interpres. *Catan.*

5 *Pinguior.*] Sic Pal. & edd. vett. publicati *pinguis.* Grut.

6 *Cryptoporticus.*] Occulta & latens porticus. κρύπτω enim abscondo & Crypta locus abditus, & concameratus, quam pro cryptoporticu reor Vitruvium posuisse: *In ædibus*, ait, *cryptæ, horrea, apothecæ.* Juvenalis pro subterranea caverna fornicata, id est, cloaca, usurpavit. *Catan.* Confer *Is. Casaub. in Spartian.*

7 *Prope publici operis instar, &c.*] Sic recentiores, Pal. & editio vetus habent: *Hinc Cryptoporticus. prope publici operis, extenditur.* Gruter.

8 *Et altius pauciores.*] Sed in eminentiore parte sunt pauciores, quam in inferiore. Legitur etiam: *Sed alternis pauciores:* ut sit sensus, ab horto habet pauciores fenestras dimidio quam à mari. Potest etiam legi *alterius*, ut multi codices habent, in eundem sensum, scilicet fenestris alterius partis. *Catan.*

9 *Xystus.*] Vitruvius Xystum amplæ latitudine porticum, in qua athletæ per hyberna exercebantur, esse voluit Græca appellatione nostrosque hypætras sub dio ambulationes xysta vocare, quæ Græci paradromidas dicunt. Sed lib. v. à superioribus in quibusdam auctor idem discrepat. *Hæc*, inquit, *porticus xystus apud Græcos vocitatur, quod athletæ per hyberna tempora intectis stadiis exercentur.* (Unde Pollux antiquos testatur dixisse xystos dromos, & Xenophontem in Oeconomico sine dromo

stus violis [1] odoratus. teporem solis infusi [2] repercussu cryptoporticus auget, quæ ut tenet solem, sic aquilonem inhibet, summovetque, quantumque caloris ante, tantum retro frigoris, similiter Africum sistit, atque ita diversissimos ventos alium alio à latere frangit & finit. Hæc jucunditas ejus hyeme, major æstate. Nam [3] ante meridiem xystum, post meridiem [4] gestationis, hortique proximam partem umbra sua temperat, quæ ut dies crevit decrevitque, modo brevior, modo longior [5] hac vel illac cadit. Ipsa vero cryptoporticus tunc maxime caret sole, cum ardentissimus culmini ejus insistit. Ad hoc patentibus fenestris favonios accipit, [6] transmittitque: nec unquam aëre pigro & manente ingravescit. In capite xysti deinceps cryptoporticus, [7] horti diæta est, amores mei: re vera amores.

dromo scripsisse xystum.) Faciunda autem Xysta sic videntur, ut sint inter duas porticus sylvæ, aut platanus, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, quas Græci paradromidas, nostri xysta appellant, in quas per hyemem è xysto sereno coelo athletæ prodeuntes exercentur. Nam modo xystum vocabulum esse Græcum, modo Latinum dicit: & xystum tam neutro quam masculino genere usurpat, cum apud cæteros masculino proferatur, quem puto M. Tullium intellexisse. Apud Tranq. in Augusto accipimus in eundem sensum dici xystum. Quidam Græcorum xystum interpretantur esse locum politum & æquatum, significare etiam parvum hastale seu jaculum. Hinc Arrianus inquit, *Signa electi exercitus, aquilæ, imagines regiæ: coronæ, omnes aureæ super xystis argenteis.* Xystis autem vestis Tragicorum crocea. Et Xystion vulgarem quandam gemmam ex India mitti refert avunculus Secundi. *Catan.* Conf. Salmas. exercit. in Solin. Polyhist. p. 371.

1 *Odoratus.*] Odore repletus. Odoratum est quod aliunde accipit odorem, ut odoratum templum. Odorum, quod per se habet. Martialis,

Tantos veris honos, & odora gratia Floræ.

Hæc tamen poëtarum licentia confunduntur. *Catan.*

2 *Repercussu cryptoporticus.*] Objectu parietis australis cryptoporticus. *Idem.*

3 *Ante meridiem xystum.*] Quia æstate sol habet ortum magis septentrionalem, sic & occasum: unde mane xystum, quippe qui juxta frontem orientalem ad meridiem situs est. *Idem.*

4 *Gestationis.*] Jacebat enim juxta frontem occidentalem. *Catan.* *Gestationis.*] Sequutus sum codices Modianos. In vulgato quippe plurali numero, *gestationes.* Grut.

5 *Hac.* A septentrione. *Catan.*

6 *Transmittit.*] Per alias fenestras sic moto aëre, impigroque refrigeratur. *Idem.*

7 *Horti diæta.*] Structa in horto. Nam ex JCto ostendimus diætam in hortis fieri. *Id.* *Legitur etiam Zeta.* Super qua dictione videtur mihi operæ precium referre,

tes. ipse posui. In hac [1] heliocaminus quidem, alia xystum, alia mare, utraque [2] solem: cubiculum autem valvis, cryptoporticum fenestra [3] prospicit: [4] qua mare contra parietem medium [5] zotheca perquam eleganter recedit,

referre, quid hactenus compererim. Lampridius in Heliogabalo, *Odores indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas jussit incendi.* Sidonius lib. IX. *Quod supradicto tamdiu potes uti libello, ut eum non amplius zetecula tua quam memoria includas.* Colligi hinc potest zetam pro bibliotheca usurpari. Sed Sidonii auctoritatem in hoc non magnifacio: cum nec Ulp. lib. XXXII., ubi de bibliothecis multa disserit, ullam zetæ mentionem faciat. Quidam arbitrantur zetam locum, quem antiqui deducta per parietes aqua frigida refrigerabant, vel ferventi calefaciebant. Neratius hunc modum deducendorum rivulorum per parietes notat. Alii propter sequentia zetam locum esse voluerunt unius lecti cum sellis duabus, qui velis obductis & reductis modo adjiciebatur cubiculo, modo auferebatur: & traxisse nomen, quoniam tribus è partibus fenestras & prospectus habeat, atque solem multipliciter accipiat, ἀπὸ τοῦ ζεῖν, quod est fervere. Nam Homerus inquit. ὡς δὲ λέβης ζεῖ, id est, *ut autem lebes fervet:* quando & heliocaminus in ipsa zeta ponebatur. vel ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod in ea commodissime vivatur. Alii omnino mendam ubique inolevisse & diætam legendum. Nam præter fidem veterum exemplarium hac utuntur ratione, quod cum prius diæta & ziæta scriberetur, indifferenter *d* in *z* mutatis, ut Medentius Mezentius auctore Prisciano: postea ex ziæta scriptum esse zeta, eorum inscitia, qui nesciebant ziætam & diætam idem esse. Nec obstat quod aqua calefieret, nam hoc commodissime fieri poterat diæta, in quam se recipi solitum Saturnalibus ad studia testatur Secundus. *Catan.*

Diata.] Zeta est in vulg. edd. vett. item in Pal. *Gruter.*

1 *Heliocaminus.*] Concameratus locus totus soli expositus, ac hyberno tempore calorem ex illo recipiens & continens diætæ pars, nostri vaporarium solare vocant: sive solarium ut apud Plautum in milite glorioso. Nam heliocaminus Græcum est. ἥλιος enim *sol* & κάμινος *fornax*. Ejus meminit Ulp: *octavo ff. de servitutibus urbanorum prædiorum.* Miror quosdam prodere ausos olim caminos non fuisse in membris domus, cum Sidonius secus apertissime ostendat his verbis, *A cryptoporticu in hyemale triclinium venitur: quod arcuatili camino sæpe ignis animatus pulsa fuligine infecit.* Tranq. in Vitellio. *Nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini.* Lucianus in Saturnalibus, ubi hyemem describit, *Multi*, inquit, *circum caminum versantur.* Et Didymus in re Rustica præcipit, faciundum caminum in balneis. *Catan.*

2 *Solem.*] Quem ut exciperet, ideo struebatur heliocaminus. Unde merito Jurisconsultus respondet, arbores quæ illum inumbrarent succidi & tolli debere. *Idem.*

3 *Prospicit.* Aliæ edd. *recipit.* Boxhornius.

4 *Qua.*] Pal. & edd. vett. non agnoscunt illud, & pro *diata* habent *zeta.* Gruter.

5 *Zotheca.*] Nunc vulgata exemplaria, correctorum vitio, quia in toto Epistolæ textu diætarum, zetarumque mentio crebra recurrit, hoc etiam in loco diætam exhibent. Sed certa est veterum lectio, quam repræsentavi. Ex Plinii autem verbis non difficile est cognoscere, zothecas proprie dictas secretio-

recedit, quæ [1] ſpecularibus & velis obductis reductiſve modo [2] adjicitur cubiculo, modo aufertur. Lectum & [3] duas cathedras capit, à pedibus mare, à tergo villæ, à capite ſylvæ, tot facies locorum, totidem feneſtris & diſtinguit & [4] miſcet. Junctum eſt cubiculum noctis & ſomni. non illud voces ſervulorum, non maris murmur, non tempeſtatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem ſentit, niſi feneſtris apertis. Tam alti abditique ſecreti illa ratio, quod interjacens [5] andron parietem cubiculi, hortique diſtinguit, atque ita omnem

cretiores œcos & habitatiunculas domus cubiculis adjunctas, in quibus Domini diverſabantur, privatiſque ſtudiis operam dabant, qualia ſunt, quæ vulgo ſtudia aut Cabineta dicimus. Utitur hac voce Sidonius etiam l. VIII. epiſt. XVI. & IX. ep. XI. extatque in Tiburtina Inſcriptione, quam Savaro protulit, & in hac Reatina nondum hactenus edita

TI. CLAUDIO AUG. L. FELICI SCAPULANO D. III. Q. III. QUINQUENNALI INMUNI TRIPLICARIO BENE MERENTI EX CONSENSU DECURIAE UNIVERSAE HONORIS CAUSA ZOTHECAM PUBLICE DEDERUNT ATIMETUS L. SUA PECUNIA ADORNAVIT. *Jac. Sirmond ad Apoll. Sidon.*

1 *Specularibus.*] Lapidibus translucentibus, eundem quem nunc vitrum, in feneſtris uſum præſtantibus. *Catan.*

2 *Adjicitur cubiculo.*] Auget cubiculum remotis velis, & minuit eiſdem obductis. Seneca Natural. IV. ſcripſit cœnationem velis & ſpecularibus muniri ſolitam. *Idem.*

3 *Duas.*] Palat. habet quidem *duas*, ſed intra lineas. In contextu viſitur *denas*. Grut.

4 *Miſcet.*] Quia à quacunque feneſtra tria iſta videri poterant: an, quod magis probo, quod anguſtia loci per tres feneſtras uno aſpectu omnia licebat intueri? *Catan.*

4 *Andron.*] Locus domicilii appellatur anguſtior longitudine, in quo viri plurimum morantur, ſicut Gynæcium ubi mulieres, auctores ſunt Feſtus, Suidas, Pollux, qui androna etiam libro ſexto pro loco convivii interpretatur. *Ad hæc*, inquit Ariſtophanes, *judicia omnia & porticus andronas faciam.* Athenæus, Majores domus heroum Homerus μέγαρα vocat, & δώματα, & κλισίας: nos vero ξενῶνας & ἀνδρῶνας. Et ubi de conviviis Cretenſium agit, *Sunt*, inquit, *ubique in domibus duo loca conviviis celebrandis aſſignata, quorum alterum vocant* ἀνδρεῖον, *alterum, in quo hoſpites dormiunt*, κοιμητήριον, ἀπὸ τοῦ κοιμᾶσθαι, *quod eſt dormio.* Idem auctore Pyrgione, ἀνδρεῖον dictum aſſerit ξενίου à Jove hoſpitali. Herodotus magnam domum vocat andreona. Leonidas in epigrammate, & alii Græcorum pro triclinio uſurpant, ſicut legimus geminos extra androna vocaſſe Simonidem, & ſtatim corruiſſe. Vitruvius ſcribit Græcos appellare andronas œcos, id eſt, domos ubi convivia virilia ſolent eſſe, quod eo mulieres non accedant, quanquam jam dixiſſet, Græci meſaulas inter duas aulas poſitas nominant, eas noſtri andronas. Ut per hæc andron modo Latinum, modo Græcum ſit, quod non poteſt convenire, niſi dicamus cum teſtatur andron eſſe Græcum

omnem sonum [1] media inanitate consumit. Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet. Procœton inde & cubiculum porrigitur in solem, quem orientem statim exceptum, ultra meridiem, obliquum quidem, sed tamen servat. In hanc ego diætam cum me recipio, abesse mihi etiam à villa mea videor. magnamque ejus [2] voluptatem præcipue Saturnalibus capio, cum reliqua pars tecti [3] licentia dierum, festisque clamoribus personat. nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt. Hæc utili-

cum vocabulum respexisse originem & derivationem ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, id est à viro: cum vero Latinum, quod à nostris receptum esset, & pro suo uterentur. *Catan.*

1 *Media inanitate.*] Spatioso androne interposito. *Idem.*

2 *Voluptatem præcipue Saturnalibus.*] A Saturno Saturnalia dicta: & in ejus honorem inchoata nemo dubitat. Quo autem tempore & à quibus instituta, magna inter eruditos concertatio. Nam alii à Jano, quidam ab Hercule tradidere, Plutarchus à Numa. Livius etiam Consulibus A. Sempronio & M. Minutio ædem Saturno dicatam: Saturnalia diem festum institutum prodidit. Martialis à Jove initium cepisse. Athenæus apud Græcos longe multa explicat. Berosus apud Athenæum tradit de mense Augusto, die undecimo agi festum, cognomento Saceam, diebus quinque, quibus moris erat regi dominos à servis, & eorum unum deduci regia stola indutum, quem vocarent Zoganem. Baton Sinopensis rhetor significat Saturnalium festum Græcum esse, & apud Thessalos Peloria dici, ubi ab Athenæo longa fabula super hoc enarratur. Servis autem concessa licentia, quod Saturno rege nemo servitio vel libertate discriminabatur, ut scilicet vita illa simplex & antiqua per Saturnalia repræsentaretur, primo per diem celebrata qui est quartusdecimus Calendar. Januarii. Quanquam Acron primo die mensis Decembris Saturnalia fieri referat, sed postea edictis C. Julii Cæsaris duobus diebus huic mensi adjectis. & Augusti edicto, trium dierum feriæ Saturnalibus sunt additæ, & sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum & lætitiam religionis extendit. Nonnulli tamen nulla sigillariorum habita mentione septem dierum Saturnalia fuisse scribunt. M. Tullius ad Attic. secundis & tertiis Saturnalibus, pro secundo & tertio Saturnalium die dixit. Nemo illis diebus officiis publicis occupabatur, neque toga seu trabea vel paludata veste, prætextaque utebatur, verum sola synthesi. *Catan.* *Voluptatem præcipue Saturnalibus capio.*] Editio vetus & Palat. legunt *voluptatem ecce Saturnalibus præcipue capio.* Gruterus.

3 *Licentia dierum.*] Saturnalibus licebat servis sumptis pileis non modo vesci cum dominis, sed partes honores illis in domo gerere, jus dicere, & omni ludorum genere remitti: cujus rei vestigia in aliquibus Italiæ oppidis publice adhuc restant post natalem Redemptoris nostri. *Catan.*

1 Sed

utilitas, hæc amœnitas, deficitur aqua salienti, [1] sed puteos ac potius fontes habet. Sunt enim in summo, & omnino litoris illius mira natura. quocunque loco moveris humum, obvius & paratus humor occurrit, isque sincerus, ac ne leviter quidem tanta maris vicinitate salsus. Suggerunt [2] affatim ligna proximæ sylvæ. cæteras copias [3] Ostiensis colonia ministrat. Frugi quidem

1 *Sed puteos ac potius fontes habet.*] Cur *fontes* potius vocare debeat, mox subjicit, cum ait, *sunt enim in summo.* Hoc enim *fons* à *puteo* differt, quod hic in imo, & ille in summo sit. Ulpianus L. I. §.VI. D. De aqua cottitiana & æstiva: *Sunt quædam aquæ, quæ etsi perennes sunt, duci tamen non possunt: ut puta puteales, & quæ ita submersæ sunt, ut destruere extra terram non possint.* Columella carmen. de horto:

Aut fons illacrimet putei non sede profunda,

Ne gravis haustu tendentibus ilia rumpat.

Buchner.

2 *Affatim.*] Abunde quod dictum credit Festus à copia fandi. & Terentium *affatim* id est, ad lassitudinem protulisse. Columella *affatim pileas* dixit, & plerunque eo dicendi genere usus est. Ammianus referente Gellio putat prima acuta pronunciandum. *Catanæus.*

3 *Ostiensis colonia.*] Ostiam coloniam maritimis commeatibus opportunam Septentrionali parte ad ostium Tyberis Ancus Martius Romanorum Rex deduxit testimonio Cor. Nepotis, Plinii avunculi, & Stephani. quanquam is, ut scriptorum alii ab eo conditam fuisse tradat, eam Strabo neutro protulit. Appellatam Ostiam Dionysius autumat, quod in ostio Tyberis sita sit, quondam Romanorum navale, quamvis antea importuosum, sed Imperatore Claudio portum extruente ægre tamen, ut quod post undecim annos triginta hominum millibus sine intermissione laborantibus hospitale factum est. Colonia est, quæ ab urbe propagata secundum Siculum Flaccum ad ipsos propinquiores municipiorum populos coercendos vel hostium incursus repellendos, jura institutaque populi Romani habet, non sui arbitrii: quæ conditio cum sit magis obnoxia & minus libera quam municipii, potior tamen ac præstabilior existimatur propter amplitudinem majestatemque populi Rom. cujus quasi effigies parva, simulacrumque esse videtur: & simul, quia obscura obliterataque sunt, municipiorum jura, quibus uti jam per innotitiam non queunt. Coloniarum genera duo Asconius esse voluit: municipium scilicet & coloniam intelligens, quorum illud extrinsecus in civitatem venit, hoc ex civitate in alium locum mittitur: hinc auctore Dionysio coloniæ in urbe patronos habebant, qui colonos tanquam filios gratis defendebant. Mittebantur autem coloniæ ad exonerandam urbem multitudine oppressam; & ut socios haberent tanquam ejusdem generis nomine Romano fideliores. Charax historicus apud magnum etymologicum refert Silenorum statuas cum utribus quos vitium cultores Bacchus ad bellum iturus senescentes in Italia reliquerat, solitas poni in Coloniis, ut his sacrorum communicatio denotaretur: sed quia erant in compedibus, voluisse per hoc demonstrare eas Colonias populo Romano fuisse subjectas, & legibus Romanorum vixisse. *Idem.*

dem homini sufficit etiam [1] vicus, quem una villa discernit, in hoc balinea [2] meritoria tria. Magna commoditas, si forte balineum domi, vel subitus adventus, vel brevior mora calefacere dissuadeat. Littus ornant varietate gratissima nunc continua, nunc intermissa tecta villarum, quæ præstant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso littore utare. quod nonnunquam longa tranquillitas mollit, sæpius frequens & contrarius fluctus indurat. Mare non sane preciosis piscibus abundat: [3] soleas tamen & [4] squillas optimas suggerit. Villa vero nostra etiam mediterraneas copias præstat, lac in primis. Nam illuc è pascuis pecora conveniunt, si quando aquam, umbramve sectantur. Justisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? quem tu, nimis urbanus es, nisi concupiscis: atque utinam concupiscas, ut tot tantisque dotibus villulæ nostræ maxima commendatio ex tuo contubernio accedat! *Vale.*

XVIII.

1 *Vicus.*] In oppidis constat ex plurimis domibus, in agris ex villis, cujus incolas, vicanos Livius appellavit. Neque ignoro Vicanos populos esse, quos Coriolanus debellavit. Vicinia autem est ipsa vicinitas. & vicinales vias propinquas dixit Frontinus. *Catan.*

2 *Meritoria.*] Mercedis causa structa. sic Juvenalis (sive balnea sive diversoria mercede conducta intellexerit) Sat. III.

—— nam quæ meritoria somnum
Admittunt. ——

Tranquillus meritoriam rhedam vocat mercede conductam: ut meritoriæ dicuntur mulieres, quæ mercedis gratia prostituuntur. M. Tull. in Philipp. *Ingenui pueri cum meritoriis.* Idem.

3 *Soleas.*] Solea piscis genus, translatum auctore Fabio à solea pedis tegumento: ex genere planorum, ut rhombus est & passer. *Idem. Soleas.*] Est genus piscis plani, à similitudine soleæ dictum. Hinc *Rhombi, solea, passeres habent formam planam.* Plinius sen. lib. 11.

4 *Squillas.*] Juvenalis tanquam preciosum piscem squillam introducit,

Aspice quam longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino squilla, & quibus undique septa
Asparagis, &c. ——

De hac lege Plin. sen. lib. IX. & M. Tullium de Nat. deorum. *Catan.*

XVIII. C. PLINIUS [1] MAURICO SUO S.

Pollicetur Maurico, cum omnes rhetores audiverit, se rescripturum, ad quem mittat fratris filios.

QUid à te jucundius mihi potuit injungi, quam ut præceptorem fratris tui liberis quærerem? Nam beneficio tuo in scholam redeo: & illam [2] dulcissimam ætatem quasi resumo. Sedeo inter juvenes ut solebam: atque etiam experior quantum apud illos auctoritatis [3] ex studiis habeam. Nam proxime [4] frequenti auditorio inter se, coram multis [5] ordinis nostri, clare jocabantur. intravi, conticuerunt. Quod non referrem, nisi ad illorum magis laudem, quam ad meam pertineret, ac nisi sperare te vellem, posse fratris tui filios probe discere. Quod superest, cum omnes, qui profitentur audiero, [6] quid de quoque sentiam, scribam: efficiamque, quantum tamen epistola consequi potero, ut ipse omnes audisse videaris. Debeo enim tibi, debeo [7] memoriæ fratris tui hanc fidem, hoc studium, præsertim super tanta re. Nam quid magis interest vestra, quam ut liberi, (dicerem tui, nisi nunc illos magis amares) digni illo patre,

1 *Maurico.*] Invenio non Maurico, sed Mario, in quibusdam etiam codicibus Martio inscriptam epistolam. *Catan.*

2 *Dulcissimam ætatem.*] Adolescentiam. *Idem.*

3 *Ex studiis.*] Quantum mihi deferant propter eloquentiæ studia. *Idem.*

4 *Frequenti auditorio.*] In magna auditorum copia. Nam frequenter auditorium pro auditoribus usurpat. Tranquill. *Cum primum frequenti auditorio commisisset*, id est, multis auditoribus. *Idem.*

5 *Ordinis nostri.*] Patricii. *Catanæus.* *Multis ordinis nostri, clare jocabantur.*] Sic Membranæ à Modio excusæ. Prius editi *multi nostri ordinis*. Illud *jocabantur*, exstat præterea in Pal. & Vet. edit. nam neotericæ habent, *loquebantur*. Gruter.

6 *Quid de quoque sentiam.*] Sic Pal. & Vet. ed. Recentissimæ, *quid de illis quoque sentiam*, quod ne quidem in Aldina est. *Idem.*

7 *Memoriæ.*] Quia tunc defunctus erat. Sic enim de mortuis solebant fari. Apulejus, *Cum fratre optimæ memoriæ viro dixit.* Est adhuc videre in epitaphiis antiquorum, B.M. id est *beatæ memoriæ:* quem dicendi modum pariter de mortuis vulgo usurpamus. *Cat.*

1 *Offen-*

stre, te patruo reperiantur: quam curam mihi etiamsi non mandasses, vindicassem. Nec ignoro suscipiendas [1]offensas in eligendo præceptore. Sed oportet me non modo offensas, verum [2]simultates pro fratris tui filiis tam æquo animo subire, quam parentes pro suis. *Vale.*

XIX. C. PLINIUS CEREALI SUO S.

Creali petenti ut quandam orationem recitaret, multas causas proponit quibus desistere debeat: postremo tamen asserit se judicium ejus secuturum.

HOrtaris ut orationem amicis pluribus recitem. faciam, quia hortaris: quamvis vehementer addubitem. Neque enim me præterit, actiones, quæ recitantur, impetum, omnem calorem, ac prope [3]nomen suum perdere: ut quas soleant commendare, simul & accendere judicum [4]consessus, celebritas advocatorum, expectatio eventus, fama [5]non unius actoris, diductumque [6]in partes audientium studium: ad hoc, dicentis gestus, [7]incessus, [8]discursus etiam, omnibusque motibus ani-

1 *Offensas.*] Quia omnes præceptores hanc provinciam ambibant. *Cat.*

2 *Simultates.*] Inimicitias. *Idem.* *Simultates.*] Dicta est juxta Festum à contrario sensu, qui non sunt simul. Potest & à simulatione dici, quod, qui simultates exercent, inter se simulata loquuntur. Cic. pro Man. *Ut multas simultates partim occultas, partim apertas intelligam mihi esse subeundas.*

3 *Nomen suum.*] Quia cum agebantur, actiones dicebantur, sed recitatæ jure videbantur appellandæ recitationes. *Catan.*

4 *Consessus.*] Nam in Tribunali judices sedebant, advocati vero astabant. *Idem.*

5 *Non unius actoris.*] Multorum. Nam plures advocati unam eandemque causam agebant. *Actoris.*) Litigatoris. Actor est qui agit causam vel tragœdiam, & similia. Varro putat actorem tantum dici, qui aliquid agit motu corporis. potest enim aliquis facere, non agere, ut poëtæ comœdiam: & agere, non facere, ut comœdus tragœdiam. *Idem.* *Actoris.*]Villicus quoque actor dicitur, quia res curat. Sic: *Ita fit, ut & actor & familia peccent, & ager sæpius infametur* Columel. l. 1. c. 7.

6 *In partes.*] Diversas. Nam id solet fieri, ut disceptantium uni magis faveat auditor: & si neuter nec beneficio, nec injuria sit incognitus. *Cat.*

7 *Incessus.*] M. Tullius rarum in actione incessum, neque admodum longum probat. *Idem.*

8 *Discursus.*] Modo sit brevis & moderatus, aliâs improbandus. Quare tradunt Virginium Flavium interrogasse quendam suum antisophistam quot millia passuum declamasset? *Idem.*

1 *Agunt.*]

animi conſentaneus vigor corporis. unde accidit ut hi qui ſedentes [1] agunt, quamvis illis maxima ex parte ſuperſint [2] eadem illa quæ ſtantibus, tamen hoc quod ſedent quaſi debilitentur & deprimantur. Recitantium vero præcipua pronunciationis adjumenta, [3] oculi, manus, [4] præpediuntur, quominus mirum eſt ſi auditorum intentio langueſcit, nullis [5] extrinſecus aut blandimentis capta aut aculeis excitata. His accedit quod oratio de qua loquor pugnax & contentioſa eſt. Porro ita natura comparatum eſt, ut ea quæ ſcripſimus cum labore, etiam cum labore audiri putemus. Et ſane [6] quotuſquiſque tam rectus auditor, quem non potius dulcia hæc & ſonantia, quam auſtera & preſſa delectent? Eſt quidem omnino turpis iſta diſcordia, eſt tamen, quia plerumque evenit ut aliud auditores, aliud judices exigant, cum alioqui præcipue auditor iis [7] affici debeat, quibus idem, ſi foret judex, maxime permoveretur. Poteſt tamen fieri, ut quanquam in his difficultatibus libro iſti [8] novitas lenocinetur. novitas apud noſtros: apud Græ-

1 *Agunt.*] Cauſam dicunt. *Catan.* *Agunt.*] Differunt *cum populo agere* & *ad populum loqui.* Vide ex Meſſale auguris lib. *Aul. Gellium lib.* XIII. *cap.* XV.

2 *Eadem illa.*] Vox, caput, vultus, oculi, ſupercilia, & reliquæ corporis partes, geſtus etiam & motus: non autem inceſſus & diſcurſus. *Catan.*

3 *Oculi, manus.*] Merito hæc præcipua pronunciationis adjumenta vocat. Oculi enim in ipſo vultu plurimum valent ex lib. XI. Fabii, & ſine manibus trunca eſt actio & debilis: Vixque dici poteſt, quot motus habeant, cum pene ipſam verborum copiam proſequantur. *Idem.*

4 *Præpediuntur.*] Multum diſturbantur ab officio ſuo. *Idem.*

5 *Extrinſecus aut blandimentis.*] Motu ſc. corporis opportuno. *Idem.*

6 *Quotuſquiſque.*] Cujuſcunque ſit conditionis & ordinis. Quota enim & ordinem dignitatis & minimum ſignificat, apud M. Tullium, Plinios utroſque, Tacitum, Senecam, Martialem. In fœminino genere hucuſque tantum pro re minima notavimus, præterquam apud Horat. in Serm. ubi hora quota ſignificat ordinem, & Cic. in Rhet. *Quota noctis hora.* Idem.

7 *Affici.*] Moveri. Eſt enim affici trahi ad unamquamque rem ex aliqua animi perturbatione. Seneca affectus eſſe voluit motus animi ſubitos, improbabiles & concitatos, quanquam Maximus egregium humani animi affectum dixerit. Græci τὰ πάθη vocant, de quibus plura Quint. & Macrobius. *Idem.*

8 *Novitas lenocinetur.*] Novi dicendi ſpecies. Blandiatur, gratiam addat. *Idem.* *Lenocinetur.*] Tranſlatio eſt, ab eo quod *leno* facere conſuevit.

Sit

Græcos enim est quiddam quamvis ex diverso, non tamen omnino dissimile. Nam ut illis erat moris, leges quas ut contrarias prioribus legibus arguebant, aliarum collatione [1] convincere: [2] ita nobis inesse repetundarum lege quod postularemus, cum hac ipsa lege, tum aliis colligendum fuit: quod nequaquam blandum auribus imperitorum, tanto majorem apud doctos habere gratiam debet, quanto minorem apud indoctos habet. Nos autem, si placuerit recitare, adhibituri sumus eruditissimum quemque: sed plane adhuc an sit recitandum, examina tecum, omnesque [3] quos ego novi in utraque parte [4] calculos pone. Idque elige, in quo vicerit ratio. à te enim ratio exigetur, nos excusabit obsequium. *Vale.*

XX. C. PLI-

Sic tibi serviet, tibi lenocinabitur, minus aliquanto contendet, quam potest. Cicero I. in Verrem.

1 *Convincere.*] Sensus est, in constitutione legitima ex contrariis legibus, quas leges probabant esse contrarias aliis legibus, Græci consueverunt comparatione aliarum meliorum legum confutare. Scias autem necesse est, jure ipso nullam esse legem legi contrariam, quia si diversum jussisset, alterum altero abrogaretur: sed eas casu & evento collidi, & diversas videri. *Catanaeus.*

2 *Ita nobis.*] Ordo est, ita fuit argumentandum & probandum nobis cum ipsa lege repetundarum, tum aliis legibus inesse legi repetundarum, id est, contineri ea lege quod accusaremus: videtur autem ista fuisse oratio, qua Marium Priscum accusavit. *Idem.*

Ita nobis inesse.] Pal. & Vetus habent: *ita nobis esse repetund. &c.* Gruter.

3 *Quos ego novi.*] Malim, *quos ego movi.* Supra enim disputavit in utramque partem, & dubitandi rationes protulit. Juvat idem Auctor lib. III. *motus consilii* pro causis & rationibus consilii dixit, Ep. IV. *Is. Casaub.* Hoc confirmari non solum à Pal. MS. sed etiam à vet. edit. jam nunc testor. *Gruter.*

4 *Calculos.*] Difficultates, rationes. Qui enim computabant, calculis utebantur. Unde Vegetius Calculare, & Mart. calculatorem, quem vulgo ratiocinatorem dixerunt. Et ratio pro calculo, sicut calculus pro ratione usurpatur. Columella calculos pro sumptu & redditu accipit, cum præcipit ne majorem agrum quam ratio calculorum patitur, emere velimus. *Catan.*

XX. C. Plinius Calvisio Suo S.

Calvisium tribus de M. Regulo fabellis delectat, latenter tempora sua pulsans, quibus mali multo majora, quam boni præmia consequebantur.

[1] Assem para, & accipe [2] auream fabulam: fabulas immo, nam me priorum nova admonuit: nec refert à qua potissimum incipiam. [3] Verania Pisonis [4] graviter jacebat. ([5] Hujus dico Pisonis, quem [6] Galba adoptavit.) Ad hanc Regulus venit. Primum impudentiam hominis, qui venerit ad ægram, cujus marito [7] inimicissimus, ipsi invisissimus fuerat. Esto, si venit tantum. At ille etiam proximus toro sedit, quo die, qua hora

1 *Assem.*] As antiquitus libralis, id est duodecim unciarum fuit, juxta Donat. Prisc. Gellium. Q. Fabio Dictatore uncialis factus: mox lege Papyriana semiuncialis. Prius non fuit pecunia numerata, ut postea. Dionysio & Festo auctoribus æreus erat as, Plutarchus argenteum scribit. Varro & eum secutus Pompejus ab ære dictum censent. *Catan.* *Assem para.*] Hoc verbo utuntur circumforanei & circulatores etiam nunc fabellas populo venditur. *Idem.*

2 *Auream fabulam.*] Eximiam. sic Venerem, & mala aurea appellare solemus. Nam aurum reliquis metallis pulchrius & preciosius. Quare suum Apulejus asinum dici aureum voluit, quasi admirandum & supra cæteros. *Idem.*

3 *Verania Pisonis.*] Uxor, quæ maritum post cædem composuit quæsito capite, quod venale interfectores servaverant. *Tacitus.*

4 *Graviter jacebat.*] Gravi morbo pressa lecto se continebat. *Catan.*

5 *Hujus dico.*] Nam fuit & C. Piso, qui in Neronem conjuravit, ac alii plures *Idem.*

6 *Galba adoptavit.*] Imperator Galba, cum Germaniæ legiones duce Aulo Vitellio defecissent, se vero non tam propter senectutem quam orbitatem despici intelligeret, L. Pisonem Frugi Licinianum egregium juvenem, generosum, mitem, prudentem, M. Crasso ex Scribonia genitum, vultu habituque moris antiqui recta interpretatione severum, deterius interpretantibus tristiorem adoptavit: cujus adoptionem à Galba secreto habitam cum in castra protulisset, milites nullo donativo dignati ægre tulerunt. quod indignanti Othoni, quia non se adoptasset, materiam præbuit deficiendi. Piso postea in vestibulo Vestæ ab Othonianis militibus interficitur sexto post adoptionem die. Hanc rem copiosius tractant Tacitus, Tranquillus, Plutarchus, Dion. *Idem.*

7 *Inimicissimus.*] Vivo Nerone. Neque minus post mortem Galbæ. nam Montanus Regulo objecit Pisonis mortui caput morsu appetitum. *Idem.*

hora nata esset, interrogavit. Ubi audivit, [1] componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat nihil, nisi ut diu miseram expectatione [2] suspendat. *Habes* (inquit) [3] *climactericum tempus, sed evades. Quod ut tibi magis liqueat,* [4] *aruspicem consulam, quem sum frequenter expertus.* Nec mora: sacrificium facit. Affirmat [5] exta cum siderum significatione [6] congruere. Illa, ut in [7] periculo, credula, poscit codicillos, [8] legatum Regulo scribit: mox ingravescit, clamat moriens: *O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam perjurum, qui sibi* [9] *per salutem filii pejerasset!* Facit hoc Regulus

1 *Componit vultum.*] In gravitatem & dubitationem format. *Catan.* Sic *togam componere* est attentum esse, aut se ad attentionem parare, Flac. in eccl. *Audire atque togam jubeo componere, &c.* Conf. Turneb. Adversi. lib. IX.

2 *Suspendat.*] Excutiat, ambiguam & suspensam teneat. Fuit in alia lectione, *Computat nihil, diu miseram expectatione suspendit.* Catan.

3 *Climactericum tempus.*] Arduum, difficile, contrarium Suida interprete: & Sidonius lib. VIII. pleraque de climaterico, quod per hebdomadas fiebat. Septenarium enim annum ætatis Chaldæi periculosum putabant, sed maxime sexagesimum tertium: unde climatericum quasi scalarium dixere Græci. Quare Augustus apud Gellium gratulatur Cajo nepoti quod evasisset climatericum: cum jam quartum & sexagesimum natalem ageret, periculosum profecto senibus si fides adhibenda scriptoribus: sed Censorinus in eo opusculo quod de natali composuit, explicatius quam superiores super climaterico scripsit, annum referens quadragesimum nonum longe letalissimum: minus vero suspectum tertium & sexagesimum, ac unum & nonagesimum: quanquam & ipsi letales sint. *Idem.*

4 *Aruspicem.*] Qui victimarum exta introspiciebat, aruspex dictus. Dionysius quos Græce hieroscopos, Romanos vetusti nominis parum custodes dixisse putat aruspices. At Fabius à spectando à posteriore parte dictos asserit. Donatus ab aruga, quæ & hostia; vel ab ara in qua servatur, nomen sumpsisse. Aruspicinæ inventum Delpho Plinius tradit, alii à Tage Thusco ad Romanos transiisse. *Idem. Aruspicem.*] Scribitur & Haruspex, Servius ex Hara & specio componit. Hara vero avis est, cui vaticinantes Haruspices intendebant. *Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi Negocii incipere.* Terent. in Phorm.

5 *Exta.*] Præcordia uno nomine in homine dicuntur. *Catan.*

6 *Congruere.*] Eadem significare, ut scilicet liberaretur. *Idem.*

7 *In periculo.*] Qui sunt in aliquo periculo. Unde in morbo nulli statim magis quam medico credimus. *Idem.*

8 *Legatum.*] Hæreditatis partem. Est autem legatum, delibatio quædam hæreditatis, qua testator ex eo quod universum hæredis foret, alicui quid collatum voluit. *Florentinus.* Et brevius, Legatum, est quædam donatio testamento relicta. *Modestinus.*

9 *Per salutem filii pejerasset.*] Perjurium fecisset jurando per salutem filii sui Veraniam convalituram. *Catan.*

gulus non minus ſcelerate quam frequenter, quod iram deorum quos ipſe quotidie fallit, in caput infelicis [1] pueri deteſtatur. [2] Vellejus Blæſus, ille locuples Conſularis noviſſima valetudine conflictabatur, cupiebat mutare teſtamentum. Regulus qui ſperaret aliquid ex [3] novis tabulis, quia nuper [4] captare eum cœperat, medicos hortari, rogare, quoquo modo ſpiritum homini prorogarent. Poſtquam [5] ſignatum eſt teſtamentum, mutat perſonam, vertit allocutionem, iiſdemque medicis *quouſque miſerum cruciatis? quid invidetis* [6] *bonam mortem, cui dare vitam non poteſtis?* Moritur Blæſus: &, tanquam omnia

1 *Pueri.*] Cujus ingenium Martial. epigrammate proſequitur, & Secundus non vituperat lib. IV. ubi illius obitum refert. *Catan.*

2 *Vellejus Blæſus.*] Crediderim hunc eſſe Blæſum, quem idem poëta lib. VIII. nominat, & ſi ſciam Pedium Blæſum Sabinum à Nerone Senatu motum, Cyrenenſibus accuſantibus violatum ab eo theſaurum Æſculapii, delectumque militarem precio & ambitione corruptum, cui poſtea ab Othone locus ſenatorius reſtitutus. Legimus etiam Junium Blæſum Lugdunenſis Galliæ rectorem, genere illuſtrem, largum animo & parem opibus, qui accuſatus apud Vitellium veneno interiit, vir natalium & morum elegantia clarus. Vellejum Paulum Bithyniæ Proconſulem recitat Secundus in Epiſtolis ad Trajanum. *Idem.*

3 *Novis tabulis.*] Extremo teſtamento, nam poſteriora derogant prioribus. Et Secundum JCtum licet homini uſque ad mortem mutare teſtamentum, quia ambulatoria eſt voluntas ejus. Teſtamenti tabulas ex Ulpiano accipere debemus omnem materiæ figuram. ſive igitur tabulæ ſint ligneæ, ſive alterius materiæ, ſive chartæ, ſive corium animalis alicujus, tabulæ recte dicuntur. *Cat.*

4 *Captare.*] Præmiis & donis ſpe majorum aucupari. *Idem.* *Captare.*] Captare eſt per illecebras aliaſve artes aliquid venari, ſeu petere. Exemplum vide apud Florum, lib. IV. cap. II.

5 *Signatum eſt teſtamentum.*] Ulpianus tit. de teſtamentis, ſignatas tabulas accipi docet, ſi & lintheo, quo tabulæ involutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint, & ſingulos teſtes, ſeptem ſecundum Paulum, qui in teſtimonio adhibentur, proprio chirographo annotare convenit, quis & cujus teſtamentum ſignaverit. *Catan.*

6 *Bonam.*] Laudabilem, citam. *Id.* *Bonam mortem.*] Male ii, qui dubitant de hac lectione, oſtentantque bona mortis. Nam & Marillius apud Senec. lib. I. controv. III. *Quid autem habet jam quos Deos roget, quam bonam mortem?* Sic infra lib. III. Epiſt. XVIII. *Poteſtis efficere, ut male moriar: ne moriar, non poteſtis.* Gruterus. *Bonam mortem.*] Bonam mortem εὐθανασίαν, quam optabat Auguſtus, accipio: hoc eſt, *facilem exitum*, vel cum *quis cito & ſine cruciatu defungitur*, ut Græcum illud Suetonius circumſcribit. Ita quoque l. II. Ep. XVI. *Male mori* eſt, difficulter mori. Quod ſatis indicant, quæ mox ſequuntur, *Dixeram vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, ſi vos facilem negaſſetis.* Buchnerus.

1 Scho-

omnia audisset, Regulo ne tantulum quidem. Sufficiunt duæ fabulæ, an [1] scholastica lege tertiam poscis? est unde fiat. [2] Aurelia, ornata fœmina, signatura testamentum, sumpserat pulcherrimas tunicas: Regulus quum venisset ad signandum, *Rogo*, inquit, *has mihi* [3] *leges*. Aurelia ludere hominem putabat, ille serio instabat, nec multa: coëgit mulierem [4] aperire tabulas, ac sibi tunicas, quas erat induta, legare. [5] Observavit scribentem, [6] inspexit an scripsisset. Et Aurelia quidem vivit, ille tamen istud tanquam morituram coëgit. & hic hæreditates, hic legata, quasi mereatur, accipit. [7] ἀλλά τι διατείνομαι in ea civitate, in qua jampridem non minora præmia, immo majora, nequitia & improbitas, quam pudor & virtus habent? Aspice Regulum, qui

1 *Scholastica lege.*] Sunt qui nullo auctore dicant fuisse moris olim scholasticis, ut expositis duabus controversiis tertiam exponendam postularent. Nos secus interpretandum duximus, *Scholastica lege*, id est, more ociosorum, quibus consuetudo fabellis oblectari. & *tertiam* dixit, non respiciens ad ullum antiquum morem, nec ad numerum ternarium, sed perinde ac si diceret aliam: erat enim tertia post secundam. Respexit autem ad significatum verbi: nam σχολαστικὸν ociosum significat & fictum. Quid autem aliud est Scholastica controversia, quam ficta causa? & ab ociosis tractari solita? *Catan.*

2 *Aurelia.*] Duas lego Aurelias per illa tempora, Aureliam Messallinam Clodium Albinum, qui postea imperavit, enixam: alteram Aureliam, divitem & orbam, de qua Juven.

Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.

Posteriorem Secundus intelligit. *Idem.*

3 *Leges.*] Legato mihi relinquas. *Idem.*

4 *Aperire tabulas.*] Si testamentum quod resignaverit testator, iterum signatum fuerit septem testium signis non erit imperfectum: sed utroque jure valebit, tam civili quam Prætorio. *Ulpianus de Testamentis.*

5 *Observavit scribentem.*] Annotavit Aureliam, dum legatum scriberet, ne sicut à Blæso deciperetur. *Catanaus.*

6 *Inspexit.*] An scripsisset. ad quod videtur Martialis mutatis nominibus lib XII. allusisse,

Hæredem tibi me Catulle dicis.
Non credam, nisi legero Catulle.

Idem.

7 Ἀλλά τι διατείνομαι.] Id est, *sed quid extendo*, videlicet, quid plura dicam? *Idem.* Ἀλλά τι, *&c.*] *Sed quid efficere contendo.* Quidam interpr. Quid extendo sermonem, & plura dico, quam opus sit? Sed obstant duo, quo minus ita possimus interpretari: primum, quod ἐκτείνασθαι in hac significatione dicatur, non διατείνασθαι. Deinde, quod non subjungatur: de ea civitate, sed, in ea civitate, cum tamen dicatur ἐκτείνασθαι ὑπέρ τινος, vel περί τινος, id est, de re aliqua. *Stephan.*

qui ex paupere & tenui, ad tantas opes per flagitia processit, ut ipse mihi dixerit quum consuleret, quam cito sestertium sexcenties impleturus esset, invenisse se [1] exta duplicata, quibus portendi millies & ducenties habiturum. Et habebit, si modo, ut cœpit, aliena testamenta, (quod est improbissimum genus falsi) ipsis, quorum sunt illa, [2] dictaverit, *Vale.*

1 *Exta duplicata.*] Dum sacrificaret, invenit geminata exta in hostia, & duo capita habentia, quod erat signum admodum lætum. Hinc Valerius Marcelli sacrificium laudans, scribit, jecur cum duobus capitibus ei apparuisse. Etiam Tranquillus tradit immolanti Augusto omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra apparuisse, & responsum per hæc læta & magna portendi. Legitur etiam *duplicia*. Catan. *Invenisse se exta duplicata.*] Novissimæ aliquot editiones *invenisse sexta duplicata*, pudendo sphalmate. *Gruter.* Boxhornius in lect. variant. notat, quosdam legere *sestertia duplicia.* Sane absque sensu. Conf. cum sana lectione, quam exhibuimus, Fr. Lindenbrog. ad Amm. lib. XXII.

2 *Dictaverit.*] Id est, Testamenta, quæ ad alios jure deberent pervenire, pro suo arbitrio disposuerit *Catanæus.*

C. PLI-



C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

Epist. I. C. PLINIUS SECUNDUS CALVISIO SUO S.

ARGUMENTUM.

Vestricii Spurinnæ & vitam & mores brevibus explicat, spondetque cum primum ad senium pervenerit, se usurum eo vitæ genere.

NESCIO, an ullum jucundius tempus [1] exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui: adeo quidem ut neminem magis in senectute, (si modo senescere datum est) æmulari velim. Nihil est enim illo vitæ genere distinctius. Me autem ut [2] certus syderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum præsertim. Nam juvenes adhuc, con-

1 EXegerim.] Dispensaverim. Exigere tempus, est disponere & transmittere, interdum expellere. ut JC. in proœmio. ff. in Teren. *An exigendæ sint nobis.* Ac Historici, *Post exactos Reges.* Catan.

2 *Certus syderum cursus.*] Ut sol & luna, cæteraque sidera, quæ certa & firma mensura motus suos dispertiuntur. Sidus à Græcis ἄστρον dictum, & pluribus stellis conficitur: pro sole & luna sæpius ponitur non modo apud poëtas, sed & rerum scriptores. Sidus præterea genus morbi, qui partem corporis tactam facit immobilem, ut qui fulmine feriuntur: à quo verbum *sideratus* deduxit Plinius avunculus, & *siderata membra*, ac *siderationem* legimus. *Ids*

confusa quædam & quasi conturbata non indecent: senibus placida omnia & ordinata conveniunt, quibus [1] industria sera, turpis [2] ambitio est. Hanc regulam Spurinna constantissime servat. Quinetiam parva hæc, ([3] parva, si non quotidie fiant) ordine quodam, & velut orbe circumagit. [4] Mane lectulo continetur: [5] hora secunda calceos poscit, ambulat millia passuum tria: nec minus animum quam corpus exercet. Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur: si non, liber legitur: interdum etiam præsentibus amicis: [6] si tamen illi non gravan-

1 *Industria sera.*] Diligentia tarda, ingenium importunum commodissime Seneca exagitatæ mentis concursationem non industriam appellat. *Idem.* *Industria sera.*] Significat, vix posse turpissimæ ambitionis culpam deprecari Senes, si in negotiis, ut viri, maneant; & ex industria, qua in gerendis negotiis opus, quærant laudem. *Buchnerus.*

2 *Ambitio.*] Honorum indecora affectatio in senibus. Nam licet per se vitium sit ambitio, sæpe tamen in juvene causa virtutum fit. *Cat.*

3 *Parva si non quotidie fiant.*] Parva essent per se considerata; sed si continue fiant, magna sunt, instar solis, qui certa mensura semper se circumagit, vitam disponebat Spurinna. *Idem.* *Parva hæc, parva si non.*] Notæ parenthesews lucem aliquam afferent. *Quin etiam, parva hæc (parva, si non quotidie fiant) ordine quodam, &c.* Casaub.

4 *Mane lectulo continetur.*] Meditandi scilicet & commentandi causa: quod & Plinius noster in secessu faciebat, & clausis fenestris. *Mire enim*, ut ipse ait, *silentio & tenebris animus alitur, ab iis, quæ avocant, abductus & liber & sibi relictus.* Locus est Epist. XXXVI. lib. IX. *Buchner.*

5 *Hora secunda.*] Diei naturalis, id est, ab oriente sole ad solis occasum. Quamvis auctoribus Plutarcho, Gellio, Macrobio, Varronem secutis, diem Romani inciperent à sexta noctis hora, Athenienses autem ab occasu, Thusci à meridie, uno cœli circumactu, quo dies verus & nox continetur. Civilis hic appellatus à Censorino in libro de Natali, sicut ille naturalis, ubi pluribus explicatur varia diei apud varias gentes observatio. Rerum scriptores quamplurimum de naturali die loquuntur. Sic Juvenalis,

Ipsa dies pulchro distinguitur ordine rerum,

ut Græcum epigramma conticeam, cui est initium ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται. Paulus de verbor. signific. *Cujuscunque diei major*, inquit, *pars, est horarum septem, primarum diei non supremarum.* per quod designatur diem tantum fuisse XII. horarum. *Cat.*

6 *Si tamen illi non gravantur.*] Neque enim nos tantum, & in quo obsequamur animo nostro; verum & alios, quibuscum agimus, respicere oportet, amicos præcipue; atque cavere ne offendamus aut molesti simus. Quod parum habere pensi aut imperiti ac rustici, aut arrogantis ac superbi est. Ita Alexander Severus, librum in mensa solebat quidem legere, sed non nisi cum privatim, hoc est, inter suos convivaretur, quod Lampridius notat. Contra fecit Sextius, de quo Catullus queritur Epigr. XLI. Sed & Martialis, nescio quem eodem nomine alibi reprehendit. *Buchner.*

1 *Illud*

gravantur. Deinde considet, & liber rursus, aut sermo libro potior, mox vehiculum ascendit: assumit uxorem singularis exempli, vel aliquem amicorum, ut me proxime. Quam pulchrum illud, quam dulce [1] secretum: quantum ibi antiquitatis: quæ facta, quos viros audias, quibus præceptis imbuare. Quamvis ille hoc temperamentum modestiæ suæ indixerit, ne præcipere videatur. Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille, iterum residet, vel se cubiculo ac stylo reddit. Scribit enim, & quidem [2] utraque lingua, [3] lyrica doctissime, mira illis dulcedo, mira suavitas, mira hilaritas, cujus gratiam cumulat sanctitas scribentis. Ubi hora balinei nunciata est (est autem [4] hyeme nona, æstate octava) in sole, si caret vento, ambulat nudus. Deinde [5] movetur pila vehementer & diu. Nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. Lotus accubat, & paulisper cibum differt. Interim audit legentem remissius aliquid & dulcius. Per hoc omne tempus liberum est amicis, vel eadem agere vel alia, si malint. Apponitur cœna non minus nitida quam frugi in argento puro & antiquo. Sunt in usu & [6] Corinthia, vid. p. 169 quibus

1 *Illud secretum.*] Vehiculo eodem cum Spurinna vehi. *Catan.*

2 *Utraque lingua.*] Græca & Latina. Nam cæteræ linguæ credebantur esse barbaræ præter Latinam & Græcam. Et sane si disciplinas in utraque scriptas considerabis, & verborum copiam, harum altera longe reliquas anteibit. *Idem.*

3 *Lyrica.*] Carmina: dicta à lyra, quæ latine fides, cujus concentu lyrica cantabantur, quorum princeps apud Græcos Pindarus, apud nos Horatius. Lyricis aut heroum laudes, aut olympionicarum scribebantur: & amores. *Idem.* *Lyrica.*] Confer de Lyricis & Dithyrambicis, &c. *Turn. adv. l. 1. c. IV.*

4 *Hyeme nona.*] Martialis palæstræ & balineo nonam ascripsit, nulla hyemis & æstatis distinctione. Spartianus in Adriano tradit neminem nisi ægrum lavari in publico passum ante octavam horam. Latius Vitruvius lavandi tempus complexus est, constitutum fuisse referens à meridiano ad vesperum. Hic autem non tam publicum lavandi tempus, quam Spurinnæ consuetum designat Secundus. *Catan.*

5 *Movetur pila.*] Exercetur lusoria pila cujus inventor Pythus. Sequentia monstrant trigonalem intelligendam, in qua sinistra manus plurimum erat adjumento, ex illo disticho:

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice redde pilam.

Idem.

6 *Corinthia.*] Vasa. Postquam Critolaus Corinthiorum dux, dubium an ma-

quibus delectatur, nec afficitur. Frequenter [1] comœdis cœna distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur. [2] Sumit aliquid de nocte & æstate. Nemini hoc longum est, tanta comitate convivium trahitur. Inde illi post septimum & septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer, inde agile & vividùm corpus, [3] solaque ex senectute prudentia. Hanc ego vitam

an manu, certe oratione Legatos Romanos violavit, à Metello fusus prælio est. Mummius Metelli successor urbem ab incolis desertam post alterius ducis Diæti cladem diripuit, deinde delevit. Quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum, incensum atque projectum est, quantas opes & abstulerit & cremaverit hinc scias: quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam preciosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria, quia incendio perustis plurimis statuis atque simulacris æris, auri argentique venæ in commune fluxere, quod à multis assertum Plinius senior supputata temporum ratione falsum probat. Nam ante Corinthi ruinas nobiles in ære fictores esse desierant: hinc Græcorum aliqui in urbis excidio statuarum & picturarum mentionem facientes, reliqua silentio præteriere. obtinuit tamen usus, ut quicquid notabile sive in signis æris, sive in vasis antiquum inveniretur, pro Corinthio haberetur. & notatum legimus Augustum, ut preciosæ suppellectilis, Corinthiorumque percupidum. Pausanias auctor est, æs Corinthium ignitum tingi aqua fontis Corinthi Pirenes, qua temperatura fieri elegans & celebre Corinthium æs, cum tamen ibi non nascatur. *Catan.*

1 *Comœdis.*] Comœdiarum actoribus: quod Persius carpit.

—— Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi quid dia poëmata narrent. Idem.

2 *Sumit.*] Cœna occupat aliquam noctis partim etiam in æstate. Nam in hyeme non erat mirum, cum post nonam inciperet. Hic jure quæri posset, an omnes antiqui semel tantum in die cibum, quam cœnam dixere, sumerent? Satis constat multorum testimonio circa Secundi secula cibum semel capi ab omnibus fere solitum. Unde legimus in cœnarum luxum, non prandii leges promulgatas. Veteres bis in die cibum cepisse Secundus non multo post ostendit, avunculum suum scribens consuevisse cibum interdiu levem & facilem veterum more sumere, mox habita ejusdem cœnæ mentione, Tranquillus asserit Augustum solitum meridianum cibum sumere: sed cœnam fuisse meridianum cibum tradit Pompejus. Lampridius Severum Imperatorem scribit egressum balneas multum lactis & panis sumere solitum: & ova, deinde mulsum, atque his refectum aliquando ad prandia ivisse, aliquando cibum usque ad cœnam distulisse. Vitellium, insuper Tranquillus memorat epulas trifariam semper, quadrifariam interdum dispertire solitum, in jentacula, & prandia, & cœnas, & comessationes. Si vero tanta sumendi cibi varietas olim fuit: mirum non est cum hodie quoque plerique semel tantum, plurimi bis, nonnulli & ter quater in die id faciant. *Idem.*

3 *Solaque ex senectute prudentia.*] Dicit Spurinnam senem nihil senile habere præter prudentiam. Quippe cui post septimum & septuagesimum annum aurium

tam voto & cogitatione præsumo, ingressurus avidissimè, ut primum ratio ætatis [1] receptui canere permiserit. Interim mille laboribus conteror, quorum mihi & solatium, & exemplum est idem Spurinna. Nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, [2] provincias rexit, multoque labore hoc ocium meruit. Igitur eundem mihi cursum, eundem terminum statuo, idque jam nunc apud te subsigno: ut si me longius evehi videris, in jus voces ad hanc epistolam meam, & quiescere jubeas [3] quum inertiæ crimen effugero. *Vale.*

II. C. PLI-

aurium oculorumque vigor integer, agileque & vividum corpus duret, ut paullo ante dixerat. Quæ omnia aut juventutis aut virilitatis sunt; senilem certe ætatem destituere solent. Quæ cum infinita incommoda alias; hoc unum commodum, prudentiam habet. Lege B. Hieronymum, lib. I. Epist. xxx. ad Pammachum Cicero I. Tuscul. cap. xxxix. *Nihil profecto est homini prudentia dulcius: quam, ut cætera auferat, affert certe senectus.* Buchn.

1 *Receptui canere.*] Consulere quieti & recipere me in secessum ab administratione rerum publicarum. translatum est à re militari, cum pugnando, fessis vel interventu noctis, seu alia ratione recipiendi signum tuba datur. *Cat.*

2 *Provincias.*] Transpadanam regionem bello Othoniano: in qua cum in imperio esset, strenue tutatus est Placentiam, postea missus à Trajano in Germaniam adversum Bructeros, populos eos solo terrore domuit. *Idem.*

3 *Quum inertiæ crimen, &c.*] Cum jure non potero accusari inertiæ, quod ideo desistam à causis agendis, cum explevero sexagesimum annum, tunc enim licebat ab officiis vacare. Subsidium enim bellissimum existimabant esse senectuti ocium: quanquam de numero annorum aliqua sit inter auctores varietas. Nam Senec. lib. de Vitæ brevit. tradit Senatorem sexagenarium ab officiis vacare solitum. At in Declamat. Senator post sexagesimum quintum annum in curiam venire non cogitur nec vetatur. Alibi superiori sententiæ convenit: Lex à quinquagesimo anno militem non legit, à sexagesimo Senatorem non citat. Inde Secundus lib. IV. in eundem sensum: *Quando secessus mei non desidiæ nomen, sed tranquillitatis accipiunt, ut ipsæ leges monent, quæ majorem annis sexaginta otio reddunt.* Jurisconsulti tamen Ulpianus & Modestinus septuagesimum annum assignarunt, interdum quinque amplius ut vacationem haberent à tutelis & curationibus, denique à muneribus tantum civilibus. *Idem.*

II. C. PLINIUS GAVIO MAXIMO SUO S.

Gavium Maximum precatur, ut aliquid dignitatis Arriano Maturio inopinanti conferre velit: quod ut libentius faciat, quanta sit cum illo devinctus amicitia brevibus tangit.

QUod ipse amicis tuis obtulissem si mihi eadem materia suppeteret, id nunc jure videor à te meis petiturus. Arrianus Maturius [1] Altinatium est princeps. Cum dico princeps, non de facultatibus loquor, quæ illi large supersunt: sed de castitate, justitia, gravitate, prudentia. Hujus ego consilio in negociis: judicio in studiis utor. Nam plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentia præstat. Amat me (nihil possum ardentius dicere) ut tu. Caret [2] ambitu, ideo se in [3] equestri gradu tenuit cum facile posset ascendere altissimum. Mihi tamen ornandus excolendusque est. Itaque magni æstimo dignitati ejus aliquid [4] adstruere inopinantis, nescientis, immo etiam fortasse nolentis: adstruere autem quod sit splendidum nec molestum: cujus generis quæ prima occasio tibi, conferas in eum rogo. habebis me, habebis ipsum gratissimum debitorem. Quamvis

1 *Altinatium est princeps.*] Primum locum obtinet inter Altinates. Princeps enim generale vocabulum eorum, qui in aliqua facultate excellunt. Altinum oppidum Venetiæ in palude similem Ravenæ situm habens, ab Attila dirutum seu incensum. Ejus lanæ tertium inter Italas locum obtinent ex Martiale:

Velleribus primis Appulia, Parma secundus
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Catan.

2 *Ambitu.*] Honorum cupiditate. *Idem. Ambitu.*] Nam frequens est *Ambitus* pro ambitione. Florus lib. IV. cap. IX. *Nec ille defuit vitiis, quin periret, imo omnia expertus ambitu & luxuria.* Sic ambitus honorum, cum magistratus illicitis mediis, ut pecunia aliisque lenociniis ambiuntur. Hoc sensu est apud eundem *usque ad Ambitum armati Samnites lib.* I. *cap.* XVI.

3 *Equestri gradu.*] Dignitate equestri: cui concessum lege Roscia in quattodecimo theatri gradu sedere. *Catan.*

4 *Astruere.*] Addere. *Idem.* Alias est idem quod affirmare. Sic *periti rerum astruxerunt, &c.* est apud Plin. seniorem lib. XII. cap. XVIII.

vis enim ista non appetat, tam grate tamen excipit, quam si concupiscat. *Vale.*

III. C. PLINIUS CORELLIÆ HISPULLÆ S.

Corellia Hispulla, Corellio & Hispulla genita, adolescentem filium domi erudiebat; Secundus igitur olim Corellio patri amicissimus eam monet jam rhetori excolendum tradere, Julium Genitorem inter cæteros professores unice probans.

CUM patrem tuum, gravissimum & sanctissimum virum, suspexerim magis an amaverim dubitem: teque & in memoriam ejus & [1] in honorem tuum unice diligam: cupiam necesse est, (atque etiam, quantum in me fuerit, enitar) ut filius tuus avo similis existat: equidem malo materno, quanquam illi paternus etiam clarus spectatusque contigerit. Pater quoque & patruus illustri laude conspicui, quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit, quas plurimum refert, à quo potissimum accipiat. Adhuc illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit, præceptores domi habuit, ubi est vel erroribus [2] modica, vel etiam nulla materia. Jam studia ejus extra limen proferenda sunt, jam circumspiciendus rhetor Latinus, cujus scholæ severitas, pudor imprimis, castitas constet. Adest enim adolescenti nostro cum cæteris naturæ fortunæque dotibus, eximia corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis non præceptor modo, sed [3] custos etiam

1 *In honorem tuum.*] Cum te honorem. vel ubi agitur de honore tuo. Alii legunt, quod non improbo, *& in memoriam ejus & honorem tuum unice diligam*, sic enim fit clarior sensus. *Catan.*

2 *Modica vel nulla materia.*] Si boni sint præceptores, aliâs non minor peccandi in secreto, quam inter multitudinem datur, secundum Quintilianum. *Idem.*

3 *Custos etiam rectorque.*] Rhetor, à quo non solum instituatur, sed etiam regatur. Nam intelligere pædagogum, quem Fabius esse voluit amicum, virum gravem, liberum, aut fidelem libertum, sequentia non patiuntur. *Idem.*

4 *Ut*

etiam rectorque quærendus est. Videor ego demonstrare tibi posse Julium Genitorem. Amatur à me, judicio tamen meo non obstat charitas hominis, quæ ex judicio nota est: vir est emendatus & gravis: paulo etiam horridior & durior, [1] ut in hac licentia temporum. Quantum eloquentia valeat pluribus credere potes. Nam dicendi facultas [2] aperta & exposita statim cernitur. Vita hominum [3] altos recessus, magnasque latebras habet, cujus pro Genitore me [4] sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet nisi profuturum: nihil discet quod [5] nescisse rectius fuerit: nec minus sæpe ab illo quam à te meque admonebitur, [6] quibus imaginibus [7] oneretur, quæ [8] nomina & quanta sustineat. Proinde, faventibus diis, trade eum præceptori, à quo

1 *Ut in hac licentia temporum.*] Respectu nostrorum temporum, quibus magna utimur licentia. Nam si respicimus antiqua, non horridus haberi potest. *Catan.*

2 *Aperta.*] Facilis cognitu, prompta. Nam vitandus à puero præceptor aridus, ne fiat humilis & veluti terram spectans. *Idem.* *Aperta.*] Apertum etiam pro claro sumi posset hoc loco. Quintilian. lib. II. cap. III. *Jam pene apertis, ut ajunt, tibiis.* Hoc est, ut suspicor, jam clarissima voce. *Turneb. advers. lib.* IV. *cap.* X.

3 *Altos recessus.*] Maxima secreta & abdita involucra, ut non statim dignosci possit. Videtur sumptum à M. Tullio pro Marcello, *In animis hominum tantas latebras & tantos recessus esse.* Ratio ex I. ad Brutum ep. Est enim periculosum propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum. Idem ad Q. fratrem, *Multis involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura.* Catan.

4 *Sponsorem.*] Fidejussorem, nihil nisi virtuti congruum te in homine deprehensurum. *Idem.*

5 *Nescisse.*] Et in moribus & literis. at potius moribus. Nam si quidem studiis scholas prodesse, moribus autem nocere constaret: potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime discendi videretur. *Idem.*

6 *Quibus imaginibus.*] Præclaris majoribus: quorum imagines juxta atrium super tabulino collocabat antiquitas, & in funere gentilitio efferebantur, ut posteri exemplo incitarentur, & majorum nobilitas ostentaretur. Quare Sallustius arguens Marium ignobilem fuisse, refert sine majorum imaginibus, & pariter Tranquillus gentem Flaviam. *Idem.*

7 *Oneretur.*] Nisi fuerit illis similis: majus enim dedecus inuritur nobilium filiis degeneribus, quam obscuro loco natis. *Idem.*

8 *Nomina.*] Majorum illustria. Jurisc. frequentius pro debitoribus usurpant. *Idem.* *Nomina.*] Est & ubi pro causa accipitur. Cic. de Amicitia: *Ab amicitia Q. Pompeji meo nomine se removerat.* Sic: *Odisse etiam suo nomine Cæsarem & Romanos.* J. Cæsar.

à quo mores primum, mox eloquentiam discat: quæ male sine moribus discitur. *Vale.*

IV. C. PLINIUS MACRINO SUO S.

Macrino exponit causas, quibus advocationem pro Bæticis contra Cæcilium Claßicum sumpsisset: & post factum consulit, an recte fecerit.

QUamvis & amici quos præsentes habebam, & sermones hominum factum meum comprobasse videantur, magni tamen æstimo scire quid sentias tu. Nam cujus [1] integra re consilium exquirere optassem, hujus etiam peracta judicium nosse mire concupisco. Cum [2] publicum opus mea pecunia inchoaturus in Thuscos excurrissem, [3] accepto, [4] ut Præfectus ærarii, commeatu, legati provinciæ Bæticæ questuri de [5] Proconsulatu [6] Cæcilii Classici, advocatum me à Senatu petierunt.

1 *Integra re.*] Antequam advocationem aggrederer. *Catan.*

2 *Publicum opus.*] Templum in Tufernio Tiberino, id quod rus possedit Secundus. Meminit ædificationis & dedicationis illius lib. IV. *Idem.*

3 *Accepto commeatu.*] Impetrata profectione. Commeatus enim & discessum ab officio & annonam significat. *Idem.* Confer hîc Claris. Gronov. not. in Sen. lib III. de ira cap. XXI.

4 *Ut præfectus ærarii.*] Ut qui tunc eram Præfectus ærarii, ideo fuit discessus ab urbe impetrandus à Cæsare. Præfectus generale vocabulum est, nam & legionum, alarum, cohortium, urbis, ærarii, castrorum, fabrorum, prætorii, annonæ, vigilum præfecti jure dicuntur, & Præfectos pro Prætoribus constitutos, qui res urbanas tractarent, legimus. Præfectus autem ærarii publicas pecunias curabat: proscriptorum damnatorumque bona in ærarium redigebat: denique omnia vectigalia reipubl. spectantia. Hinc Apulejus dixit, Quæstores vectigalium habebant. Nam hi prius curam ærarii habebant, à quibus Augustus ad Prætorios, Prætoresve transmisit. postea translata fuit ad Præfectos. *Cat.*

5 *Proconsulatu.*] Quantum ex M. Tullio & Livio colligimus, constitutum erat, ut qui priore anno Consul fuisset, sequenti Proconsul esset, qui provinciam sortitus pari Consulibus imperio in eam mittebatur. Ulpianus insuper. ff. primo. Proconsul ubique quidem proconsularia insignia habet statim atque urbem egressus est: potestatem autem non exercet, nisi in provincia quæ ei decreta est. Sed Martianus hoc latius tractat: postquam urbem egressi sunt Proconsules, jurisdictionem habent non contentiosam, sed voluntariam, ut ecce manumitti apud eos possint tam liberi quam servi & adoptiones fieri. *Idem.*

6 *Cæcilii Claßici.*] Hic aperte malus Proconsulatum in Bætica non minus violenter, quam sordide gesserat eo anno,

runt. Collegæ optimi, meique amantissimi de communis officii necessitatibus prælocuti, excusare me & eximere tentarunt. Factum est Senatusconsultum perquam honorificum, *ut daret provincialibus patronus, si* [1] *ab ipso me impetrassent*. Legati rursus inducti, iterum me jam præsentem advocatum postulaverunt, implorantes fidem meam quam essent contra [2] Massam Bæbium experti, allegantes [3] patrocinii fœdus. Secuta est Senatus clarissima assensio, quæ solet [4] decreta præcurrere. Tum ego, *Desino*, inquam, [5] *Patres Conscripti, putare me justas excusationis causas attulisse*. Placuit & modestia sermonis & ratio. Compulit autem me ad hoc consilium, non solum con-

anno, quo in Africa Marius Priscus. Erat autem Priscus ex Bætica, ex Africa Classicus, in quem cum tota provincia incubuisset, ille accusationem morte prævenit, Bætica autem in accusatione perstabat. Classici Tacitus & Martialis meminere. *Catan.*

1 *Ab ipso me.*] A me ipso, id est si hoc me exorassent. *Idem.*

2 *Massam Bæbium.*] Senatus Bæticis jam dederat Secundum & Senecionem advocatos tamen Bæbium Massam adhuc vivo Domitiano: quare damnatus Massa & bona ejus publice custodita. Nam & Tacitus in vita Agricolæ reum fuisse tradit: Juvenalis delatorem, Martialis furem scripsere. Satis constat per hunc interfectum Pisonem: nam è procuratoribus Africæ jam tum optimo cuique exitiosus, & in causas malorum, quæ sub Domitiano viri boni perpessi sunt, sæpius interfuit. *Idem.*

3 *Patrocinii fœdus.*] Advocationis vinculum ex longa consuetudine. Multis enim officiis, & laboribus, periculis etiam, eam provinciam devinxerat. an quia se in omnibus fore illius provinciæ patronum promiserat? *Idem.*

4 *Decreta præcurrere.*] Qualis consensus solet fieri, cum aliquid Senatores decernunt. Decernere est de magnis rebus certam proferre sententiam, unde Senatus decretum. Fabius, Consulta Senatus, decreta principum & magistratuum esse voluit. Tranquillus frequentius monstrat decretum esse partem Senatusconsulti & speciem, genus autem Senatusconsultum. *Idem.*

5 *Patres conscripti.*] Seu Senatores, quos Romulus Patres appellavit, sive quod alios ætate præcederent, sive quod filii eis essent, sive ob similitudinem curæ, sive ob nobilitatem, quod poterant suos patres ostendere, sive propter hæc omnia. auctores sunt Livius, Eutropius, Dionysius, & alii. Tranquill. in Aug. indicat potuisse fieri, ut aliquis Patricius fuisset & non Senator. & Tacitus, ut aliquis Senator, & non Patricius. Traditum fertur, ut in Senatum vocarentur, qui Patres, quique conscripti essent, conscriptos videlicet novum Senatum appellantes, ut per patres majorum familias, quos Romulus Senatores creaverat, intelligeremus: per conscriptos, minorum gentium Senatores. Festus simpliciter conscriptos refert, qui in Senatu essent scriptis annotati, allectos postea, qui propter inopiam Senatorum ex Equestri ordine in Senatum assumpti sunt. *Idem.*

1 Virum

consensus Senatus (quanquam hic maxime) [1] verum & alii quidam minores, sed tamen numeri. Veniebat in mentem [2] priores nostros etiam singulorum hospitum injurias accusationibus [3] voluntariis executos, quo deformius arbitrabar publici hospitii jura negligere. Præterea cum recordarer, quanta pro iisdem Bœticis priore advocatione [4] etiam pericula subiissem, conservandum veteris officii meritum novo videbatur. [5] Est enim ita comparatum, [6] ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpe obligati, si quid unum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est. Ducebar etiam, quod [7] decesserat Classicus, amotumque erat quod in ejusmodi causis solet esse tristissimum, periculum Senatoris. Videbam ergo advocationi meæ non minorem gratiam, quam si viveret ille propositam, invidiam nullam. In summa, computabam, si munere hoc, [8] jam tertio fungerer, faciliorem mihi excusationem fore, si quis incidisset quem non deberem

1 *Verum & alii quidam minores, sed tamen numeri.*] Legerim, vel sic, *alii minores quidem, sed tamen numeri.* Vel ita potius, *alia minoris quidem, sed tamen numeri.* Hoc est, alia quæ minoris quidem erant ponderis, quam auctoritas Senatus, alicujus tamen erant apud me momenti. Ea quæ fuerint, ipse subjicit. Similiter loquitur Epist. XI. *in hoc uno, honesto quidem, sed tamen errore versatur*, & alibi. *Casaub.* *Quidam minores, &c.*] Haud aliter Palat. aut ed. vetus. Nupere cusi, *quidem minoris.* Gruter.

2 *Priores nostros.*] Oratores veteres, ut fecit Tull. Vide lib. I. in Verrem. *Catan.*

3 *Voluntariis.*] Non rogantibus hospitibus, quibus erat illata injuria. *Idem.*

4 *Etiam pericula.*] Cum Senecionem Massa impietatis reum postulasset, Secundus advocationis particeps, ne prævaricator crederetur, interrogavit Massam cur etiam non postulasset se reum impietatis, ausus malis temporibus esse vir bonus? *Idem.*

5 *Est enim ita comparatum.*] Modius contendit (Epist. 107.) restituendum fide MS. Neustetteri: *Est enim ita natura comparatum, &c.* sed lectio prior constanter in Pal. & vetuste impressis. *Gruterus.*

6 *Ut antiquiora beneficia subvertas.*] Hoc est, quod ille apud Plautum monet Trinummo act. II. Sc. II.

Beneficia benefactis aliis pertegito ne perpluant.

Buchner.

7 *Decesserat Classicus.*] Forte, an voluntaria morte incertum, suspectam voluisse infamiam obitu fugere. *Cat.*

8 *Jam tertio.*] Nam contra Massam pro Bæticis jam bis adfuerat. Idem lib. VI. memorat ter pro illis egisse. *Idem.*

berem accusare. Nam cum est omnium officiorum finis aliquis, [1] tum optime libertati venia obsequio præparatur. Audisti consilii mei motus, superest alterutra ex parte judicium tuum. In quo mihi æque jucunda erit simplicitas dissentientis, quam comprobantis auctoritas. *Vale.*

V. C. PLINIUS [2] MACRO SUO S.

Macer, librorum Plinii senioris studiosus, requisierat quot edidisset. omnes enim cupiebat habere: cui Secundus non solum numerum & ordinem recenset, verumetiam diligentiam illius circa studia, quum alioquin esset occupatissimus, repræsentat.

PErgratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis, quærasque, qui sint omnes. Fungar [3] indicis partibus: atque etiam quo sint ordine scripti, notum tibi faciam. Est enim hæc quoque studiosis non injucunda cognitio. De [4] jacula-

1 *Tum optime.*] Tum maxime veniam consequi meremur, ut liberi simus, si multa beneficia præcesserint. *Catan.*

2 *Macro Suo.*] Marcos plures multorum testimonio per illa tempora fuisse lego, incertum tamen, ad quem sit scripta epistola. Antoninum suspicari licet: quædam vero exemplaria Macrum habent, quem Secundus alibi testatur fuisse Consulem designatum. Philostratus insuper Marcum Declamatorem Bizantium ab Adriano dilectum scripsit. *Idem.* *Macro suo.*] Sic habent diserte etiam Pal. neque ferri sane debebat prius vulg. *Marco suo*, inscribitur enim Epistolæ addito nomine familiæ aut cognomine, maxime pronomine. *Gruterus.*

3 *Indicis.*] Tabulæ, quæ præponitur libris, ut & numerum & ordinem, tam librorum quam rerum, per capita indicet. An magis inscriptio intelligenda, qua unusquisque summatim liber demonstratur? Nam & Martialem comperio pro inscriptione usum. Est præterea, qui alicujus facinoris particeps conjurationem detegit: & digitus post pollicem primus. *Idem.*

4 *Jaculatione equestri.*] Quomodo quis utatur jaculo in equo adversus hostem. Hujus libri octavo suarum histor. idem meminit, in quo etiam videtur scripsisse de generositate equorum. Ferentarii equites ii dicuntur, qui eminus solent dimicare, quorum alii jaculis, alii arcu utuntur, jaculantur: quos Tarentinos vocamus. arcu utuntur, qui equites sagittarii, & à nonnullis Scythæ vocantur. Tarentinorum duo sunt genera. Nam alii longius ejaculantur, & ob eam rem equites jaculatores dicuntur, & Tarentini speciali vocabulo. alii cum semel aut bis jaculum miserint (quo leviori utuntur) manus de cætero cum adversatio con-

culatione equestri unus, hunc, cum præfectus [1] alæ militaret, pari ingenio curaque composuit. De vita [2] Pomponii Secundi duo, à quo singulariter amatus, hoc memoriæ amici quasi debitum munus exsolvit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia, quæ cum Germanis gessimus bella, collegit: Inchoavit, cum in Germania militaret, somnio monitus. Adstitit enim ei quiescenti [3] Drusi Neronis effigies, qui Germaniæ latis-

rio conserunt & comminus pugnare incipiunt. *Ælianus.*

1 *Alæ.*] Equitum, quod ad similitudinem alarum protegant acies ab utraque parte, Vegetio, Modesto, & Servio tradentibus. *Catan.*

2 *Pomponii Secundi.*] Tacitus hunc Publium, interdum Lucium vocat. ita varie, ut mendose apud Fabium legitur fuisse controversiam inter Pompejum & Senecam, an gradus eliminat, in tragœdia dici opportuisset: pro inter Pomponium & Senecam. Fuit enim in tragœdia omnium, quos Quintilianus vidisset, longe princeps: quem senes eruditione, ac nitore Pindarum tragicum putabant. Si quid forte in tragœdiis familiarior amicus tolleret, quod ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat, ad populum provoco: ita ex populi vel silentio vel applausu, aut amici aut suam sententiam sequebatur, vir sane dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ, quamvis diverso scribendi genere, Afro Domitio comparandus. Nam cum Saturnillo, quibus Consulibus Cajus trucidatur, Collega fuit: & in Germania superiore devictis Cattis triumphalia ornamenta ex decreto Senatus est adeptus. modica fama ejus apud posteros, in quîs carminum gloria præcelluit. Hujus igitur vitam conscripsisse, & cœnam, quam ille C. Cæsari Germanici filio dederat, lib. XIV. Plinius senior asserit: seque vidisse Tiberii Cajique Gracchorum literarum manus monumenta, quæ apud eundem vatem civemque clarissimum servabantur, quem libro VII. testatur nunquam ructasse. *Id.*

De vita Pomponii.] Horum librorum, & quos de bellis Germanicis condidit, respectu, noster infra lib. V. Ep. VIII. *Avunculus*, scribit, *meus, idemque per adoptionem pater, historias & quidem religiosissime scripsit.* Operis Pliniani de bellis Germanicis meminit etiam Symmachus lib. III. Epist. XVIII. De utroque auctor ipse testatur Hist. Nat. libris. *Buchner.*

3 *Drusi Neronis.*] Hic in Quæsturæ Præturæque honore dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit, trans Rhenum fossas novi & immensi operis effecit, quæ Drusinæ vocatæ sunt: hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species Barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere ultra sermone Latino prohibuisset, Quo festinas Druse non contentus rebus à te gestis? non tibi omnia dii dederunt intueri, quare abi: nam & gestorum tuorum, & vitæ jam tibi finis adest. Ovandi jus & triumphalia ornamenta percipiens, ac post Præturam confestim inito Consulatu, atque expeditione repetita supremum diem morbo obiit in æstivis castris, quę ex eo appellata sunt scelerata. Nonnulli putant veneno interemptum, Augusto consentiente. Qui Livii epi-

[1] latiſſime victor ibi periit: commendabat memoriam ſuam, orabatque, ut ſe ab injuria oblivionis aſſereret. [2] Studioſi tres, in ſex volumina propter amplitudinem diviſi: quibus oratorem ab incunabulis inſtituit, & perfecit. [3] Dubii ſermonis octo ſcripſit ſub Nerone noviſſimis annis, cum omne ſtudiorum genus paulo liberius & erectius periculoſum [4] ſervitus feciſſet. [5] A fine Aufidii

tomen fecit, contra cæterorum opinionem, fractura, equo ſuper crus ejus collapſo, mortuum tradit, trigeſimo die quam id acciderat. *Catan.*

1 *Latiſſime victor.*] Ad Albin uſque fluvium domuit Germanos. Illius geſta Strabo & Livii abbreviatores enumerant: ſed longe plura Ovidius, Liviam matrem longo carmine ſolando proſecutus. *Idem.*

2 *Studioſi tres.*] Libri tres, quos ſtudioſos vocavit, quod iis maximum ſtudium impenderat, & lectores non minus adhibere deberent. *Catanæus.* *Studioſi tres.*] Quem *Studioſum* hic dixerit, ex ſequentibus, conſtat. *Studere* ætate illa κατ' ἐξοχὴν dicebantur, qui eloquentiæ attendebant, de quo in Gloſſario erit dicendum. Horum librorum reſpectu Plinium inter Oratoriæ artis auctores nominat Quintilianus lib. III. cap. I. ſub fin. *Buchn.*

3 *Dubii ſermonis.*] De Grammatica, in quo eſſet loquendi ambiguitas. Diomedes & Priſcianus in hoc opere Plinium interdum citant. Ipſe præterea in præfatione Naturalis hiſtoriæ ſuum recognoſcit. Nam de Grammaticis, inquit, ſemper expectavi parturiri adverſus libellos, quos de Grammatica edidi: quorum fragmenta noſtro ſeculo Joannes Tortellius aſſerit ad manus ſuas perveniſſe. *Catan.* *Dubii ſermonis.*] Cujuſmodi generis hi libri fuerint eruditiſſimus Voſſius, contra illos, qui ad figuratum ſermonem (ἐσχηματισμένον Græci vocant, cum aliud dicimus, aliud arguimus, quod aperte ponere tutum haud erat) retulerunt, l. V. Inſtit. Orat. cap. VI. Membro VII. docuit præclare. Nec aliter Catanæus accepit, qui procul dubio ei explicationis hujus auctor fuit. Ad ἐσχηματισμένον λόγον. Illuſtris Heinſius hos libros refert Laude Aſini p. LXXXIX. ubi plura habes de hoc ambigui ſermonis genere. Et operæ pretium erit videre. *Buchner.*

4 *Servitus.*] Tyrannis. *Catan.*

5 *A fine Aufidii Baſſi.*] Non à morte Aufidii Baſſi, ſed à fine hiſtoriarum ejus. Nam & ipſe hiſtorias compoſuit, egregie utique in libris belli Germanici præſtitit. Extant adhuc quædam illius verba de morte Ciceronis. Vir fuit optimus, ſed infirmi & exhauſti corporis, in quem ſenectus maximo pondere incubuit: verum eam alacri animo, quoad defecit, ſuſtinuit. Illum Seneca vidiſſe teſtatur, & conſtantiam ejus epiſtola commendat. *Id.* *A fine Aufidii Baſſi.*] Aufidius Baſſus Hiſtorias ſuorum temporum, ut videtur, ſcripſerat. Is itaque, ubi deſierat, inde Hiſtoriam ejuſdem generis cœpit Plinius, & XXXI. libris abſolvit. Ipſe Præfatione Hiſtoriæ Naturalis: *Nos quidem, omnes, patrem, te, fratremque diximus opere juſto, temporum noſtrorum Hiſtoriam orſi à fine Aufidii Baſſi.* Scribit hoc Plinius ad Titum Veſpaſiani filium, Imperatorem. Aufidius autem Baſſus ſub Auguſto ac Tiberio fuit, æqualis M. Senecæ Rhetoris. *Buchnerus.* Hiſtoriam hanc Tacitus & Sueton. interdum citant.

Aufidii Bassi triginta unus. [1] Naturæ historiarum triginta septem, opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsa natura. Miraris quod tot volumina, multaque in his tam scrupulosa, homo [2] occupatus absolverit: magis miraberis, si scieris, illum aliquandiu causas actitasse, decessisse anno sexto & quinquagesimo, medium tempus [3] distentum impeditumque, qua officiis maximis, qua [4] amicitia principum, [5] egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. [6] Lucubrare [7] à Vulcanalibus incipiebat, non [8] auspicandi

1 *Naturæ historiarum,*] De naturali historia, quo uno opere Græcos eruditione vincimus. Ibi enim omnem naturæ vim & potentiam explicat, quo si latinitas careret, non à fonte perenni, sed à rivulis sæpe deficientibus rerum cognitionem hauriret. *Catan.*

2 *Occupatus.*] Officiis distentus. Nam procurationes, auctore Tranquillo, splendidissimas atque continuas summa integritate administravit, & tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in ocio scripserit. *Idem.*

3 *Distentum.*] Occupatum, *districtum*, ut in quibusdam legitur. *Idem.* *Distentum.*] *Districtum* habet Palatinus, editio vero vetus *distentum.* Grut.

4 *Amicitia principum.*] Vespasiani præsertim & Titi, quod ipse alibi confitetur. *Catan.*

5 *Egisse.*] Novissimæ editiones adjecerunt vocem *pernoscitur*, quæ ne quidem in Aldina comparet. *Grut.*

6 *Lucubrare.*] Studere. Nam lucubratio est studium nocturnum non solum circa literas, sed etiam alias res. Vide Fab. Apul. Columel. &c. Sic Tranquillus *lucubratoriam lecticulam* appellat, in qua lucubrare solebat Augustus. *Cat.*

7 *A Vulcanalibus.*] Festis Vulcano dicatis. Ridicula illorum interpretatio, qui accipiunt tempora nocturna, quibus surgunt fabri ad opus antelucanum. De mense Augusti fuisse Vulcanaliorum diem auctoritate Plinii & Columellæ comprobatur. Et quidem reperio, Vulcanalia fieri ad decimum Calend. Septemb. cui sententiæ accedit fragmentum vetustissimi Calend. Romæ repertum. Sic enim incisum fuit in mense August. c. x. VOLCAN. NP. VOLCANO. IN CIRCO FLAM. Nam P. Victor ædem Vulcani in Circo Flaminio nona Urbis regione locat. Postridie Vulcanalia mundum patere tradit Festus. Nec me fugit insuper Vulcani lustra fieri solita circa XI. Cal. Junias, Ovidio in Fastis referente: quem si totum haberemus, non profecto elaboravissemus in Vulcanaliorum die inquirendo. Solitos autem fuisse veteres in fine autumni, quod etiam nunc in publicis gymnasiis observatur, lucubrationem antelucanam incipere, testatur Juven.

—— at nune
Post finem autumni media de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat, accipe ceras,
Scribe puer, &c. ——

Catanæus.

8 *Auspicandi.*] Non auspicii capiendi. Mos erat ante diluculum luminibus & lychnis apertis auspicia capere, vid. Plutarch. in Quæstionib. & Valerius Max. Et Metellum Pont. Max. vetuisse post Augustum inaugurare,

candi causa, sed studendi, [1] statim à nocte multa: hyeme vero ab hora septima. Vel cum tardissime octava, sæpe sexta. Erat sane [2] somni parcissimi: nonnunquam etiam inter studia instantis & [3] deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem. Nam ille quoque noctibus utebatur: [4] inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe ([5] quem interdiu levem & facilem, veterum more, sumebat) æstate, si quid otii, jacebat in sole, liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Nihil enim unquam legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, *Nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset.* Post solem plerunque [6] frigida lavabatur, deinde [7] gustabat, dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tem-

rare, Gellius Varronis auctoritate nixus tradit. Nam magistratus, quando una die eis auspicandum erat, & super auspicato agendum, post mediam noctem auspicabantur: & post meridiem sole magno. *Catan.*

1 *Statim.*] A Vulcanalibus, sic ordinandum. Sequenti die post Vulcanalia. Est alia lectio, quæ legit *æstate*, tanquam si annum in duo divideret tantum, in æstatem & hyemem: ac priorem autumni partem & veris posteriorem pro æstate intelligeret. Nam sequitur, *hyeme vero*. Et ipse Secundus libro VIII. ubi quomodo studeat, scribit, annum tamen in æstatem & hyemem partitur. *Idem.*

2 *Somni parcissimi.*] Tantum enim dormiebat, quantum ad tuendam valetudinem satis erat. unde in præfatione inquit, Cum somno valetudinem computamus. *Idem. Parcissimi.*] Palat. habet *paratissimi*. Sed alterum restat in editione antiquissima. *Grut.*

3 *Deserentis.*] Abeuntis ipso tractu, & resistentis. Alii legunt *deferentis*, ut statim dormiret, & inter studendum caput demitteret. An potius *differentis*, quod esset somni dominus, ut cum dormire vellet, & somno instante illum differret? *Catan.*

4 *Inde ad delegatum.*] Loci interpunctio est à me. Nam vulgati fere: *inde ad delegatum sibi officium reversus domum, quod reliq. &c.* Inepte: Domum redibat demum curato jam munere publico. *Gruter.*

5 *Quem interdiu.*] Puto post vocem *æstate* demum finiendam esse parenthesin. *Casaub.*

6 *Frigida.*] Aqua, quam antiquos gustare consuevisse Athenæus testatur. Convenit Cæcilianæ brevitati, ut frigida tantum legatur; more antiquorum. Nam in Mustellaria dixit Plautus: *Frigida non lavi.* Et Columella greges armentorum frigida lavari jussit. *Idem. Frigida.*] Non puto Plinium frigidam gustasse, ut putat hic Catanæus, sed prout hæc distincte ponuntur, ita distincte quid significare, prius *frigida lavabatur*, post *gustavit*, nempe cibum sumsit, quod jam sequitur.

7 *Gustabat.*] Id est, jentabat. *Gustum*

tempus: super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, quum lector quædam [1] perperam pronunciasset, revocasse, & repeti coëgisse, huic avunculum meum dixisse, *Intellexeras nempe?* quum ille annuisset. *Cur ergo revocabas? decem amplius* [2] *versus hac tua* [3] *interpellatione perdidimus.* Tanta erat parsimonia temporis. [4] Surgebat æstate à cœna, luce: hyeme, intra primam noctis, & [5] tanquam aliqua lege cogente. Hæc inter medios labores, urbisque fremitum: secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Cum dico balinei, de [6] interioribus loquor. Nam dum [7] distringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere, quasi solutus cæteris curis, huic uni vacabat, ad latus [8] notarius cum libro & pu-

stum enim & *gustationem* pro jentaculo dicebant. Glossarium vetus: *gustus*, γεῦμα, γεῦσμα. *gustare*, *βεχχίζειν*. gustarium, *βεχχισμα*. Fulgentius: *Jentaculum*, *gustatio*. Vide ex Galeni tract. sec. *Salmas. in Fl. Vopiscum p. m.* 419.

1 *Perperam.*] Male. Vocabulum historicorum, quod Livius interdum usurpat, Hirtius tamen aut Oppius non usquequaque in eundem sensum. *Idem.*

2 *Versus.*] An quia liber ille metro constabat? an, quod magis probo, ordines verborum, quas vulgo lineas vocamus? Fabius, *Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur.* Secundus lib. IV. *Non paginas tantum epistolæ, sed etiam versus syllabasque numero.* Idem.

3 *Interpellatione.*] Interruptione. Interpellare est secundum Asconium mediam alterius orationem interrumpere. M. Tullius, *In studiis sine interpellatore versor.* Interdum ad alia transfertur, ut apud Livium, *morte alterius Censoris religionem interpellatam legimus.* Idem.

4 *Surgebat.*] Ordo est: æstate surgebat à cœna luce, id est æstatis tempore finem cœnæ suæ faciebat adhuc lucente die: at hyeme intra primam noctis horam cœnam terminabat. *Idem.*

5 *Tanquam aliqua, &c.*] Sic distingue. Romani plerique omnes partem anni in urbe degebant, partem in secessu. Dixit de vita urbana: subjicit statim de ratione vitæ in secessu. *Casaubonus. Tanquam aliqua, &c.*] Hæc distinctio est à Palat. editi recens, *lege cogente hac inter, &c.* Gruter.

6 *Interioribus.*] Locis balinei secretioribus, ut de thermis, baptisterio, piscina frigidaria & caldaria. *Catan.*

7 *Distringitur.*] Strigilibus raditur. Consuevere antiqui ad sudorem excitandum strigilibus radi leviter. Erat autem strigilis instar ejus, qua equi strigilantur, sed minor & levior. Unde Apulejus strigileculam nominavit. Et strigilibus aureis usos Græcorum quosdam tradit Athenæus. Nam fricatio si vehemens sit, corpus durat: si lenis, mollit: si multa, minuit, si modica, implet. In hac Asclepiades maximam partem voluminis, cui titulus communium auxiliorum, consumpsit. *Idem.*

8 *Notarius.*] Qui notis quibusdam brevibus

& pugillaribus, cujus manus hyeme [1] manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet: qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo cur ambularem, *Poteras*, inquit, *has horas non perdere.* Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorumque [2] commentarios centum sexaginta mihi reliquit, [3] opistographos quidem & minutissime scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse potuisse se, cum [4] procuraret in Hispania, vendere hos commentarios Lartio Licinio, quadringentis millibus nummum: & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur

brevibus citissime notabat, quæ Plinius dictasset. De hoc Martialis,

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Hujus inventi exordium Plutarchus Ciceroni ascribit. Tranquillus & Seneca hos actuarios appellant, quod in acta referrent actiones, quæ dicebantur in Senatu, & ad populum. Longo tempore post dicti sunt notarii, quibus publica cura stipulandorum instrumentorum ab Imperatore commissa fuit. *Catan.*

1 *Manicis.*] Tegumentis manuum contra frigus. Fiunt interdum manicæ ferreæ, quibus utuntur milites in bello ad tutelam manuum. Harum mentionem facit Juvenalis,

Balteus & manicæ. —— Idem.

2 *Commentarios.*] Commentarii sunt non eloquentiæ causa scripti, sed memoriæ summam rerum complectentes, & id præcipue agentes, ut si quis eloquens vellet majorum gesta referre, materiam ex commentariis eloquii ministris haberet: unde multos Imperatorum legimus commentarios rerum suarum reliquisse. *Idem.*

3 *Opistographos.*] In tergo scriptos. ὄπισθεν enim *post*, γραφὴ *scriptura.* Fuit enim moris antiqui tantum in anteriore pagina scribere, quod Martialis quoque monstrat de suo libro. Et Juvenalis longissimam tragœdiam taxans in prima Satyra notat, Et in tergo nec dum finitus Orestes. (Lucianus in vitis philosophorum, Plena, inquit, sit pera lupinis, & libris opistographis.) Sic Acro opistographas epistolas appellat. Et Ulpianus de bonorum possessione secundum tabulas: chartæ appellatio etiam ad novam chartam refertur, & ad deletitiam. Proinde si in opistographo quis testatus sit, hinc peti potest bonorum possessio. Opisthonomos boves in Libia dici à quibusdam testatur Athenæus, quod retroeuntes pascuntur. *Idem.*

4 *Procuraret.*] Procurator Cæsaris esset, cujus acta gestaque sic comprobabantur, acsi à Cæsare gesta essent. Procuratoris officium est, rationes omnium redditum, qui ad Cæsarem spectarent, procurare diligenter cum facultate defendendi, & acquirendi, non alienandi & distrahendi. *Idem.* *Procurare* in Haruspicina, vide apud Gell. lib. IV. cap. 5.

5 Nu

videtur tibi recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitia principum fuisse? rursus quum audis, quid studiis laboris impenderit, [1] nec scripsisse satis nec legisse. Quid est enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere cum me quidam studiosum vocant: qui si comparer illi, sum desidiosissimus. [2] Ego autem tantum? quem partim publica, partim amicorum officia distringunt. Quin ex istis, qui tota vita literis adsident, collatus illi, non quasi somno & inertiæ deditus erubescat? Extendi epistolam, quamvis hoc solum quod requirebas scribere destinassem, quos libros reliquisset. Confido tamen, hæc quoque tibi non minus grata, quam ipsos libros futura, quæ te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum possunt *æmulationis stimulis excitare*. Vale.

VI. C. PLINIUS SEVERO SUO S.

Severum rogat, ut signum æreum Comi in templo Jovis ponendum procuret, basimque cum suo & honorum nomine incidendam: se brevi in patriam venturum promittens.

EX hæreditate quæ mihi obvenit, emi proxime [3] Corinthium signum: modicum quidem, sed festivum & [4] expressum, quantum ego sapio: qui fortassis in omni re,

1 *Nec scripsisse satis.*] Respectu studii intentissimi. *Catan.* Hoc *instantiam* vocat ipse, id est, intentionem.

2 *Ego autem.*] Sum desidiosissimus in comparationem illius, sed aliorum non, cum sim occupatus publicis & privatis officiis. *Catan.* *Ego autem tantum? &c.*] Interrogationis nota sola à me est. Verba & literæ Palatini & editionum veterum. Invexerant enim Novatores isti: *Ego autem tantum quantum partim publica, partim amicorum officia non distringunt, tantum vaco. Quis, &c.* Lectio sine ullo sensu; certe diversa à mente auctoris, quæ jam omnibus patet. *Gruterus.*

3 *Corinthium signum.*] Statuam ex ære Corinthio olim in maximo precio, ut Verres potius voluerit exulare, quam Corinthia tradere Antonino. *Catan.*

4 *Expressum.*] Faberrime signatum & excussum ad archetypum. *Idem.*

re, in hac certe perquam exiguum ſapio. Hoc tamen ſignum ego quoque intelligo. Eſt enim nudum, nec aut vitia, ſi qua ſunt, celat: aut laudes parum oſtentat. Effingit ſenem ſtantem: oſſa, muſculi, nervi, venæ, rugæ etiam [1] ut ſpirantis apparent: rari & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, [2] exile collum: pendent lacerti, papillæ jacent, receſſit venter. [3] A tergo quoque eadem ætas, [4] ut à tergo, æs ipſum, [5] quantum verus color indicat, vetus & antiquum. Talia denique omnia, ut poſſint artificum oculos tenere, delectare imperitorum. Quod me, quanquam tyrunculum, ſollicitavit ad emendum. Emi autem, non ut haberem domi (neque enim ullum adhuc Corinthium domi habeo) verum ut in patria noſtra celebri loco ponerem, ac potiſſimum in Jovis templo. Videtur enim dignum templo, dignum Deo donum. Tu ergo, ut ſoles omnia quæ à me tibi injunguntur, ſuſcipe hanc curam. Et jam nunc jube baſim fieri, ex quo voles marmore, quæ nomen meum, honoreſque capiat, ſi hos quoque putabis addendos. Ego ſignum ipſum, ut primum invenero aliquem, qui non gravetur, mittam tibi: vel ipſe, quod mavis, adferam mecum. Deſtino enim, ſi tamen officii ratio permiſerit, excurrere iſto. Gaudes, quod me venturum eſſe polliceor, ſed contrahes frontem, cum adjecero, ad paucos dies: neque enim

diutius

1 *Ut ſpirantis.*] Tanquam ſi viveret. Virgilius,

Excudent alii ſpirantia mollius æra.

Idem. Sic *ſpirans* aura eſt vitalis, qua ſpiramus, apud eund. lib. IX. Æneid.

— *Ab alto*
Æthere ſe mittit, ſpirantes dimovet auras.

Hinc *Spiritus* eſt vita: *male tentatum veneno, ſpiritum ferro expulit*, apud Florum lib. III. 5. 26.

2 *Exile collum.*] Et quæ ſequuntur ſigna ſunt præmaturi ſenis. *Catan.*

3 *A tergo quoque, &c.*] H. e. ejuſdem ætatis, ſenilis puta, expreſſa facies cernitur, ut eſſe in ſenibus à tergo ſolet. *Buchner.*

4 *Ut à tergo, &c.*] Sic libuit diſtinguere, quod minus aſſequerer, quidnam ſibi vellet interpunctio hactenus vulgata, *eadem ætas, ut à tergo æs ipſum, &c.* Gruterus.

5 *Quantum verus, &c.*] Legendum arbitror: *quantum viridis color indicat:* Hunc enim colorem æra ex vetuſtate ducunt, *Buchner.*

1 *Silius*

diutius abesse me sinunt eadem hæc, quæ nondum exire patiuntur. *Vale.*

VII. C. PLINIUS CANINIO SUO S.

Silii Italici mortem Caninio Rufo significans de brevitate vitæ conqueritur: inde sumpta occasione, cum res humanæ futiles sint, eum hortatur, ut aliquo studiorum opere perfecto mortalitatem fugiat.

MOdo nunciatus est [1] Silius Italicus in [2] Neapolitano suo inedia vitam finisse. Causa mortis, [3] valetudo. Erat illi natus [4] insanabilis clavus, cujus tædio ad mortem irrevocabili constantia decurrit, usque ad supremum diem beatus & fœlix, nisi quod minorem è liberis duobus amisit, sed majorem melioremque, florentem, atque etiam Consularem, reliquit. Læserat famam suam sub Nerone, credebatur sponte accusasse. Sed [5] in Vitellii amicitia sapienter se, & comiter gesserat. Ex Proconsulatu Asiæ gloriam reportaverat: macu-

1 *Silius Italicus.*] Hic orator & poëta fuit, qui secundum bellum Punicum metro complexus. Italicum autem existimo cognominatum non ab Italia, neque ab Italica colonia in Hispania, cujus gentile secundum Stephanum Italicensis est: sed à Corfinio Pelignorum metropoli, quam Samnites communem universis Italis civitatem demonstrantes, eamque translato nomine Italicam appellamus contra pop. Romanum receptaculum propugnaculumque constituerunt auctore Strabone. Stephanus præterea Italicum Siciliæ oppidulum esse testatur. Nam si fuisset Hispanus, profecto Mart. illius unicus admirator, avidissime tantum virum, & dignitate, & ingenio, & carminibus celeberrimum inter suos recensuisset, ubi Hispanorum scriptorum summa cum voluptate meminit. *Catan.*

2 *Neapolitano.*] Prædio, quod juxta Neapolim possedit. *Idem.*

3 *Valetudo.*] Morbus fuit. *Idem.* *Valetudo.*] Sic quoque Cicero: *Sulpitius scripsit ad me, te moleste ferre, quod me propter Valetudinem tuam non vidisses.* Distinguitur Valetudo Epithetis, aliquando etiam locis, vide Horat. lib. 1. Epistol.

4 *Clavus insanabilis.*] Secundum medicos clavus vocatur exitus tunicæ uveæ oculi: & tunicæ oculi exitus ab ulcere ἧλος Græce dicitur. Secundum Pollucem est contractio callosa, rotunda, subpallida, densa: ideo dictus clavus, quia in superficie dilatatur, in carne vero restringitur. Incurabilis aliquando & ad perniciem trahens. *Catan.*

5 *In Vitellii amicitia.*] Tacitus Cluvium Rufum & Silium Italicum testatur fuisse verborum testes, quæ Sabinus & Vitellius in æde Apollinis simul pepigere. *Idem.*

1 Macu-

[1] maculam veteris industriæ [2] laudabili ocio abluerat. [3] Fuit inter principes civitatis sine potentia, sine invidia. Salutabatur, colebatur, multumque in lectulo jacens, cubiculo semper [4] non ex fortuna frequenti. Doctissimis sermonibus dies transigebat, [5] cum à scribendo vacaret. [6] Scribebat carmina majore cura quam [7] ingenio, nonnunquam judicia hominum recitationibus experiebatur. Novissime ita [8] suadentibus annis ab urbe secessit, seque

1 *Maculam veteris, &c.*] Qua usus in accusationibus intendendis, de quibus supra, fuerat. *Buchner.*

2 *Laudabili otio.*] Dum foro atque judiciis abstinens, literis studiisque vacat. *Idem.*

3 *Fuit inter principes.*] Principes civitatis sunt præcipua auctoritate viri. Cæterum auctoritas metu ferme paratur: qui ex potentia maxime, quæ non temere alicui sine invidia constat. Nam quo quis plus potest, hoc magis patere invidiæ solet: *Nunquam eminentia invidia carent.* Vellejus ait. Noster itaque cum inter Principes civitatis, sine potentia, sine invidia Silium obtinuisse locum prædicat, innocentia, &, quæ hanc sequitur, charitate id consecutum significat. Quod & Bolano contigisse Tacitus Vitæ Agricolæ auctor est. *Innocens*, inquit, *Bolanus, & nullis delictis invisus charitatem paraverat loco auctoritatis.* Idem.

4 *Non frequenti ex fortuna.*] Alia lectio est, *non ex fortuna præsenti.* Non scilicet cubiculo se continebat propter præsentem rerum statum, qui optimus est Trajano principe, sed propter morbum. *Catan. Non ex fortuna frequenti.*] Q. Cicero de petitione Consulatus ad M. Tull. fratrem civiles amicitias tribus maxime partibus definit, *Salutatione, deductione, & affectatione:* quibus omnibus studendum iis sedulo docet, qui ad magistratus aspirant. Sed præsens locus ad primam pertinet: quo etiam spectat quod noster Cap. LXII. Paneg. adolescens monet, *adeant frequententque seniorum domos: existimentque hunc maxime promereri principem, quisquis probatos Senatui viros susciperet.* Quanquam autem & hoc, & cætera officiorum hujusmodi genera multum plerumque haberent fuci, parum sinceritatis; magisque fortunæ, emolumenti spe, quam reverentiæ amorique personæ præstari solerent, unde hos bellos ac urbanos homines noster alibi, ex animo amicis opponit; hîc aliter tamen in Silio factum Plinius narrat. Cujus cubiculum frequens semper fuisse significat, non quia potens ac dives & inter principes civitatis; sed quia multa in eo virtutis, atque doctrinæ opinio esset: unde præcepta exemplaque haurirent, & meliores, non fortunatiores, reverterent ad se, qui adiissent. Itaque mox ait, *Doctissimis sermonibus transigebat dies.* Buchnerus.

5 *Cum à scribendo vacaret.*] Ut referantur ad præcedentia, sed si legatur *cum adscribendo*, id est, stilo vacaret, tunc connecte cum sequentibus. *Cat.*

6 *Scribebat carmina.*] Secundum bellum Punicum metro componebat. Vide Martialem. *Idem.*

7 *Ingenio.*] Natura. Nam oratores fimus, poëtæ nascimur: & poëta natura magis quam arte constat. *Idem.*

8 *Suadentibus annis.*] Post sexagesimum ætatis annum: cum liberum erat Senatori vacare ab officiis publicis. *Idem.*

1 *Campa-*

ſeque in [1] Campania tenuit, ac ne [2] adventu quidem novi principis inde commotus eſt. Magna Cæſaris laus, ſub quo [3] hoc liberum fuit: magna illius [4] qui hac libertate auſus eſt uti. Erat [5] Φιλόχαλος uſque ad [6] emacitatis reprehenſionem. Plures iiſdem in locis villas poſſidebat, adamatiſque novis, priores negligebat: [7] multum ubique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum,

1 *Campania.*] De qua Plinius libro XVIII. & alibi. Imprimis L. Florus lib. I. cap. XVI. 3. 4. &c.

2 *Adventu novi principis.*] Trajani in urbem, qui dum eſſet in expeditione contra Germanos à Nerva ſene adoptatus, & Cæſar factus in urbem rediens habenas imperii ſumpſit. Hujus reditus Martialis, ſed latius Secundus in Paneg. meminere. *Catan.* *Ac ne adventu novi, &c.*] Significat reſtitiſſe in ſeceſſu Silium, nec ſe moviſſe inde ut adventanti novo principi officii cauſa occurreret, ſecurus gratiæ & offenſæ. *Buchner.*

3 *Hoc liberum.*] Superbi enim & arrogantiores principum, ut paullo ante Domitianus, ad contemtum majeſtatis ac contumaciam interpretabantur, ſi quis officia iſtiuſmodi negligeret. Sed fuit hac magnitudine animi Trajanus, ut rebus, quas adulatio aut metus frequentius, quam fides & reverentia exprimebat, ſuorum obſequia minime omnium æſtimanda putaret. *Contentus magnitudine*, ut noſter de eo alibi, *qua nulli carent*, *quam qui majeſtatem ſibi vindicant.* Idem.

4 *Qui hac libertate, &c.*] Qui reſtitit nec ea de re offenſam principis veritus eſt, non quia contemneret; ſed quia *fortiter amaret*, ut noſter in Paneg. loquitur: liberum ſibi ſtatuens, ſive veniret, ſeu remaneret. Vide & infra lib. VI. Epiſt. XXVII. *Idem.*

5 Φιλόκαλος.] *Rerum pulchrarum ſtudioſus*, vel *cupidus*. Male autem hic exponitur, *elegans*. Eſt & alia lectio Καινόφιλος, quod ſonat, *Rerum novarum ſtudioſus*, ſive *novitatis*. Henr. Steph.

6 *Emacitatis reprehenſionem.*] Emendi vitium. Rarum vocabulum inventu emacitas. *Quoſdam*, inquit *Columella*, *emacitas in comparandis armentis exercet*, *de tuendis nulla cura tangit*. Ab emace recte deduci poteſt, quo M. Cato uſus eſt. *Catan.* *Ad emacitatis, &c.*] Nam *patremfamilias vendacem*, *non emacem eſſe oportere*, Catonis præceptum eſt. Quare ad laudem refert Nepos, quod de Attico narrat, *cum eſſet pecunioſus*, *nemo illo minus fuit emax*. Buchn. Conf. & Caſ. in Aug. hiſt. ſcript. ad Spart.

7 *Multum ubique librorum, &c.*] Paulus JC. in cæteris rebus inſtructi fundi bibliothecas etiam ponit lib. III. Sent. tit. VII. de Legatis. Meminit & noſter ſupra in Laurentino. Martialis lib. VII. Epig. XVII. *Ruris bibliotheca delicati.* Et ſane cum ſtudiorum cauſa Romani in villas & prædia ſua quam maxime ſolerent ſecedere, quibus vacare in urbe per negotiorum frequentiam non erat integrum, bibliothecis præcipue ibi opus erat. Martialis Præfat. lib. XII. *In hac provinciali ſolitudine*, *ubi niſi intemperanter ſtudemus*, *& ſine ſolatio*, *& ſine excuſatione ſeceſſimus.* Vide Noſtrum lib. I. Epiſt. XXIII. Solebant in bibliothecis iidem præcipue imagines ſtatuaſque virorum illuſtrium, doctrinâ imprimis, habere poſitas, de quo Avunculus noſtri libro XXXV. Nat. Hiſt. cap. II. quare & hic Plinius cum bibliothecis ſtatuas conjungit. Vide & infra lib. IV. Epiſtol. XXVIII. *Buchn.*

1 *Cujus*

ginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, ([1] cujus natalem religiosius, quam suum celebrabat:) [2] Neapoli maxime, ubi [3] monumentum ejus adire, ut templum, solebat. In hac tranquillitate annum quintum & septuagesimum [4] excessit, delicato magis corpore quam infirmo. Utque novissimus à Nerone factus est Consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero Consules fecerat, decessit. Illud etiam notabile, ultimus ex Neronianis Consularibus obiit, quo Consule Nero periit. Quod me recordantem fragilitatis humanæ miseratio subit. Quid enim [1] tam circumcisum, tam breve, quam hominis vita longissima? Annon videtur tibi Nero modo fuisse, cum interim ex iis qui sub illo gesserant Consulatum, nemo jam superest? quanquam quid hoc miror? nuper [5] Lucius Piso, pater Pisonis illius, qui à Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat, *Neminem se videre in Senatu, quem COS. ipse sententiam rogavisset.* Tam

1 *Cujus natalem.*] Virgilii natalis Idibus Octobris fuit. Martial. Octobres Maro consecravit Idus. Cui sententiæ [Donatus] accedit. *Catanæus.* *Cujus natalem religiosius.*] Solebant magnorum & excellentium virorum natales, viventium non modo, honoris; sed mortuorum etiam, memoriæ ac venerationis causa, celebrari. Seneca Epist. LXIV. *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: suspiciendi tamen sunt, & ritu Deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi; & natales celebrem?* Ubi nota imaginum finem: quas ideo habuisse significat, ut incitarent animum ad amplectendas & æmulandas virtutes illorum, quorum similitudinem exhibebant. *Buchn.*

2 *Neapoli.*] Palæpolis olim vicina Neapoli, postea ex duabus una facta civitas, & dicta Neapolis Chalcidensium colonia: & ipsa Parthenope à tumulo Syrenis appellata, ad quam plurimi ab urbe secedebant quietis gratia, ut quos senectus, vel adversa valetudo conflictabat. maxime autem qui eruditioni dabant operam. *Catan.*

3 *Monumentum ejus.*] Quod testatur Martial. lib. XI. Cum vero Silius Brundusii (vel Tarenti, ut alii volunt) mortuus esset, translata sunt ejus ossa Neapolim, & sepulta via Puteolana intra lapidem secundum. *Id.* *Adire.*] Vide hic Is. Casaub. in Capitolin. 23.

4 *Excessit.*] Palat. & vetus editio *decessit*, quod si toleramus, mutandum fuerit, *anno quinto & septuagesimo decessit.* Grut.

5 *Lucius Piso.*] Hic cum Nerone Secundo Consul fuit: deinde ab eodem Imperatore vectigalibus publicis cum Ducennio Geminio, & Pompeio Paulino præpositus, Vespasiano & Tito Consulibus Africæ præfectus. Vide pluribus *Tacitum.*

[1] Tam angustis terminis tantæ multitudinis vivacitas ipsa concluditur, ut mihi non venia solum dignæ, verum etiam laude, videantur illæ regiæ lacrymæ. [2] Nam ferunt Xerxem, cum immensum exercitum oculis obiisset, illacrymasse, quod [3] tot millibus tam brevis immineret occasus. Sed tanto magis hoc, quicquid est temporis futilis & caduci, si non datur factis, (nam horum materia [4] in aliena manu) nos certe studiis proferamus: & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Scio te stimulis non egere. Me tamen tui charitas evocat, ut currentem quoque instigem, sicut tu soles me. [5] ἀγαθὴ δ' ἔρις, cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. *Vale.*

VIII.

1 *Tam angustis.*] Sensus est, tam brevi spatio tot homines vivunt, & moriuntur. *Catan.*

2 *Nam ferunt.*] Vide de hac historia Herodot. lib.VII. historiarum, & D. Hieronymum ad Heliodorum. Seneca hoc Xerxis dictum carpit, ut qui hominum calamitatem lugeret, quos ipsemet ad macellum duceret. Vide & *Valer. Max.*

3 *Tot millibus.*] Septingenta millia de regno, & trecenta millia de auxiliis armasse traditur: ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata. Navium quoque decies centena millia numero habuisse dicitur, apud Justinum. Plinius refert Xerxem in Dorisco centum viginti millia hominum tantum dinumerasse. *Cat.*

4 *In aliena manu.*] In facultate aliorum, non nostra: quasi dicas materia bene gerendarum rerum est in manu Imperatoris, ac eorum, qui præsunt exercitibus. Nos, quod unum possumus, æternitatem studiis comparemus. nam & qui fecere, & qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. *Idem.*

5 Ἀγαθὴ δ' ἔρις.] Sumptum ab Hesiodi Georgicis, quibus scribit,

Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι,

id est, *bona autem contentio hæc mortalibus.* Hic enim poëta duas facit contentiones inter mortales, quarum altera est laudanda, cum invicem certamus honoris, & virtutis causa: altera perniciosa, cum malorum gratia contendimus. *Catan. & Stephan.*

1 *Tribu-*

VIII. C. PLINIUS TRANQVILLO SUO S.

Suetonius per Secundum impetraverat ſibi à Neratio Marcello Tribunatum militum: deinde rogaverat ut in Cæſennium Sylvanum transferretur: quod conſilium ſumme probat Secundus, & pollicetur ſe facturum.

FAcis pro cætera reverentia, quam mihi præſtas, quod tam ſolicite petis, ut [1] tribunatum, quem à Neratio Marcello, clariſſimo viro, impetravi tibi, in [2] Cæſennium Sylvanum propinquum tuum transferam. Mihi autem, ſicut jucundiſſimum, ipſum te Tribunum, ita non minus gratum, alium per te videre. Neque enim eſſe congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos invidere, qui ſunt omnibus honoribus pulchriores. Video etiam, cum ſit egregium & mereri beneficia, & dare, utramque te laudem ſimul aſſecuturum, ſi quod ipſe meruiſti, alii tribuas. Præterea intelligo, mihi quoque gloriæ fore, ſi ex hoc tuo facto non fuerit ignotum amicos meos non gerere tantum Tribunatus poſſe, verumetiam dare. Quare ego vero honeſtiſſimæ voluntati tuæ pareo. Neque enim adhuc nomen [3] in numeros relatum eſt. Ideoque liberum eſt nobis Sylvanum

1 *Tribunatum.*] Militarem. Aſconius duo genera facit eorum qui Rufuli dicuntur, vel Rutuli: quia Rutulus Rufus legem primo tulit de jure Tribunorum ab exercitu creandorum. Vegetius majorem Tribunum militum tradidit per epiſtolam ſacram Imperatoris judicio deſtinari: minorem Tribunum provenire ex labore. Et cum unaquæque legio decem cohortes haberet, primæ, quæ miliaria vocabatur, præerat Tribunus armorum ſcientia, virtute corporis, morum honeſtate præcipuus: reliquæ cohortes prout principi placuiſſet, à Tribunis, vel à Præpoſitis regebantur. *Catan.*

2 *Cæſennium Sylvanum.*] Sylvanum rhetorem ab Heliogabalo Lampridius tradit interfectum, & Cæſonium à Severo Spartianus: ſi tamen alter horum fuit, veriſimilius eum potuiſſe ad Severi tempora, quam Heliogabali pervenire. *Idem.*

3 *In numeros relatum.*] Tuum nomen nondum relatum eſt in ordinem Tribunorum. Erat enim adhuc integrum alium ſubrogare: ſecus ſi fuiſſet aſcriptum numero cæterorum. Dicimus milites nondum relatos in numero, cum delecti quidem ſunt, nondum tamen in ſuos ordines pervenere, quod JC. plerunque teſtatur, ut Ulpianus de bonorum poſſeſſione ex teſtamento militari. *Idem.*

1 *Muni-*

vanum in locum tuum subdere: cui cupio tam gratum esse munus tuum, quam tibi meum est. *Vale.*

IX. C. PLINIUS [1] MINUTIANO SUO S.

Minutiano Macrino singulos actus accusationis Classici narrat, & quem eventum actio sortita, quotque labores perpessus sit.

POssum jam perscribere tibi, quantum in publica provinciæ Bæticæ causa laboris exhauserim. Nam fuit multiplex, actaque est sæpius cum magna varietate. [2] Unde varietas? unde plures actiones? Cæcilius Classicus, homo fœdus & aperte malus, Proconsulatum in ea non minus violenter quam sordide gesserat, eodem anno quo in Africa Marius Priscus. Erat autem Priscus ex Bætica, ex Africa Classicus. Inde dictum Bæticorum, (ut plerunque dolor etiam [3] venustos facit) non illepidum ferebatur. [4] *Dedi malum, & accepi:* sed Marium una civitas publice, multique privati reum peregerunt: in Classicum tota provincia incubuit. Ille accusationem vel fortuita, vel voluntaria morte prævertit. Nam fuit mors ejus infamis: ambigua tamen. Ut enim credibile videbatur voluisse exire de vita cum defendi non posset, ita (mirum) pudorem damnationis morte fugisse, quem non puduisset damnanda committere. Nihilominus Bætica etiam in defuncti accusatione perstabat:

1 *Minutiano.*] Quamvis L. Albinum in dicendo copiosum, socium haberet, asseveranter contenderem hunc esse Minutianum, quem supra rogaverat, an apparobaret susceptam Classici accusationem: & nono libro hujus actionis orationem mittit. *Catan.*

2 *Unde varietas? unde plures actiones?*] Posterior interrogationis nota delenda. Paulo post toleranda parenthesis ibi, *ita mirum, pudorem.* Nec multo post in eadem Epistola scribendum: *Tanquam in causa Castæ* (hæc uxor Classici) *prævaricaretur.* Sensus patet. *Casaub.*

3 *Venustos.*] Qui cum gratia quadam, & venere loquuntur, ii venusti appellantur. *Catan.*

4 *Dedi malum.*] Marium Priscum malum virum in Africam Proconsulem misi. *Idem.*

bat: [1] provisum hoc legibus, intermissum tamen, & post longam intercapedinem tunc reductum. Addiderunt [2] Bætici, quod simul socios, ministrosque Classici detulerunt, nominatimque in eos [3] inquisitionem postulaverunt. Aderam Bæticis, mecumque [4] Luceius Albinus, vir in dicendo copiosus, ornatus, quem ego cum olim mutuo diligerem, ex hac officii societate amare ardentius cœpi. Habet quidem gloria, in studiis præsertim, quiddam [5] ἀκοινώνητον: nobis tamen nullum certamen, nulla contentio: cum uterque pari jugo, non pro se, sed pro causa niteretur. Cujus & magnitudo, & utilitas visa est postulare, [6] ne tantum oneris [7] singulis actionibus subiremus. Verebamur, ne nos dies, ne vox, ne latera deficerent: si tot crimina, tot reos uno velut fasce complecteremur. Deinde ne judicum intentio multis nominibus multisque causis non lassaretur modo, verum etiam

1 *Provisum hoc legibus.*] Cavent leges, ut mortuos liceat accusare. Scævola ad legem Juliam repetundarum, Datur ex hac lege, & in hæredes actio intra annum duntaxat à morte ejus, qui arguebatur. Marcellus ad Senatusconsultum Turpilianum, morte rei judicium solvitur: nisi tale crimen fuerit, cujus accusatio adversus hæredes durat, veluti majestatis. *Catan.*

2 *Bætici, quod simul.*] Sententiæ lucem dedi, mutatione literæ. Prius enim legebatur, *quot simul.* pro altera nostra scriptura stat Palatinus. *Grut.*

3 *Inquisitionem.*] Cognitionem criminum, quod solet fieri, si præcesserint judicia. *Catan.*

4 *Luceius Albinus.*] Quo socio etiam usus est in causa Julii Bassi, & Josephus tradit ante Hierosolymarum captivitatem illic Albinum judicem Romanum fuisse. Dion in Trajano meminit Lucium fuisse profectum adversus Dacos, & contra Parthos multa memoranda gessisse. *Idem.* *Luceius Albinus.*] Sic quoque Pal. & editio antiqua, non *Albinus.* Gruter.

5 Ἀκοινώνητον.] Incommunicabile. Nam,

Qui velit ingenio cedere, rarus erit. Cat.

Ἀκοινώνητον.] Insociabile. Quod Lucanus dicit Impatiens consortis, redderem ἀκοινώνητον: illo in loco

—— *omnisque potestas*
Impatiens consortis erat. ——

Stephan.

6 *Ne tantum oneris.*] Imo legendum, *ut tantum oneris, &c.* Nam quia causa hæc magna diffusaque ac varia erat, idcirco una actione explicari haud poterat; pluribus igitur singulisque opus erat. Quod se cum Albio constituisse etiam non tantum mox subjicit Plinius, sed ejus consilii quoque rationes adducit. *Buchner.*

7 *Singulis actionibus.*] Nam plures actiones in una causa habebantur, quod vidimus factum adversus Priscum. *Catan.*

1 Mox

etiam confunderetur. [1] Mox ne gratia singulorum collata, atque permista, pro singulis quoque vires omnium acciperet: postremo, ne potentissimi vilissimo quoque quasi [2] piaculari dato, alienis pœnis elaberentur. Etenim tum maxime favor, & [3] ambitio dominatur, cum sub aliqua specie severitatis delitescere potest. [4] Erat in consilio [5] Sertorianum illud exemplum, qui robustissimum & infirmissimum militem [6] jussit caudam equi: reliqua nosti. Nam nos quoque tam numerosum agmen reorum ita demum videbamus posse superare, si per singulos

1 *Mox ne gratia.*] Inter reos, qui deferendi, non pauci erant, qui apud Judices valerent gratia. Veriti igitur Plinius Albiusque fuerunt, ne unius atque alterius gratia prodesset cæteris, collata quasi ac jam communis facta; & ita omnes absolverentur. *Buchner.*

2 *Piaculari.*] Tanquam ad expurgationem cæterorum reorum. Piacularia auspicia arbitrabatur antiquitas, quæ sacrificantibus tristia portendebant, & Servius piaculum duo significare credidit, purgationem & contaminationem. *Catan.*

3 *Ambitio dominatur, &c.*] Id est, exerit se, & sibi indulget efficaxque est, cum sub severitatis specie latere se posse, & sic imponere aliis sperat Nam segnius agere improbi solent, qui culpis suis prætextus & latebras non circumspiciunt. *Ambitio*, gratia est: vel studium cum aucupandæ tum tuendæ gratiæ. *Buchner.*

4 *Erat in consilio.*] Significat, in eo consilio, quod de agenda Bæticorum causa habuerant Plinius Albiusque, & quo placuerat actionibus singulis reos aggredi, se respexisse Sertorii exemplum, quo sub imagine quadam ostendit, divisos & singulos vincere, in aperto ac prono; universos ac junctos, arduum esse. Res nota est, quam præter Plutarchum Val. Maxim. lib. VII. cap. III. exponit. *Buchner.* *Erat in consilio.*] Haud scio an bene ceperit *Buchnerus.* Nihil enim aliud dicit Plinius, quam, *veniebat in mentem*, aut *cogitabamus.* Ut *habere in consilio*, de quo in Diatriba ad Silvas Statii. *Gronov.*

5 *Sertorianum illud.*] Vide hîc Val. Max. Plutarch. Jul. Frontinum in suo stratagematico & al. Horatius brevius hanc historiam illo metro tetigit: *Caudæ setas quod equinas Paulatim vello.* Catan.

6 *Jussit equi caudam, reliqua nosti.*] Abrumpit institutam narrationem, quod in notissimis rebus lubenter solebant facere veteres, ne mole inani gravarent orationem, & supervacanea relatione molesti essent. Et est profecto inepta ambitio, inculcare non sine molimine, quæ nemo ignorat. Notanda autem formula est, qua in abruptione hac Plinius utitur. Similiter Cic. pro Plancio: *Hæc illi soleo*, inquit, *præcipere, quæ ille à Jove ortus suis præcipit filiis:*

Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis.

Nostis cætera. Item de senectute: *Non dubitavit dicere illa, quæ versibus persecutus Ennius:*

Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Antehac, dementi sese traxere ruina:

Cæteraque gravissime. *Notum enim vobis est carmen.* Buchner.

gulos carperetur. Placuit in primis ipſum Claſſicum oſtendere nocentem: hic aptiſſimus ad ſocios ejus, & miniſtros tranſitus erat, quia ſocii miniſtrique probari, [1] niſi illo nocente, non poterant. Ex quibus, duos ſtatim Claſſico junximus, Bæbium Probum, & Fabium Hiſpanum: utrumque gratia, Hiſpanum etiam facundia validum. Et circa Claſſicum quidem brevis, & expeditus labor: ſua manu reliquerat ſcriptum, quid ex quaque re, quid ex quaque cauſa accepiſſet. Miſerat etiam epiſtolas Romam ad [2] amiculam quandam, jactantes & glorioſas, his quidem verbis, [3] *Io, io, liber ad te venio: jam ſeſtertium quadragies redegi,* [4] *parte vendita Bæticorum.* Circa Hiſpanum & Probum multum ſudoris. Horum antequam crimina ingrederer, neceſſarium credidi elaborare, ut conſtaret miniſterium [5] crimen eſſe. quod niſi effeciſſem, fruſtra miniſtros probaſſem. Neque enim ita defendebantur, ut negarent, ſed ut [6] neceſſitati veniam precarentur. Eſſe enim ſe provinciales, & ad omne Proconſulum imperium metu cogi. Solet dicere [7] Claudius Reſtitutus, qui mihi reſpondit, vir exercitatus & vigilans,

1 *Niſi illo nocente.*] Id eſt, reo peracto: quod paulo ante *oſtendere reum* dixerat. *Oſtendere* enim probare eſt. *Buchner.*

2 *Amiculam.*] Meretriculam. Cajus auctore Tranquillo quoties uxoris, vel amiculæ collum exoſculabatur, addebat, tam bona cervix ſimul ac juſſero, demetur. *Catan.*

3 *Io, io, liber ad te.*] Inſtar rhythmi. io io lætantium vox. Plautus in Pſeud. *Io io te tyranne te rogo, qui imperas Pſeudolo.* Et Ovidius,

Dicite io pæan, & io bis dicite pæan.

Catan. *Liber ad te, &c.*] Id eſt, Nullo ære alieno obſtrictus. *Buchner.*

4 *Parte vendita.*] Diſtracta bonorum parte. An potius Claſſicum jactanter ſcripſiſſe Bæticorum hominum partem vendidiſſe, quod majoris criminis fuit, quam eorum bona vendidiſſe? *Catan.*

5 *Crimen eſſe.*] Perinde teneri, ac ſi ipſi auctores forent. *Idem.* *Miniſterium crimen eſſe.*] Æque reatu teneri ac crimine, tum auctorem ac ducem ſceleris, tum ſatellitem ac miniſtrum. Hoc eſt, quod Lucanus dixit:

—— *Facinus quos inquinat, æquat.*

Buchnerus.

6 *Neceſſitati.*] Quod coacti imperio ea patraſſent. *Catan.*

7 *Claudius Reſtitutus.*] Orator eloquentiſſimus, & Cæcilio amicus: ad quem alibi epiſtolæ ejuſdem. Martial. quantæ auctoritatis eſſet, natalem ejus celebrans oſtendit ibi,

Octobres, age ſentiat calendas
Facundi pia Roma Reſtituti.

Idem.

lans, & quamlibet ſubitis paratus, nunquam ſibi tantum caliginis, tantum perturbationis offuſum, quam cum ea [1] præreptа & extorta defenſioni ſuæ cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat. Conſilii noſtri exitus fuit: bona Claſſici, quæ habuiſſet [2] ante provinciam, placuit Senatui à reliquis ſeparari, illa filiæ, [3] hæc ſpoliatis relinqui. Additum eſt, ut pecuniæ, quas creditoribus ſolverat, revocarentur. Hiſpanus & Probus in quinquennium relegati. Adeo grave viſum eſt, quod initio dubitabatur, an omnino crimen eſſet. Poſt paucos dies Clavium Fuſcum, Claſſici generum, & [4] Stilonium Priſcum, qui [5] Tribunus cohortis ſub Claſſico fuerat, accuſavimus, diſpari eventu. Priſco in biennium [6] Italia interdictum: abſolutus eſt Fuſcus. Actione tertia commodiſſimum putavimus, plures congregare: ne ſi longius eſſet extracta cognitio, ſatietate & tædio quodam juſtitia cognoſcentium ſeveritaſque langueſceret: alioqui ſupererant minores rei, data opera hunc in locum reſervati: [7] excepta tamen Claſſici uxore, quæ ſicut implicita ſuſpicionibus, ita non

1 *Prærepta.*] Anticipata: quibus cogitaverat judices flectere. *Catan.*

2 *Ante provinciam.*] Ante Proconſulatum provinciæ. *Provincia* enim & ipſa regio, & adminiſtratio ejus ac gubernatio dicitur. Ex quo *provincia* vox de quolibet munere uſurpatur. *Buchnerus.*

3 *Hæc.*] Non quæ habuiſſet ante Proconſulatum, ſed quæ in Proconſulatu comparaverat relinquenda Bæticis ſpoliatis. *Catan.*

4 *Stilonium Priſcum.*] Alii legunt Tilonium, nonnulli, Chilonium: tanta exemplarium varietate confundente. *Idem.*

5 *Tribunus cohortis.*] Una quæque legio decem cohortes continebat: prima cohors reliquas & numero militum, & dignitate præcedebat: pedites habebat mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos: cui præerat Tribunus major: ac deinceps cæteræ ſequebantur: quorum militum numerum Flavius Vegetius, & eum ſecutus ad verbum Modeſtus tradiderunt. *Idem.*

6 *Italia interdictum.*] Dicimus & *interdicere alicui aliquid.* Sic Cornel. Nepos Hamilcare: *quod earum moribus non poterat interdici ſocero gener.* Juſtin. lib. XVI. *cui patriam interdixerant.* Vide Gronov. ad Sen. Epiſt. XVIII.

7 *Excepta.*] Quia non erat minor, ut alii. Nam & Proconſulum uxores coguntur ad reddendam rationem. Julianus, ff. primo, proficiſci autem Proconſulem melius quidem eſt ſine uxore, ſed & cum uxore poteſt, dummodo ſciat Senatum Cotta & Meſſala Coſſ. cenſuiſſe futurum, ut ſi quid uxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio & vindicta exigatur. *Catan.*

non satis convinci probationibus visa est. Nam Classici filia, quæ & ipsa inter reos erat, ne suspicionibus quidem hærebat. Itaque cum ad nomen ejus in extrema actione venissem (neque enim ut initio, sic etiam in fine verendum erat, ne per hoc totius accusationis auctoritas minueretur) honestissimum credidi non premere immerentem: idque ipsum dixi & libere & varie. Nam modo legatos interrogabam, *docuissentne me aliquid,* [1] *quod reprobari posse confiderent?* modo consilium à Senatu petebam, *putaretne debere me, si quam haberem in dicendo facultatem, in jugulum innocentis, quasi telum aliquod, intendere*: postremo totum locum hoc fine conclusi, *Dicet aliquis, Judicas ergo? Ego vero non judico. Memini tamen me advocatum ex judicibus datum.* Hic numerosissimæ caussæ terminus fuit, quibusdam absolutis, pluribus damnatis, atque etiam relegatis: aliis in tempus, aliis in perpetuum. Eodem Senatusconsulto industria, fides, constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est: dignum, solumque par precium tanti laboris. Concipere animo potes, quam simus fatigati, quibus toties agendum, toties altercandum, tam multi testes interrogandi, [2] sublevandi, [3] refutandi. Jam illa, quam ardua, quam molesta: tot reorum amicis secreto rogantibus negare, adversantibus palam obsistere? Referam unum aliquod ex iis, quæ dixi. Cum mihi quidam è judicibus ipsis pro reo gratiosissimo recla-

1 *Quod reprobari.*] Ita malim, quam ut hactenus vulgati, *quod probari*, illud *ream probari*, quod margines obsidet, neque erat in Pal. neque in vett. edd. *Grut.*

2 *Sublevandi.*] Adjuvandi, si quid titubaverint. Opportuna rursus ejus, à quo producti sunt, interrogatione velut in gradum reponendi. Quare Secundum Archadium, quorum testium fides non vacillat, frequens usus adhibendus est. Aliud est elevare testes, quam sublevare: immo è directo ejus contrarium, id est, imminuere, & deprimere. Vide Fab. lib. VI. *Idem.*

3 *Refutandi.*] Imprimis conditio cujusque testis exploranda: an Decurio, an Plebejus: an honestæ vitæ & inculpatæ, an notatus & reprehensibilis: an locuples, vel egenus: an inimicus, amicus: nam si careat suspicione, testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit: vel propter causam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ causa sit, admittendum est. *Idem.*

1 Non

reclamarent, [1] *Non minus*, inquam, *hic innocens erit*, *ſi ego omnia dixero*. Conjectabis ex hoc quantas contentiones, quantas etiam offenſàs ſubierimus, duntaxat ad breve tempus. Nam fides in præſentia eos, quibus reſiſtit, offendit: deinde ab illis ipſis [2] ſuſpicitur, laudaturque. Non potui magis te in rem præſentem perducere. Dices, Non fuit tanti. Quid enim mihi cum tam longa epiſtola? Nolito ergo identidem quærere, quid Romæ geratur: & tamen memento eſſe non epiſtolam longam, quæ tot dies, tot cognitiones, tot denique reos, cauſaſque complexa ſit. Quæ omnia videor mihi non minus breviter, quam diligenter perſecutus. Temere dixi, *diligenter*: ſuccurrit quod præterieram, & quidem ſero: ſed quanquam [3] præpoſtere, reddetur. [4] Facit hoc Homerus, multique illius exemplo. Eſt alioqui [5] perdecorum: à me tamen non ideo fiet. E teſtibus quidam ſive iratus, quod evocatus eſſet invitus, ſive [6] ſubornatus ab aliquo

1 *Non minus.*] Senſus eſt: ſi ego omnia in illum dicam quæcunque potero, non ideo erit magis nocens. Nam mea accuſatio non faciet eum magis nocentem, quam eſt. *Catan.* *Non minus.*] Cum reclamarent nonnulli dicenti Plinio, abſolvere Plinius cœpta haud potuit. Quod ne multum ſinerent, hoc dicto ipſos perſtringit. Quanquam ſine omni amaritudine aut levitate, quod gravem virum imprimis decebat. Oſtendens tantum nihil ipſos ex eo conſequi poſſe. Nam ſi re vera innocens, quem ipſi contenderent, non minus futurum talem, licet vel maxime ad finem diceret, quæ ſecum meditatus contra eſſet, & jam cepiſſet. *Buchner.*

2 *Suſpicitur.*] Veneratur. Legitur etiam *ſuſcipitur*, id eſt approbatur, (patroni conſtantia.) *Catan.*

3 *Præpoſtere, reddetur.*] *Præpoſtere redditur*, ſive exponitur, cum quod natura & ordine prius erat, mutata ratione noviſſime redditur. Quod ſæpe Homerum facere, & obſervarunt Grammatici, & ipſam eam rationem ὕστερον πρότερον, item ὑστερολογίαν appellarunt. Cic. lib. I. ad Att. Ep. XVI. *reſpondebo tibi* ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. *Buchner.*

4 *Facit hoc Homerus.*] Ut multa præpoſtere referat. Immo ſuum opus à decimo Trojani belli anno inchoavit, quem poſteriores poëtæ æmulantes pariter obſervarunt. *Catan.*

5 *Perdecorum.*] Venuſtum, mutato ordine rem narrare. *Idem.* *Perdecorum.*] Poëtis puta, & Epicis quidem maxime, qui à mediis etiam cum laude incipiunt, & prima ac ultima iis ſubtexunt. *Buchner.*

6 *Subornatus.*] Jam domi inſtructus, ut hoc faceret, quod Fabius damnat. Illæ vero, inquit, peſſimæ artes teſtem ſubornatum in ſubſellia adverſarii mittere, &c. *Catan.*

aliquo reorum, ut accuſationem exarmaret, [1] Norbanum Licinianum legatum, & inquiſitorem reum poſtulavit: tanquam in cauſa Caſtæ uxor hæc Claſſici [2] prævaricaretur. Eſt lege [3] cautum, ut reus ante peragatur, tunc de prævaricatore quæratur: videlicet, quia optime ex accuſatione ipſa accuſatoris fides æſtimatur. Norbano tamen non ordo legis, non [4] legati nomen, non inquiſitionis officium præſidio fuit: tanta conflagravit invidia, homo alioqui flagitioſus, & [5] Domitiani temporibus uſus, [6] ut multi, electuſque tunc à provincia ad inquirendum, non tanquam bonus & fidelis, ſed *tanquam Claſſici inimicus*. Erat ab illo relegatus: dari ſibi diem ad diluenda crimina poſtulavit. Neutrum impetravit, coactus eſt ſtatim reſpondere: reſpondit: malum pravumque ingenium hominis facit, ut dubitem [7] confidenter, an conſtanter, certe paratiſſime. Objecta ſunt multa, quæ magis, quam prævaricatio nocuerunt. Quinetiam duo Conſulares, [8] Pomponius Rufus & [9] Libo Frugi, læſe-

1 *Norbanum Licinianum.*] Fuit alius Norbanus Præfectus Prætorii, qui in necem Domitiani conjuravit. *Catan.* *Licinianum.*] Pal. & olim cuſi *Lacinianum.* Gruterus.

2 *Prævaricaretur.*] Deflecteret à præſcriptione ſui officii, & adverſario Caſtæ faveret. Prævaricari auctore Marcello eſt vera crimina abſcondere. Tergiverſari in univerſum ab accuſatione deſiſtere. *Catan.*

3 *Cautum.*] Sancitum. Is qui reus factus eſt purgare ſe debet: nec ante poteſt accuſare, quam fuerit excuſatus. Ulpianus de publ. judiciis. *Idem.*

4 *Legati nomen.*] Quod ſemper ſacroſanctum habitum eſt, & ejus injurias populus Romanus ſevere ultus eſt. Ulpianus, Legati non compelluntur ſe Romæ defendere, quamdiu Legationis cauſa hîc morantur. quod & Julianus ſcribit, & divus Pius reſcripſit. Quare Paulinus cenſuit apud Secundum lib. IV. referendum de Theophane Legato, cum Legationi renunciaſſet. *Idem.*

5 *Domitiani temporibus uſus.*] Delator, & bonorum accuſator ſub Domitiano. *Idem.*

6 *Ut multi.*] Tales numerantur Carus, Maſſa, Vejento, Publicius, Regulus. *Idem.*

7 *Confidenter.*] Audacter, in malam partem: quod mali plerunque faciunt, & tamen à multis juſtam cauſam tueri creduntur. Juven.

Nam cum magna malæ ſupereſt audacia cauſæ,
Creditur à multis fiducia. —— Cat.

8 *Pomponius Rufus.*] Sic legendum ex vetuſto codie, & quod lib. IV. eundem peritum & vehementem in dicendo fuiſſe aſſerat. *Idem.*

9 *Libo Frugi.*] Anpium Libonem Conſulem M. Antonini philoſophi patruum Capitolinus recitat: & Libonem

[1] læſerunt eum teſtimonio, tanquam apud judicem ſub Domitiano Salvii Liberalis accuſatoribus adfuiſſet: damnatus, & in inſulam relegatus eſt. Itaque cum Caſtam accuſarem, nihil magis preſſi, quam quod accuſator ejus, prævaricationis crimine corruiſſet. Preſſi tamen fruſtra. Accidit enim res contraria & nova, ut accuſatore prævaricationis damnato, rea abſolveretur. Quæris quid nos, dum hæc aguntur? indicavimus Senatui ex Norbano didiciſſe nos publicam cauſam, rurſuſque debere [2] ex integro diſcere, ſi ille prævaricator probaretur. Atque ita dum ille [3] peragitur reus, ſedimus. Poſtea Norbanus omnibus diebus cognitionis interfuit: eandemque uſque ad extremum vel conſtantiam, vel audaciam pertulit. [4] Interrogo ipſe me, an aliquid omiſerim: rurſus & rurſus pene omiſi. Summo die Salvius Liberalis reliquos legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandaſſet provincia, reos peregiſſent. Atque, ut eſt vehemens, & diſertus, in diſcrimen adduxit. Protexi viros optimos, eoſdemque gratiſſimos: mihi certe debere ſe prædicant, quod illum [5] turbinem evaſerint. Hic erit epiſtolæ finis, revera finis:

nem ejuſdem Imperatoris Legatum in Syria interiiſſe non ſine veneni ſuſpicione. *Catan.*

1 *Læſerunt eum teſtimonio.*] Poſſet quis & diſtinguere & legere *tanquam apud judicem, ſub Domitiano Salvii liberalis accuſatoribus adfuiſſe:* ſed neutrum adhuc ſatisfacit. *Gruter.*

2 *Ex integro diſcere.*] Nam ſi damnandus erat Norbanus, quod cauſam eo modo, ut erat, non ageret, Secundus qui à Norbano prius fuerat illum edoctus, jure petiit à Senatu, ut ab alio rurſus inſtrueretur, ne & ipſe prævaricari crederetur. *Catan.*

3 *Peragitur reus.*] Examinatur, ut condemnetur. Reum facere, eſt accuſare: reum peragere, eſt condemnare. *Idem.*

4 *Interrogo ipſe me, an aliquid omiſerim: rurſus.*] Sic ſcribendum jubet Caſaub. quia ſemel jam omiſerat aliquid. Dixit enim ſupra, *ſuccurrit, quod petieram, & quidem ſero.* Ita eſſe diſtinguendum eruditiſſimus Catanæus non vidit. Jenenſis ita diſtinguit *an aliquid omiſerim rurſus: &c.* & ſic alios quoque diſtinguere notat Boxhorn. in variant. lect.

5 *Turbinem.*] impetum, tempeſtatem. Fuit in dicendo acer & liber: eſt tranſlatio. Turbo enim aqua circumacta eundem ambiens locum, ac ſe ipſa vertigine concitans; in cujus ſimilitudinem ventus in ſe contorquens turbo dicitur, qui repugnantior ſi eſt, ac diutius volutatus, inflammatur: & efficit, quod præſtera Græci vocant.

finis: literam non addam, etiamsi adhuc aliquid præteriisse me sensero. *Vale.*

X. C. Plin. Spurinnæ Suo Et Cocciæ S.

Spurinna Cocciam Salvii Cocciani à Domitiano interfecti filiam duxit uxorem, ex qua filium Coccium singularis indolis suscepit, qui juvenis admodum mortuus triumphali statua donatus est ab Imp. in solatium orbitatis paternæ, & victoriæ præmium devictis Bructeris. In laudem igitur filii Secundus quædam lucubraverat parentibus insciis: ea nunc per epistolam præter cæteras familiarem legenda illis transmittit.

Composuisse me quædam de filio vestro non dixi vobis, quum proxime apud vos fui. Primum, quia non ideo scripseram, ut dicerem: sed ut meo amori, meo dolori satisfacerem. [1] Deinde, quia te Spurinna, cum audisses recitasse me (ut mihi ipse dixisti) quid recitassem, simul audisse credebam. Præterea veritus sum ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem. Nunc quoque paulisper hæsitavi, id solum, quod recitavi, mitterem exigentibus vobis, an adjicerem, quæ in aliud volumen cogito reservare? Neque enim affectibus meis uno libello charissimam mihi & sanctissimam memoriam prosequi satis est: cujus famæ latius consuletur, si [2] dispensata & digesta fuerit. Verum hæsitanti mihi, omnia, quæ jam composui, vobis exhiberem, an adhuc aliqua differrem; simplicius & [3] amicius visum est, omnia: præcipue cum affirmetis intra

Distat à vortice meandro, quo fragor à stridore. Apud Horatium & Spartianum, Turbo Turbonis viri proprium. *Catan.*

1 *Deinde.*] Sensus est: ô Spurinna, deinde, cum audisses me recitasse illa, ut tu ipse mihi dixisti: quia simul etiam credebam audisse, & cognovisse, quid recitassem, id est totam summam rei. *Idem.*

2 *Dispensata.*] Limata, distributa. *Idem.*

3 *Amicius.*] Non amicitius. Nam ab amico comparativum fit amicior, quo

tra vos futura, donec placeat emittere. Quod superest, rogo, ut pari simplicitate, siqua existimabitis addenda, commutanda, omittenda indicetis. Mihi difficile est hucusque intendere animum in dolore: [1] difficile, [& vobis.] sed tamen ut sculptorem, ut pictorem, qui filii vestri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet: ita me quoque formate, regite, qui non fragilem & caducam, sed [2] immortalem, ut vos putatis, effigiem conor efficere: quæ hoc diuturnior erit, quo verior, melior, absolutior fuerit. *Vale.*

XI. C. PLINIUS JULIO GENITORI SUO S.

Artemidorus à Secundo bene affectus, beneficiorum memor, apud Julium Genitorem, maximis laudibus illum cumulaverat; quod per Genitorem edoctus Secundus, eidem rescribit non esse mirandum, cum ejus natura sit Artemidorus, ut amicorum facta in majus extollat: explicat tamen, quod pro eo periculum subierit.

EST omnino [3] Artemidori nostri tam benigna natura, ut officia amicorum in majus extollat: inde etiam meum meritum, ut vera, ita supra meritum prædicatione circumfert. Equidem cum essent philosophi ab urbe [4] summoti, fui apud illum in suburbano: & quo nota-

quo Ovidius utitur. Ac Cicero frequenter ad Atticum & Lentulum, & Livius lib. II. ab urbe condita, ac Valerius lib. V. *Catan.*

1 *Difficile, &c.*] Supplevi locum fide membranarum Francisci Modii. Prius erat: *in dolore. difficile, sed tamen, &c.* Grut.

2 *Immortalem.*] Literarum enim monumenta statuis diuturniora. Nec magis expressi vultus ahenea signa, Quam per vatis opus mores animique virorum Clarorum apparent. *Catan.*

3 *Artemidori.*] Fuit Artemidorus Daldianus (Daldis autem civitas Lydiæ) philosophus, qui somniorum interpretamenta libris quatuor, & augurandi disciplinam, ac chiromanticam scripsit. Alium Artemidorum cognomento Pseudaristophanium legimus coquinariarum dictionum collectorem. Artemidori meminit Martialis. *Idem.*

4 *Summoti.*] Domitiano jubente philosophi sunt ejecti non solum urbe, sed etiam Italia. Auctores habeo Tranquillum,

[1] notabilius hoc periculosiusque esset, fui prætor. pecuniam etiam, qua tunc illi ampliore opus erat, ut æs alienum exsolveret, contractum ex pulcherrimis causis, [2] mussantibus magnis quibusdam & locupletibus amicis, mutuatus ipse, gratuitam dedi. [3] Atque ita hoc feci, cum septem amicis meis aut occisis aut relegatis: (occisis, [4] Senecione, [5] Rustico, [6] Helvidio: relegatis, Maurico, [7] Gratilla, [8] Arria, [9] Fannia.) tot circa me jactis fulmi-

quillum, & Gellium. qua tempestate Epictetus quoque philosophus ob eandem causam Roma Nicopolim concessit. *Catan.*

1 *Notabilius hoc.*] Magis notari possem, ut criminari apud Domitian. *Idem.* *Et quo notabilius hoc, periculosiusque esset, fui prætor.*] Sic etiam, præter scriptos Modii, nisi quod is non agnoscat copulam *que*. Vulgati, *& quo notabilius, hoc est, periculosius esset.* quos tamen præfracte non damnaverim. *Gruter.*

2 *Mussantibus.*] Dubitantibus, verentibus. Nam mussare interdum vereri & dubitare: quandoque tacere, nonnunquam obmurmurare significat. Sic mussitare opinor verbum deductum, sicut mutus, ab (m) litera, quam dubitantes & muti exprimunt imprimis. *Catan.*

3 *Atque ita hoc feci, &c.*] Totus locus, qui ob pravam distinctionem hiulcus est, ita concipiendus: *Atque hæc feci cum septem amicis meis aut occisis aut relegatis:* (occisis Senecione, Rustico, Helvidio: relegatis Maurico, Cratilla, Arria, Fannia) tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus mihi quoque impendere *idem exitium certis quibusdam notis augurarer.* Casaub. *Atque ita hoc, &c.*] Revocavi scripturam Palatini confirmatam præterea auctoritate editionum exoletarum, vulgata recentius pessime distinxerat; habebatque *Atque hæc feci cum septem amicis, &c.* Secuta quidem Modii MSS. sed perperam. *Gruter.*

4 *Senecione.*] Herennio Senecione, de cujus interitu suprà. Fuit & Sossius, & Sempronius Senecio iisdem temporibus, & alii prius Seneciones. Senecio insuper herba, quæ à Græcis Erigeron vocatur. *Catan.*

5 *Rustico.*] Junio Aruleno Rustico, de quo pariter supra. Fuit & Junius Rusticus tradente Capitolino Stoïcus, præceptor Antonini Philosophi, domi militiæque pollens, quem idem Imperator in primis reverebatur. *Idem.*

6 *Helvidio.*] Hic fuit filius Helvidii Prisci, & à Domitiano occisus est: quod quasi scenico exordio sub persona Paridis & Oenones divortium Imperatoris cum uxore tractasset. *Idem.*

7 *Gratilla.*] Pomponia Gratilla Aruleni Rustici uxore, quæ postea exhæredato filio Assudio Curiano, legatum Secundo & cohæredibus reliquit. *Idem.*

8 *Arria.*] Arrias tres celebratas comperio: primam Cecinnæ Pæti uxorem, quæ marito & solatium mortis & exemplum fuit, secundam filiam prioris, & uxorem Pæti Thraseæ, quæ cognito Senatusconsulto adversus maritum & ipsa exemplum matris sequi voluit, ni à Thrasea esset admonita, ut viveret, & Fanniæ filiæ subsidium unicum esset, tertiam Arriam Fadidillam Antonini Pii, qui postmodum imperavit, matrem. Secundam Arriam nunc intelligit. *Idem.*

9 *Fannia.*] Duæ fuerunt, una quæ C. Marium captum jussu Minturnensium

[1] fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer. Non ideo tamen eximiam gloriam meruisse me, ut ille prædicat, credo: sed [2] tantum effugisse flagitium. Nam & [3] C. Musonium socerum ejus, quantum licitum est per ætatem, cum admiratione dilexi, & Artemidorum ipsum jam tum, cum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum: idque primum nonnullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem, aut proximum, simillimumque sapienti intelligere sum visus. Nam ex omnibus, qui nunc se philosophos vocant, vix unum aut alterum invenies tanta sinceritate, tanta veritate. Mitto qua patientia corporis, hyemes juxta, & æstates ferat, ut nullis laboribus cedat, ut nihil in cibo, in potu voluptatibus tribuat, ut oculos animumque contineat. Sunt hæc magna, sed in alio: in hoc vero, minima, si cæteris virtutibus comparentur: quibus meruit, ut à C. Musonio ex omnibus omnium ordinum assectatoribus gener adsumeretur. Quæ mihi recordanti est quidem jucundum, quod me cum apud alios, tum apud

sum detinuit in domo, altera Thraseæ & Arriæ filia Helvidio desponsata, quæ bis maritum secuta in exilium, tertio ipsa propter maritum relegata est. *Catan.*

1 *Fulminibus.*] Suppliciis violentis. Hanc rem tangit in fine panegyrici. *Utrumque*, inquit, *nostrum ille optimi cujusque spoliator & carnifex stragibus amicorum in proximum jacto fulmine afflaverat. Idem.*

2 *Tantum, &c.*] Ne amicum ab omnibus derelictum in calamitate, & ipse negligerem. An *tantum*, duntaxat? *Idem.*

3 *C. Musonium.*] C. Musonius Rufus, genere Tuscus, equestris ordinis, studium philosophiæ & Stoïcorum placita æmulatus, & Plautum ad constantiam mortis hortatus, studia juvenum præceptis sapientiæ fovebat. Bello Vitelliano legatis ad Antonium se miscuit, & in Publicum Celerem, quod Baream Soranum, falso testimonio circumventum arguebat, invectus est. Miror Suidam tradere Musonium Capitonem Thuscum ex oppido Vulsinio dialecticum & Stoïcum philosophum Apollonii Tyanei familiarem: quorum invicem multas extare epistolas propter arguendi libertatem summam à Nerone interfectum: cum Philostratus lib. II. prodiderit Musonium in insula Gyaro relegatum fecisse fontem ad quem omnes visendi causa concurrebant. Aut gitur aperte dissentiunt inter se, aut plures fuere Musonii, quod ex Philostr. lib. IV, & ex Euseb. Chronicis constat. *Idem.*

1 *Socra-*

apud te tantis laudibus cumulat. Veror tamen ne modum excedat, quem benignitas ejus (illuc enim unde cœpi revertor) non ſolet tenere. Nam in hoc uno interdum vir alioqui prudentiſſimus, honeſto quidem, ſed tamen errore verſatur, quod pluris amicos ſuos, quam ſunt, arbitratur. *Vale.*

XII. C. PLINIUS CATILIO SUO S.

A Catilio invitatus ad cœnam Secundus brevi epiſtola reſpondet, iis conditionibus ſe venturum, ut ſit brevis & frugi: nec in ſeveris ſermonibus modum excedat, cum ſit iturus ante lucem ad officia.

VEniam ad cœnam, ſed jam nunc paciſcor, ſit expedita, ſit parca, [1] Socraticis tantum ſermonibus abundet: in his quoque teneat modum. Erunt officia [2] antelucana, in quæ incidere impune, ne [3] Catoni quidem licuit. Quem tamen [4] C. Cæſar ita reprehendit, ut laudet. [5] Deſcribit enim, eos, quibus obvius [6] fuerat, cum

1 *Socraticis.*] Moralibus, amatoriis, jucundis, honeſtis, philoſophicis. Primus enim Socrates introduxit ethicam philoſophiam ad officia vitæ neceſſariam. *Catan.*

2 *Antelucana.*] Ante lucem. Varro in re ruſtica antelucanum tempus vocat gallicinium. ſic Apulejus, Antelucio volo ire, pro ante lucem dici. *Id.* *Erant officia antelucana, &c.*] Sic diſtingue: *Erant officia antelucana: in quæ, &c.* Hoc eſt, cœna eſt ejuſmodi, quæ non impediat officia ante lucem obeunda. Tale fuit officium antelucanum, de quo Epiſt. de Plinio ſupra: *Ante lucem ibat ad Veſpaſ. Imp.* Caſaubonus.

3 *Catoni.*] Uticenſi. Hic dum ad officia antelucana accederet, involuto capite à petulantibus juvenibus fuit reprehenſus. *Catan.*

4 *C. Cæſar.*] C. Julius Cæſar Dictator. Nam poſt necem Catonis, qui ſemet Uticæ confecit, M. Tullius laudem ejus complexus eſt lib. qui Cato Major dicitur. Hunc librum & propter ingentes viri virtutes & oratoris ſummam eloquentiam cum Cæſar videret amplecti, exorſus eſt duos anticatones, quibus crimina Catonis colligens (fuerat enim illi Cato in republ. hoſtis, ut qui Cæſaris tyrannida præſagiret) magnam in tantum virum iracundiam effudit. Sunt tamen, qui urbanitatis gratia, ut cum Cicerone contenderet, quam odio adverſus defunctum, ſcriptos opinentur. Anticatonum meminere Fabius, Tranquill. Juvenalis, Plutarchus & Servius. *Idem.*

5 *Deſcribit enim.*] Malim, *ſcribit enim*, ſyllaba *de* ex fine præcedentis vocis hujus initio male adhæſit. *Caſaubonus.*

6 *Fuerat.*] Pal. & Vetus editio, *fuerit.* Poterat tota illa vox abeſſe. *Gruterus.*

cum [1] caput ebrii retexissent, [2] erubuisse. Deinde adjicit, *Putares non ab illis Catonem, sed illos à Catone* [3] *deprehensos.* Potuitne plus auctoritatis tribui Catoni, quam si ebrius quoque tam venerabilis erat? Nostræ tamen cœnæ ut apparatus & impendii, sic temporis modus constet. Neque enim ii sumus, quos vituperare ne inimici quidem possint, nisi ut simul laudent. *Vale.*

XIII. C. PLINIUS ROMANO SUO S.

Panegyricam orationem, qua Trajano Consulatus accepti gratias egit, Voconio Romano emendandam mittit: & difficultatem in ea propter vulgatam jam materiam excusat.

LIbrum, quo nuper [4] optimo Principi Consul gratias egi, misi exigenti tibi, missurus etsi non exegisses. In hoc consideres velim, ut pulchritudinem materiæ, ita difficultatem. In cæteris enim lectorem novitas ipsa intentum habet: in hac, nota, vulgata, dicta sunt omnia: quo fit, ut quasi otiosus securusque lector tantum [5] elocutioni vacet: in qua satisfacere difficilius est, cum sola æstimatur. Atque utinam [6] ordo saltem

Ep. 5. L2, p. 9

1. *Caput Ebrii.*] Nam vino incaluit, & noctes bibendo amicis impartiebatur, cum toto die circa negocia publica occupatus esset. Unde Memnius quidam totas noctes Catonem ebrium esse dicebat: cui Cicero, Num addes eum dies totos ad aleam ludere? *Catan.* *Cum caput Ebrii, &c.*] Romani ferme aperto & nudo capite agebant. Sed molles, & valetudine impliciti illud tegebant: at qui latere & fallere cupiebant, vel obvolvebant; ut vel pudori, vel saluti suæ consulerent, cum ignorarentur. Cujus rei non pauca exempla inveniuntur. Sic igitur & Cato ex convivio in lucem tracto rediens, texit caput, ne nosceretur, & in ebrietatis ac intemperantiæ reprehensionem cum famæ discrimine incurreret. *Buchnerus.*

2 *Erubuisse.*] Verecundia confusos cum agnovissent esse Catonem. *Catan.*

3 *Deprehensos.*] Inventos in aliquo crimine. Nam secundum Senecam, quisquis objecit Catoni crimen, facilius eum fecit honestum, quam turpem. *Idem.*

4 *Optimo.*] Trajano, qui ob morum probitatem à Senatu Optimi cognomen meruit. *Idem.*

5 *Elocutioni vacet.*] Intentus sit rationi bene & apte dicendi. Est enim elocutio idoneorum verborum & sententiarum ad inventiones accommodatio, quæ suavitatem & gravitatem plurimam affert. *Idem.*

6 *Ordo.*] Qui rectus esse debet. Nam ut quæque gesta sunt prius, ita narranda præsertim in genere demonstrativo:

saltem & transitus, & figuræ simul spectarentur. Nam invenire præclare, enunciare magnifice, interdum etiam [1] barbari solent: disponere apte, figurare varie, nisi eruditis negatum est. Nec vero affectanda sunt semper elata & excelsa. Nam ut in pictura lumen non alia res magis quam [2] umbra commendat, ita orationem tam submittere, quam attollere decet. Sed quid ego hæc doctissimo viro? Quin potius illud, adnota, quæ putaveris corrigenda. Ita enim magis credam cætera tibi placere, si quædam displicuisse cognovero. *Vale.*

XIV. C. PLINIUS [3] ACILIO SUO S.

Exemplo Macedonis monet, non debere dominos erga servos truces esse, à quibus ille pene in balineo necatus, non multo post interiit: verum prius ultus est mortem suam, comprehensis & occisis interfectoribus.

REm atrocem, nec tantum [4] epistola dignam, Largius [5] Macedo, vir prætorius, à servis suis passus est,

strativo: in conjecturali non semper: & sententiose dicere sine verborum & ordine & modo, infantia est. *M. Tullius de Oratore.*

1 *Barbari.*] Imperiti, non callentes oratoriam. *Catan.* *Barbari.*] Prout Græcis omnes aliæ gentes etiam moribus cultissimis *Barbari* dicebantur. Vide Strabon. fin. lib. I. & med. lib. XIV. Cato apud Plin. XXIX. I. Nos quoque Græci *Barbaros* vocant.

2 *Umbra.*] Extrema circumlita corporibus, cum nec pictura in qua nihil circumlitum est, emineat. Ideoque artifices etiam cum plura in unam tabellam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpore cadant. præter hoc color ipse dicendi quamlibet clarius, multis tamen variis velut maculis conspergitur. Hunc locum Fabius lib. VIII. capite de generibus sententiarum latius tractat. *Cat.*

3 *Acilio.*] Acilios plures fuisse constat, sed maxime celebratum, qui navali ad Massiliam prælio injecta in puppem hostium dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos exemplum imitatus transiluit in navem, umbone obvios agens. Item Acilium poëtam, & Acilium Glabrionem consulem cum Trajano à Domitiano relegatum, & interfectum: ut Acilium Steneleum omittam, & quos jam alibi notavimus. *Idem.*

4 *Epistola.*] Sed tragœdia. *Idem.*

5 *Macedo.*] Apud JC. lego Macedonem fuisse virum scelestum: & cæteris malis, quæ illi natura administrabat, etiam æs alienum adhibuisse. Unde decretum Senatusconsultum Macedonianum, ne sæpe materiam peccandi hominibus malis præstaret. *Idem.*

eſt: ſuperbus alioqui dominus & ſævus, & qui ſerviſſe patrem ſuum parum, [1] immo minimum meminiſſet. Lavabatur in villa [2] Formiana. repente eum ſervi circumſiſtunt: alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus & ventrem: atque etiam (fœdum dictu) verenda contundit: & cum exanimem putarent, abjiciunt in [3] fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret. Ille, ſive quia non ſentiebat, ſive quia ſe non ſentire ſimulabat, immobilis, & extentus, [4] fidem peractæ mortis implevit. tum demum quaſi æſtu ſolutus effertur: excipiunt ſervi fideliores: concubinæ cum ululatu & clamore concurrunt. Ita & vocibus excitatus, & recreatus loci frigore, ſublatis oculis agitatoque corpore, vivere ſe (& jam tutum erat) confitetur. Diffugiunt ſervi, quorum magna pars comprehenſa eſt, cæteri requiruntur: ipſe paucis diebus ægre refocillatus, non ſine [5] ultionis ſolatio deceſſit, ita vivus vindicatus, ut occiſi ſolent. Vides quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis ſimus obnoxii, nec eſt quod quiſquam poſſit eſſe ſecurus, quia ſit remiſſus & mitis. Non enim judicio domini, ſed ſcelere perimuntur. verum hæc

1 *Imo minimum meminiſſet.*] Lipſius ad II. Hiſt. Taciti pro *minimum*, *nimium* legit. Neque vero enixi in altum ex humili ideo tantum ſuperbiam induunt, quod dememinerint fortunæ prioris, ſed quod meminerint maxime, dum ipſa illius memoria ſtimulos ſubjicit, utendi improbius ac impotentius felicitate præſenti. Veriti, ne, niſi id faciant, in ſortis priſtinæ vilitatem recidiſſe videri queant. Quæ ut non abſurde pro Lipſii conjecturâ afferri poſſint, putaverim tamen eâ de cauſſa poſſeſſione ſuâ lectionem veterem exturbandam haud eſſe. Namque & ea ſenſum ſuum, neque ineptum habet. *Buchner.*

2 *Formiana.*] Quam in agro Formiano habebat. Formiæ oppidum antiqua Læſtrigonum ſedes, cujus Lacones conditores prius Hormias à ſtatione frequenti appellantes: deinde aſpiratione in F mutata, dictæ ſunt Formiæ. Ejus littoris amœnitatem & crebras ſtationes Martialis lib. x. multis commendat. *Catan.*

3 *Fervens pavimentum.*] Peruſtum ſolum balinei. Pavire antiqui ferire dixerunt, à quo pavimentum ex crebra percuſſione. *Idem.*

4 *Fidem peractæ mortis implevit.*] Fecit fidem tanquam ſi vere mortuus eſſet. *Idem.*

5 *Ultionis.*] Quia ſervi ſunt puniti. Apud JC. multis quæritur, qui ſervorum veniant puniendi occiſo domino: ubi Ulpianus reſpondet, pariter condemnandos, qui ei auxilium non tulerunt, quoties potuerunt adverſus vim opem ferre. *Idem.*

hæc hactenus. Quid præterea novi? Quid? nihil, alioqui subjungerem. nam & charta adhuc superest, & dies feriatus patitur plura contexi. Addam, quod opportune de eodem Macedone succurrit, quum in publico Romæ lavaretur, notabilis, atque etiam ut exitus docuit, ominosa res accidit. Eques Romanus à servo ejus, ut transitum daret, manu leviter admonitus, convertit se, nec servum à quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam graviter [1] palma percussit, ut pene concideret. Ita balneum illi, quasi per gradus quosdam, primum contumeliæ locus, deinde exitii fuit. *Vale.*

XV. C. PLINIUS PROCULO SUO S.

Roganti Proculo, ut versus suos emendaret, & an publicandi essent, judicaret: respondet se libentissime suscepturum tale onus, jamque videri dignos editione, nisi deceptus fuerit suavi ejus recitatione.

Petis, ut libellos tuos in secessu legam, examinemque, an editione sint digni: adhibes preces, allegas exemplum. Rogas etiam, ut aliquid [2] succisivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis. Adjicis [3] M. Tullium mira benignitate poëtarum ingenia fovisse. Sed ego nec rogandus sum nec hortandus. nam & [4] poëticen ipsam religio-

1 *Palma percussit.*] Diversum ab exemplo Diogenis, qui cum vidisset adolescentem lascivum, percussit pædagogum tanquam hujus intemperantiæ auctorem. *Catan.*

2 *Succisivi.*] Subcisi, subtracti à rebus urgentibus. Vocabulum Apuleianum, quo M. Tullius, Tranquillus, Gellius etiam utuntur. Succisivum interdum significat reliquum, superfluum, inutile. *Idem.*

3 *M. Tullium.*] Extat adhuc oratio, pro Archia poëta. Fuit Cicero puer ad carmen non mediocriter inclinatus, ut libellis quibusdam versibus editis ingenium ejus primum eluxerit, postmodum in secessu hæc studia exercuit: & in urbe interdum non pauciores quingentis versibus per singulas noctes componere solitum tradiderunt. Multa transtulit ex Demetrio, & Aratum Latinum fecit. Balchionas, Uxorium, Nilum metro panxit. Sed quanto majorem laudem soluta oratione meruit, tanto minorem versu, invita (ut inquit Martialis) Minerva. *Idem.*

4 *Poëticen.*] Artem scribendæ poëseos. Distat hæc à poëmate & poësi, quod poëtica ars ipsa intelligitur, poëma autem pars operis, ut descriptio armorum Achillis; poësis contextus & corpus totius operis effecti,

ligiosissime veneror, & te validissime diligo. Faciam ergo, quod desideras, tam diligenter, quam libenter. Videor autem jam nunc posse rescribere, esse opus pulchrum, nec supprimendum, quantum æstimare licuit ex iis, quæ me præsente recitasti: si modo mihi non imposuit recitatio tua. legis enim suavissime & peritissime. Confido tamen, me non sic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei illarum delinimentis [1] restringantur, hebetentur fortasse & paululum [2] retundantur, revelli quidem, extorquerique non possunt. Igitur non [3] temere jam nunc de universitate pronuncio: de partibus experiar, legendo. *Vale.*

XVI. C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

Probat exemplo alia esse clariora, alia majora facta: nam Arria non minora fecit, dum viveret, quam dum moreretur, & tamen magis laudatur vox ejus porrigentis marito gladium, Pæte non dolet, ***quam dum mortuum filium viro ægrotanti vivum simulat, & exulem navicula prosequitur.***

ADnotasse videor facta, dictaque virorum, fœminarumque illustrium, alia clariora esse, alia [4] majora: confirmata est opinio mea hesterno Fanniæ sermone. neptis hæc Arriæ illius, quæ marito & solatium mortis & [5] exemplum fuit. Multa referebat aviæ suæ non minora hoc,

effecti, ut Ilias, Odyssea, Æneis. Sic Marcellus, Aphthon. Diomedes, Ephestio. Donatus autem putat poësin esse unius carminis plures libros. *Catanaus.*

1 *Restringantur.*] Reprimantur, minuantur. *refringantur*, ut est in aliquibus exemplaribus. *Idem.* *Restringantur.*] Haud aliter Palatin. neque secus editio antiquior, junior namque *refringantur.* Gruter.

2 *Retundantur.*] Refringantur. *Cat.* *Hebetentur fortasse, &c*] Est & hæc scriptura dictorum codicum. Novitii quippe *hebetantur & retunduntur.* Gruter.

3 *Temere.*] Frustra, inconsulte. Tranquillus pro *fere* posuit. *Nec temere*, inquit, *unquam triclinio abscessit.* In quem sensum pariter Plinius senior frequentius usurpavit. *Catan.*

4 *Majora.*] Reipsa plus virtutis habentia, sed minus nominis. *Idem.*

5 *Exemplum.*] Quia se prius interfecit. Martialis:

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
&c. Idem.

hoc, sed obscuriora: quæ tibi existimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt. Ægrotabat [1] Cæcinna Pætus, maritus ejus. Ægrotabat & filius, uterque mortifere, ut videbatur. Filius decessit eximia pulchritudine, pari verecundia, & parentibus non minus ob alia charus, quam quod filius erat. Huic illa ita [2] funus paravit, ita duxit exequias, ut ignoraret maritus. quinimmo quoties cubiculum ejus intraret, vivere filium atque etiam commodiorem esse simulabat. Ac persæpe interroganti, *quid ageret puer*, respondebat, *Bene quievit, libenter cibum sumpsit.* Deinde cum diu cohibitæ lacrymæ vincerent prorumperentque, egrediebatur. tunc se dolori dabat: satiata siccis oculis, composito vultu [3] redibat tanquam orbitatem foris reliquisset. Præclarum quidem illud ejusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pene divinam, [4] *Pæte non dolet.* Sed tamen ista facienti dicentique gloria & æternitas ante oculos erant: quo majus est sine præmio æternitatis, sine præmio gloriæ abdere lachrymas, operire luctum, amissoque filio matrem adhuc agere. [5] Scribonianus arma in Illy-

1 *Cæcinna Pætus.*] Decipiuntur, qui existimant Arriam in morte sua & mariti constantia celeberrimam Pæti Thraseæ uxorem, cum non hæc, sed ejus filia pari nomine Arria fuerit. Illos autem fefellit, quod uterque & Cæcinna & Thrasea cognominatus est Pætus, opinantes unum tantum fuisse Pætum. Apud Dionis abbreviatorem mendose scriptum est de Arria γυνὴ κεκίννε ὑπάτε pro γυνὴ κεκίννε παίτε, id est, *uxor Cæcinni Pæti.* Cat.

2 *Funus.*] Exequiarum pompam, aliquando ipsum officium significat, interdum cadaver. Sic appellatum, auctoribus Donato & Servio, à Funalibus, quæ intra ceram sunt. Nam Funes incensos majores nostri mortuis præferebant. Generalius est funus quam exequiæ. *Idem.*

3 *Redibat.*] Ad maritum. *Idem.* *Redibat.*] Sic omnis editio paulo antiquior, ridicule junior quædam *ridebat.* Gruterus.

4 *Pæte non dolet.*] Ne moveatur aliquis præter literarum regulas Secundum dixisse, *dolet vulnus*, cum Martialis idem argumentum tractans pariter dixerit, sicut lib. undecimo, dentes dolere Glyceræ: & duodecimo, non aures dolere sed capillos. Plinius in mustellaria, Cor dolet. *Catan.*

5 *Scribonianus.*] Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum civile molitus legiones multas ad Sacramenti mutationem pellexerat, & cum

[1]Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Pætus in partibus, & occiso Scriboniano, Romam trahebatur. Erat ascensurus navem, Arria milites orabat, ut simul imponeretur. *Nempe enim* (inquit) *daturi estis Consulari viro servulos aliquos, quorum è manu cibum capiat, à quibus vestiatur, à quibus calcietur. Omnia sola præstabo.* Non impetravit. Conduxit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo secuta est. Eadem apud Claudium, [2]uxori Scriboniani, cum illa profiteretur indicium, *Ego* (inquit) *te audiam, cujus in gremio Scribonianus occisus est? & vivis?* Ex quo manifestum est, ei consilium pulcherrimæ mortis [3]non subitum fuisse. Quinetiam cum [4]Thrasea gener ejus deprecaretur, ne mori pergeret: interque alia dixisset, *Tu vis ergo filiam tuam, si mihi [5]pereundum fuerit, mori*

cum non dubitasset citra bellum Claudium Imperatorem posse terreri, contumeliosa & minaci epistola eum cedere Imperio jubet, vitamque ociosam in privata re gerere: Dubitavit Claudius adhibitis principibus viris, an obtemperaret? sed die dicto ut in unum undique ad novum Imperatorem conveniretur, neque Aquilæ ornari, neque convelli, quoquomodo signa moverive potuerunt, exercitus tanta & tam insitata fide miraculi motus & in pœnitentiam versus imperatorem Scribonianum quinto statim die destitutum interfecit, seseque sacramento prioris militiæ continuit. Hæc sumta à Paulo Orosio, & Tranquillo. *Idem.*

1 *Illyrico.*] Illyris provincia Pannoniam septentrionem versus, meridiem vero Adriaticum mare distermipat: optimis portubus propter adjacentes insulas illustrata. Nota ab aliis dici mota esse arma in Dalmatia, à Secundo in Illyrico. Sunt autem provinciæ contiguæ. quare probata lectio est arma Illyrico moverat, ut ex Dalmatia, quam obtinebat, Illyricum invaserit. *Idem.*

2 *Uxori.*] Juniæ, quæ defectionis Scriboniani conscia, relegata est. Quæ vestigatiens annexa est etiam crimini, quo deinde filius in exilium actus est. *Idem.*

3 *Non subitum.*] Sed multo ante prævisum, & ex rebus anteactis decretum. *Idem.*

4 *Thrasea gener.*] Thrasea Pætus, Patavii ortus, vir egregius, & malis temporibus clarus. Nam exercebantur miris modis inter Neronem & Thraseam inimicitiæ. Verum cuidam multa criminose jactanti, atque causam suam perperam judicasse dicenti, obstitit Nero, tantumque abfuit criminibus de inimico contra veritatem assentiri, ut exclamaverit, utinam tam me Thrasea diligat, quam judex æquus & rectus est! huic Cecinna filiam Arriam desponsavit, ex qua Fanniam suscepit. *Id.* Vide Tac. in Annal.

5 *Pereundum.*] Violenter. Nero virtutem ipsam exscindere concupiscens Thraseæ infensus, accedentibus causis, quod Senatu egressus, antequam aliud decerneretur, quum legeretur epistola de matris Agrippinæ nece, & de natali ejus, ut inter nefastos esset,

[1] *mori mecum?* Respondebat, *si tamdiu, tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Pæto, volo.* auxerat hoc responso curam suorum. Attentius custodiebatur, sensit, &, *nihil agitis*, inquit, *Potestis enim efficere ut male moriar: ne moriar, non potestis.* Dum hæc dicit, [2] exiluit cathedra, adversoque parieti, caput ingenti impetu impegit & corruit. Refocillata, *dixeram*, inquit, *vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.* Videnturne hæc tibi majora illo, *Pæte non dolet.* ad quod per hæc perventum est. Cum interim illud quidem ingens fama, hæc nulla circumfert. Unde colligitur, quod initio dixi, alia esse clariora, alia majora.

XVII. C. PLINIUS [3] SERVIANO SUO S.

Anxius pro salute Serviani, quod jampridem nihil scriberet, rogat, ut statim tabellario misso nunciet, quid faciat.

RECtene omnia, quod jampridem epistolæ tuæ cessant,

referretur, quod in municipio suo egisset Tragœdiam more patrio in quodam festo, &c. Cum igitur ei mortis arbitrium datum esset, Quæstor consulis ad eum in hortis agentem missus, etiam tum maxime intentum Demetrio, cynicæ institutionis doctori, donec advenit Domitius Cæcilianus ex intimis, & illi, quid Senatus censuisset, exposuit. Vocato igitur propius Quæstore, & utriusque brachii venis incisis effuso cruore humum spargens, Libemus, inquit, Jovi Liberatori. Dicere solebat, parcere Neronis adulatoribus, si ideo possent crudelitatem ejus fugere: sed cum pariter & ipsi trucidarentur, melius esse non serviliter perire, cum fama post se duratura esset, illorum vero tantum, quod jugulati essent. Hæc ex Tacito, Dione & Plutarcho. *Catan.*

1 *Mori mecum?*] Thrasea uxorem Arriam tentantem mariti suprema, & exemplum Arriæ matris suæ, sequi: monuit retinere vitam, filiæque Fanniæ communi subsidium unicum non adimere, quæ viri dicto obediens usque ad Trajani tempora supervixit. *Tacitus* Annal. lib. XVI.

2 *Exiluit cathedra.*] Est à Pal. Nam omnes vulgati *cathedram*, de qua Phrasi Henricus Stephanus. *Gruter.*

3 *Serviano.*] Non mediocriter dubitandum Severiano, an Serviano scripta fuerit epistola? Nam utrumque nomen sæpe legitur. In exemplaribus etiam Mss. Secundus lib. III. Servianum virum exactissimum nominat. Spartianus sæpius in Adriano refert Servianum virum summæ auctoritatis. Nam Julius Servianus legatus Pannoniæ sub Trajano fuit, & eo imperante bis consulatum gessit, semel cum Subsurano. Illi Adriani so-

sor

ſant, [1] *an omnia recte? ſed occupatus es tu?* an tu non occupatus? ſed occaſio ſcribendi vel rara vel nulla? Exime hunc mihi ſcrupulum, cui par eſſe non poſſum. Exime autem vel data opera tabellario miſſo, ego [2] viaticum, ego etiam præmium dabo, nuntiet mihi modo, quod opto. Ipſe valeo, ſi valere eſt ſuſpenſum & anxium vivere, expectantem in horas, timentemque pro capite amiciſſimo, quicquid accidere homini poteſt. *Vale.*

XVIII. C. PLINIUS [3] SEVERO SUO S.

Severo ſcribit, in Senatu orationem Panegyricam dixiſſe, deinde recitaſſe quibuſdam amicis cum ſumma auditorum attentione: quare & principem Trajanum & ſua tempora laudat, quibus ſpretis adulationibus gravia & ſevera placerent.

OFficium Conſulatus injunxit mihi, ut Reip. nomine Principi gratias agerem. quod ego in Senatu, cum ad rationem & loci & temporis ex more feciſſem, bono

ror Paulina nupſit, cui is Imperator tantum detulit, ut venienti de cubiculo ſemper occurrerit. Filiam habuit, quam Fuſco Salinatori deſtinavit. Cum incidiſſet Adrianus in morbum lethalem, factus de ſucceſſore ſolicitus primum de Serviano cogitavit, poſtea quaſi affectatorem imperii, quod ſervis regis cœnam miſiſſet, quod in ſedili regio juxta lectum poſito ſediſſet, quod erectus ad ſtationes militum ſenex nonagenarius proceſſiſſet, mori coëgit: re vera ne ſibi ſuperſtes eſſet. *Catan.*

* *Rectene omnia.*] Totum hujus epiſtolæ principium ita depravatum eſt in omnibus, credo, codicibus, ut Oedipo videatur opus. Planiſſimus autem erit, ſi ſic legas & diſtinguas: *Rectene omnia, quod jam pridem epiſtolæ tuæ ceſſant, an omnia quidem recte, ſed occupatus es tu? An tu non occupatus, ſed occaſio ſcribendi vel rara vel nulla?* Potes & ita: *Rectene omnia (quod jam pridem epiſtolæ tuæ ceſſant) annon omnia recte? Vel occupatus es*, illud *quo jam pr.* perinde eſt, acſi diceret, hoc quæro quod jam pridem. *Caſaub.*

1 *An omnia recte; ſed occupatus es tu?*] Sic omnibus literis Pal. Ante cuſi, *an non omnia recte? ſed occupat.* Gruter.

2 *Viaticum.*] Viæ neceſſariam impenſam, quæ proficiſcenti erogatur. Græci ἐφόδιον dixere: ſed interdum pro facultate & paratu Latini ſunt uſi: ſicut illi ἐφόδιον παιδείας ὁ πλοῦτος καὶ κακίας, id eſt, *facultas virtutis divitiæ & vitii.* Apulejus lib. VII. viagium pro itinere uſurpavit. *Catan.*

3 *Severo.*] Severos per ea tempora multos fuiſſe comperio, Curtium Severum præfectum recitat Tacitus. Septimi Severi doctrinam laudat Statius in ſylvis. Severum doctum fuiſſe, Martialis lib XI. teſtatur, & Decium Severum imperante Severo claruiſſe Juriſconſultus tradit. *Idem.*

bono civi convenientissimum credidi, eadem illa [1] spatiosius & uberius volumine amplecti. primum, ut Imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur: deinde ut futuri principes non quasi à magistro, sed tamen sub exemplo præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti. Nam præcipere qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac prope superbum est: laudare vero optimum principem, ac per hoc posteris, velut è [2] specula, lumen quod sequantur ostendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil. Cepi autem non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per [3] libellos, sed si commodum esset, & si valde vacaret, admoniti (nunquam porro, aut valde raro, vacat Romæ, aut commodum est audire recitantem) fœdissimis insuper tempestatibus per biduum convenerunt. cumque modestia mea finem recitationi facere voluisset, ut adjicerem tertium diem, exegerunt. Mihi hunc honorem habitum putem, an studiis? studiis malo, quæ prope [4] extincta refoventur. At cui materiæ hanc sedulitatem præstiterunt? [5] nempe quam in Senatu quoque, ubi perpeti necesse erat, gravari tamen vel puncto temporis solebamus, eadem nunc & qui recitari, & qui audire triduo velint, inveniuntur: non quia eloquentius quam prius, sed quia liberius, ideoque etiam libentius scribitur.

quâ

eandem

1 *Spatiosius.*] Pluribus verbis. Hoc repugnat illi epistolæ ex lib. 1. qua asserit oratores plura egisse, quam edidisse. Quod tamen sic potest excusari, quod illis oratoribus priscis datæ erant liberæ perendinationes, ita ut quantum voluissent dicere, potuissent. At Plinii seculo intra constitutum tempus dicebant. *Catan.*

2 *Specula.*] Loco edito è turri. Translatio à navigantibus, qui solent dirigere cursum suum ad lampadem, in specula portus accensam. *Idem.*

3 *Libellos.*] Supplicationes ut, *Codicilli* epistolæ sunt. *Idem.*

4 *Extincta.*] Deperdita superiorum principum sævitia præsertim liberiora studia: ut (vetus comœdia, &) satyra, & historia. *Idem.*

5 *Nempe.*] Præstiterunt ei materiæ hanc sedulitatem, quam quoque præstiterant in Senatu, cum primum dixi: perinde ac si inferret, quod non tantum deberent capi in recitatione ejus orationis, quam semel audiverant. *Idem.*

1 Hæc

tur. Accedet ergo hoc quoque laudibus Principis nostri, quod res antea tam invisa quam falsa, nunc ut vera, ita amabilis facta est. Sed ego cum studium audientium, tum judicium mire probavi. Animadverti enim severissima quæque vel maxime satisfacere. Memini quidem, me non multis recitasse quod omnibus scripsi: nihilominus tamen, tanquam sit eadem omnium futura sententia, [1] hac severitate aurium lætor. Ac sicut [2] olim [3] theatra male musicos canere docuerunt, ita nunc in spem adducor posse fieri, ut [4] eadem theatra bene canere musicos doceant. Omnes enim qui placendi causa scribunt, qualia placere viderint, [5] scribent. Ac mihi quidem confido in hoc genere materiæ lætioris styli constare rationem cum ea potius, quæ pressius & adstrictius, quam illa quæ hilarius & quasi exultantius scripsi, possint videri accersita & inducta. Non ideo tamen segnius precor, ut quandoque veniat dies (utinamque jam venerit) quo [6] austeris illis severis-

1 *Hac severitate aurium.*] Judicio audientium libenter severa scripta. *Idem. Aurium.*] Ita dicit, quia aurium judicium est superbissimum. Vid. Cicer. in Orat.

2 *Olim.*] Sc. *sub Nerone*, qui cantu & musica oblectatus adeo, ut in certamen sæpius descenderit, & adversarios quasi plane ejusdem conditionis observarit, captarit, infamarit, maledictis incesserit: ac, si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solitus fuerit. Inde pessimum cantandi genus, dum principi male cantanti cedunt, introductum. fuit enim exiguæ & obscuræ vocis. Quare, postquam theatra in barbaros mores fluxere, & multum à prioribus destivere, publice ipsa musica defecit: paucique sciunt, qualis olim fuerit: nunc musicæ modi pessimi introducti, quibus, qui utuntur pro humanitate molles fiunt, pro temperantia libidinosi. *Aristoxenus* apud Athenæum.

3 *Theatra.*] Quæ instituta sunt ad Deorum immortalium ludos, & populi voluptatem, id græcorum inventum, unde etiam nomen Latine arena dicitur: nulla ferme Italiæ civitas fuit nobilis, quæ theatro careret. *Catan.*

4 *Eadem theatra.*] Translatio à theatris adscripta, cujus sensus: sicut olim mali principes coëgerunt oratores ad maledicendum, dum volunt adulari sibi, ita nunc confido optimum Imperatorem nostrum fieri auctorem bene dicendi. *Idem.*

5 *Scribent. Ac mihi, &c.*] Pone *τελείαν στιγμὴν* post *scribent.* & lege, *ac mihi q.* deinde distingue ita, *inducta non ideo t.* pendet enim sententia. *Casaubonus. Scribent. Ac mihi, &c.*] Sic editiones vetustiores. Recentiores: *scribent. At mihi, &c.* nullo sensu idoneo. *Gruter.*

6 *Austeris illis, severisque.*] Veris scriptis, sed auditu severioribus, qualis satyra & antiqua comœdia, cujus sub Trajano scriptor extitit Virg. Romanus. Austero contrarium est dulce. *Cat.*

verisque dulcia hæc blandaque vel justa possessione decedant. Habes acta mea tridui, quibus cognitis volui tantum te voluptatis absentem, & studiorum nomine, & meo capere, quantum præsens percipere potuisses. *Vale.*

XIX. C. PLINIUS [1] CALVISIO RUFO SUO S.

Hæsitabundus, an prædia suis vicina emeret, Claudium Rufum amicum consulit: exponens, quæcunque ad emendum illa solicitarent, & quæ deterrerent.

ASSUMO te in consilium rei familiaris, ut soleo. Prædia agris meis vicina, atque etiam inserta venalia sunt: in his me multa solicitant, aliqua nec minora deterrent. Solicitat primum ipsa pulchritudo jungendi: deinde, quod non minus utile quam voluptuosum, posse utraque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem [2] procuratore, ac pene iisdem [3] actoribus habere, unam villam colere & ornare, [4] alteram tantum tueri. Inest huic computationi sumptus supellectilis, sumptus [5] atriensium, [6] topiariorum, fabrorum, atque etiam

1 *Calvisio.*] Multi codices habent Clausium Rufum, alii Calvisium, quem supra legimus contubernalem Secundi. *Catan.*

2 *Procuratore.*] Rei rusticæ curatore, cujus imperio subjacet villicus: verum & pro custode alicujus rei necessariæ, ut foetus apum, Columella posuit; At Lampridius & multi pro eo, qui rationes vectigalium principum servat. *Id.*

3 *Actoribus.*] Quod probo, cum apud JC. actor pro villico accipiatur, quale illud, actori suo Antiocho data libertate. Quinimmo etiam Columella ita accepit: *Sed nec conditum cura, fide, rationibus inferunt: ita ut & actor & familia peccent, & ager sæpius infametur.* Idem.

4 *Alteram, &c.*] (Rusticam villam) reparare, ne corruat. Nam villarum alia civica, in qua cives æstatis tempore, alia rustica, in qua cultores agrorum inhabitant. Item fructuaria, in qua fructus & reditus agrorum reponuntur. *Idem.*

5 *Atriensium.*] Qui habebant curam atrii & supellectilis. Nam janitores atrienses dixit Apulejus lib. de mundo, & Columella. Tum insistere jubet atriensibus ut supellectilem exponant. Ulp. in familia atriensem numerat, & asserit fuisse in villa cultiori: sicut scoparios, viridarios, & topiarios. *Idem.*

6 *Topiariorum.*] Artificum traducendarum & formandarum arborum, ac herbarum in varias formas & circinnos. Plinius senior lib. XII. *ficus Indica vastis diffunditur ramis, quorum pondera adeo in terram curvantur, ut anno spatio figantur, notamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbes quodam*

etiam venatorii [1] instrumenti: quæ plurimum refert, unum in locum conferas, an in diversa dispergas. Contra, vereor ne sit incautum, rem tam magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere. Tutius videtur, [2] incerta fortunæ [3] possessionum varietatibus experiri. Habet etiam multum jucunditatis soli cœlique mutatio, ipsaque illa peregrinatio [4] intersita. Jam, quod deliberationis nostræ caput est, agri sunt fertiles, pingues, aquosi. Constant campis, vineis, sylvis, quæ [5] materiam & ex ea reditum sicut modicum, ita [6] statum præstant. Sed hæc felicitas terræ, [7] imbecillis cultoribus fatigatur. Nam possessor prior sæpius vendidit pignora: & dum [8] reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in posterum exhausit, qua-

dam topiario opere. Fortasse à funiculis dictus est topiarius, quibus in opere utitur. Nam teste Pausan. ait topia dici. Topiarium opus non in viridiis tantum, sed & in scenis satyricis antiquitas struxit, quæ ornatæ arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus in topiarii cœli speciem transformabantur. *Catan.*

1 *Instrumenti.*] Comparati ad venationem, quæ proprie ferarum est: nam aucupium minus virile. Ulp. ff. XXXIII. Si in agro venationes sint, puto venatores quoque & vestigatores, & canes, & cætera, quæ ad venationes sunt necessaria, instrumenti vocabulo contineri. Maxime si ager ex hoc reditum habet, unde jure Secundus venatorium instrumentum dixit. *Idem.*

2 *Incerta fortunæ.*] Incertitudinem fortunæ, ac temporum mutationes. *Idem.*

3 *Possessionum varietatibus.*] Habere possessiones in diversis locis: ut si calamitas unam aliquam opprimat, alia diversitate cœli grandinem evitet. *Idem.*

4 *Intersita.*] Interposita, vicissitudinaria. *Idem.* *Intersita.*] Puto legendum, *inter sua.* Senec. Epist. xc. *Licet in provinciarum spatium rura dilatet, & possessionem vocet per sua longam peregrinationem.* Gronov.

5 *Materiam.*] Ligna. ὕλη apud Græcos materiam & sylvam significat, & nostri pro ligno sæpe utuntur, ut Cato. Columella etiam pro pampinis, qui relinquuntur vitis constituendæ vel substituendæ causa. Ulp. ff. XXXII. Ligni appellatio nomen generale est, sed sic separatur, ut sit aliud materia, aliud lignum: materia est, quæ ad ædificandum fulciendumque necessaria est: lignum, quicquid comburendi causa paratum est. *Catan.*

6 *Statum.*] Certum, firmum. Nam statæ observationes, & feriæ certis diebus constitutæ dicuntur. *Idem.*

7 *Imbecillis.*] Pauperibus, debilibus colitur, exercetur. *Idem.*

8 *Reliqua colonorum.*] Debita contracta à colonis. Sic enim Jurisconsulti usurpare solent. Pomp. de Statu lib. *Rationem reddere jussus, reliquum, quod apparet, solvit: de eo quod obscurius est, satisfacere paratus est.* Idem. Est etiam, ubi *reliqua* pro reliquiis usurp. Sic *reliqua corporis.* Victor de Cæsar. cap. XX. f.

1 *Rubus*

quarum defectione [1] rubus & aliqua incommoda creverunt. [2] Sunt ergo instruendi complures frugi mancipes. nam nec ipse usquam [3] vinctos habeo, [4] nec ibi quisquam superest. Ut scias quanti videantur posse emi, [5] Sestertio tricies, non quia non aliquando quinquagies fuerint, verum & hac penuria colonorum & communi temporis iniquitate, ut reditus agrorum, sic etiam precium retro abiit. Quæris, an hoc ipsum tricies facile colligere possimus? [6] Sum quidem prope totus in prædiis, [7] aliquid tamen

1 *Rubus.*] Arbor mora producens. Namque curvatus gracilitate nimia simul proceritate defigit rursus in terram caput, iterumque nascitur ex sese repleturus omnia, nisi resistat cultura prorsus, ut possint videri homines terræ causa geniti, ita pessima atque execranda res propaginem docuit, atque radicem acquiri viridem. Ejus autem plura genera, inter quæ illud, quod Theophrastus canis rubum, Palladius rubum caninum appellat. Fuit in alia lectione *rursus reliqua creverunt*, scilicet debita in majus aucta fuere, quam magis probo. *Catan.*

2 *Sunt ergo, &c.*] Mancipes sunt coloni, qui agros mercede conducunt. Vide Cicer. ad Rufum. *Idem. Sunt ergo, &c.*] Librorum editorum margini adlinitur: *instruendi eo plures, quod frugi mancipiis colitur. nam, &c.* Sed enim illud *colitur* non visitur in ulla editione, habetque Palatinus: *instruendi eo plures, quod frugi mancipes. nam, &c.* Gruter. *Instruendi complures, &c.*] MSS. ut Gruterus è Pal. notat, *eo plures, quod frugi.* Scribo: *Sunt ergo instruendi eo pluris, quod frugi, mancipes.* Eo majore pecunia opus est ad eos instruendos, quod frugi sunt, & qui serviunt, liberaliter; non compediti de ergastulis. *Gronov.*

3 *Vinctos.*] In compedibus, quibus vincti servi ad agriculturam destinabantur. Eos autem oportebat secundum rei rusticæ præcepta non esse formidolosos, non animosos, non socordes, neque somniculosos. Id genus culturæ Plinius senior lib. XVIII. cap. 3. reprehendit: *At nunc*, inquit, *agros, vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Catan.

4 *Nec ibi, &c.*] Vix est, ut non debeat interpungi: *nec ibi quisquam. Superest ut scias, &c.* Gruter.

5 *Sestertio tricies.*] Sume extrinsecus emi possunt. Nam amico omnia detegit, ut melius consulat. *Sestertio tricies.*] Tricies centenis millibus nummum. Tricies autem syncopatum pro triginties profertur. *Catan.*

6 *Sum quidem, &c.*] De semetipso dixit Plinius, quod de opibus suis intelligebat. Similis ratio est, cum Suetonius *Venales pendere* dicit, quorum bona venum proposita. Et cum Virgilius Ucalegonta ardere dixit, cujus ædes ardebant. Sensus est. Sunt quidem opes meæ partem maximam in prædiis sitæ; sed tamen & aliquid in fœnore habeo: quod si non sufficit, sine molestia mutuum sumere à socru possum. *Buchnerus.*

7 *Aliquid tamen, fœnore.*] Placet mihi validissime *Lectii* conjectura, qui trajectis litterulis duabus ita hunc locum emendat; *Sum quidem* prope totus in prædiis; aliquid tamen fœnero: nec molestum erit mutuari. Verum quidem est, ait Plinius, magnam partem opum mearum in prædiis esse sitam; sed tamen in nominibus aliquid habeo,

tamen fœnore: nec molestum erit mutuari. accipiam à socru, cujus arca non secus ac mea utor. Proinde hoc te non moveat, si cætera non refragantur: quæ velim quam diligentissime examines. Nam cum in omnibus rebus, tum in disponendis facultatibus plurimum tibi & usus & providentiæ superest. *Vale.*

XX. C. PLINIUS [1]MESSIO MAXIMO SUO S.

Monet amicum Messium comitiorum ordinem immutatum, neque per aperta suffragia, sed tacitam tabellam creari magistratus: & verendum, ne inde vitia oriantur. quod postea evenisse, per epistolam ad eundem lib. IV. significat, in primis seculi malas artes taxans, & Trajani curam circa publica valde commendans.

MEministine te sæpe legisse quantas contentiones excitarit [2]lex tabellaria? quantumque ipse latori vel gloriæ, vel reprehensionis attulerit? At nunc in Senatu sine ulla dissensione [3]hoc idem, ut optimum placuit. Omnes

habeo, quod tamen ipsum si non sufficiat, mutuabor à socru. *Casaubon.*

Aliquid tamen, fœnore.] Forte legendum, *aliquis tamen fœnore*, sive, *in fœnore*: ut *aliquis*, τῷ *totus* respondeat. Quanquam utrumque dicitur, & *esse aliquem & esse aliquid.* Buchner.

1 *Messio.*] Paulus de jure fisci refert Messium fuisse Jurisconsultum: marmoreæ veterum inscriptiones Messium Rusticum curatorem alvei, & riparum Tyberis, & cloacarum urbis Romani populi Adriano Augusto Imperante: at in monumentis Brixianorum legi T. Messium Licianum. sicut apud Forumjulii L. Geminium Messium curatorem ærarii Mediolanensis. In vetusto codice Metium Maximum invenio. Tranquillus Metium recitat, in quem fuit illud notabile dictum Domitiani, *Vellem tam formosus esse, quam Metius sibi videtur.* Catan.

2 *Lex tabellaria.*] Qua populus per tabellam suffragium ferebat; cum prius non viritim, sed per curias convocatus magistratus crearet: & quod pluribus visum esset curiis, ad Senatum referebatur. Lex autem tabellaria, quæ & Cassia dicta est, quod Cassius Longinus hanc tulit, C. Mario Cn. Flacco Coss. cavebat non voce, sed puncto debere fieri suffragia: quæ antiqui non scripto, ut postea in cistam tabellas suas conjicientes, easque candidati cui favebant insculptas literas habentes, sed puncto in tabellam facto notabant: quod M. Tullius pro Plancco ostendit, & Horatius in arte: *Omne tulit punctum*, id est, omnium tribuum suffragium habuit. *Idem.*

3 *Hoc idem, &c.*] Malim, quod est in Palatino, & exoletis edd. *hoc idem, ut opt.* Gruter.

1 Comi-

Omnes [1] comitiorum die tabellas postulaverunt. Excesseramus sane manifestis illis apertisque [2] suffragiis licentiam concionum. non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. magni undique dissonique clamores. Procurrebant omnes [3] cum suis candidatis. multa agmina in medio, multique circuli & indecora confusio: adeo desciveramus à consuetudine parentum, apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla, majestatem loci, pudoremque retinebant. Supersunt [4] senes, ex quibus audire soleo hunc ordinem comitiorum, Citato nomine candidati, silentium summum, dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes & laudatores dabat: vel eum sub quo [5] militaverat, vel eum, cui [6] quæstor fuerat, vel utrumque, si po-

1 *Comitiorum die.*] Quo die populus coibat ad creandos magistratus: inde comitiales dies sunt dicti, quibus cum populo agi licebat. Nundinis enim comitia haberi non poterant, neque mundo patente. Solebant autem auspicari de mense Martio, secundum alios etiam alio tempore: consularia sequebantur prætoria & ædilitia. Quidam etiam testantur consularia comitia aliquàndo facta VI. Calend. Augusti. Et comitiorum alia calata dicebantur, quæ pro collegio pontificum, aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa habebantur: alia curiata, cum ex generibus omnium suffragium ferebatur, quæ per lictorem curiatim vocabantur: alia centuriata, cum ex censu & ætate, ea per cornicinem vocari solebant. Hæc *Gellius*.

2 *Suffragiis.*] Viva voce & sententiis palam dictis. Hoc enim primum in usum venerat apud Romanos, ut in creatione magistratuum sententiæ ferrentur viritim, eadem vi, eodemque jure promiscue ab omnibus à Servio rege postea gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. *Catan.* Vid. Flor. lib. 1. c. 6.

3 *Cum suis candidatis.*] Lege Fabia à Fabio lata adjecta est pœna illis, qui non certo numero, ut ante fuerant definiti, deducerent & sectarentur in comitia candidatos. *Catan.*

4 *Senes.*] Qui fortasse sub Augusto hoc viderant. Nam is referente Tranquillo quoties magistratuum comitiis interesset tribus cum candidatis suis circuibat, supplicabatque more solenni. Ferebat & ipse suffragium in tribus, ut unus è populo. *Idem.*

5 *Militaverat.*] Novimus Romanos auspicari solitos honores à militia. Sic Cæsar Dictator sub Servilio Isaurico primum meruit. Sic Secundus Tribunatum militum gessit. Nam primo ad militiam, deinde ad quæsturam procedebant antiqui. *Idem.*

6 *Quæstor.*] Hic fuit primus honorum urbanorum gradus. Quæstor autem Latinum nomen est Pomponio JC. referente, eo quod inquirendæ & conservandæ pecuniæ causa crearetur. Quæstorum alii erant urbani, qui pecunias publicas in ærarium referebant, alii Provinciales, Proconsulibus & Prætoribus dati ad pecuniam publicam

poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus: illi graviter & paucis loquebantur. Plus hoc, quam preces proderat. Nonnunquam candidatus aut [1] natales competitoris, aut [2] annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat Senatus gravitate censoria: ita sæpius digni, quam gratiosi prævalebant. Quæ nunc immodico favore corrupta, ad tacita suffragia, quasi ad remedium, decurrerunt. quod interim plane remedium fuit. erat enim novum & subitum. Sed vereor, ne procedente tempore ex ipso remedio vitia nascantur. Est enim periculum, ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quoto cuique eadem honestatis cura secreto, quæ palam? Multi famam, conscientiam pauci verentur. Sed nimis cito de futuris: interim beneficio tabellarum habebimus magistratus, qui maxime fieri debuerunt. Nam ut in [3] recuperatoriis judiciis,

cam conservandam. Origo quæstoribus creandis antiquissima est, & pene ante omnes magistratus. Nam Ulpianus asserit ex testimonio Junii Gratiani lib. VII. de potestatibus ipsum Romulum & Numam Pompilium binos quæstores habuisse, quos iidem reges non sua voce, sed populi suffragio crearunt. Sicut vero dubium est, an Romulo & Numa Pompilio regnantibus Quæstor fuerit, ita à Tullo Hostilio rege quæstores fuisse creatos certum est, & sane crebrior apud veteres opinio est. Vid. Jun. Trebat. Fenestell. & alios. Quæstor etiam frumenti erat, qui in summa caritate, ut urbs abundaret annona, curare debebat, & esse negociatoribus comis, mercatoribus justus, municipalibus liberalis, sociis abstinens, & quia de capite civis Rom. injussu populi non erat permissum lege Consulibus jus dicere, propterea Quæstores constituebantur à populo, qui capitalibus rebus præessent: ii appellabantur Quæstores parricidii. *Catan.* Conf. etiam Bernegg. in notis ad Suet.

1 *Natales.*] Obscuros parentes, conferendo suos cum natalibus competitoris. Tale quid Cicero pro Murena declarat, *Summam*, inquit, *video in te esse, Servi Sulpiti, dignitatem generis, integritatis, industriæ, cæterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad Consulatus petitionem aggredi par est.* Catan.

2 *Annos.*] Nimium teneros, vel præmaturos. Nam lege annaria, quæ annorum modum in petendis honoribus definiebat, cautum, ne omnis ætas ad dignitates admitteretur: interdum tamen, ut in Scipione Africano propter summam indolem & virtutem non observata. *Idem.*

3 *Recuperatoriis judiciis.*] Recuperatores judices dabantur edicto Prætorio injuriis æstimandis, quod per illos jus nostrum recuperemus, unde in lege Roscia Peducea de terminis agrorum scriptum extat, deque ea re curatores, qui hoc lege egerit jurisdictio recuperatorumque datio addictio esto. Erant autem hujusmodi quando legibus aliquibus, quibus parva admodum pecunia delinquentes mulctabantur, pro-

ciis, ſic nos in his comitiis quaſi [1]repente apprehenſi, ſinceri judices fuimus. Hæc tibi ſcripſi, primum, ut aliquid novi ſcriberem, deinde ut nonnunquam de Rep. loquerer, cujus materiæ nobis quanto rarior quam [2]veteribus occaſio, tanto minus omittenda eſt. Et Hercule quouſque illa vulgaria? *Eho quid agis? ecquid commode vales?* Habeant noſtræ quoque literæ aliquid non humile, nec ſordidum, nec privatis rebus incluſum. Sunt quidem cuncta ſub unius arbitrio, qui pro utilitate communi ſolus omnium curas, laboreſque ſuſcepit: quidam tamen ſalubri temperamento ad nos quoque, velut rivi ex illo [3]benigniſſimo fonte decurrunt, quos & haurire ipſi, & abſentibus amicis, quaſi miniſtrare epiſtolis poſſumus. *Vale.*

XXI. C. Plinius Prisco Suo S.

Apud Corn. Priſcum, ordinis Senatorii virum, Martialis poëta obitum luget, cujus ingenium plurimum admiratur. Fuit enim illi amicus Secundus, & ab eo hendecaſyllabo laudatus.

Audio Valerium [4]Martialem deceſſiſſe, & moleſte fero. Erat homo ingenioſus, acutus, acer, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet, & fellis, nec candoris minus. Proſecutus eram viatico ſecedentem, dederam hoc amicitiæ, dederam etiam verſiculis, quos de me

propter exiguam pœnam oriebatur contemptus, tunc recuperatores, tunc judices provinciis æſtimandis reo dabantur. *Catan.*

1 *Repente apprehenſi.*] Maluiſſem *deprenſi*, aut adeo *prehenſi*. Gruter.

2 *Veteribus.*] Ut Ciceroni, aliiſque, qui apud eundem plura de rep. per epiſtolas locuti ſunt. *Catan.*

3 *Benigniſſimo fonte.*] Principe humaniſſimo, quia libertatem Nerva cum imperio mixtam quotidie augebat, & imaginem priſtinæ reip. repræſentabat. *Idem.*

4 *Martialem.*] Hic, tædio urbis feſſus jam ad ſenium vergens cum ſub Trajano nullus eſſet adulationi locus, in Hiſpaniam reverſus non multos poſt annos migravit ab humanis, relicto epigrammatico libro laudatiſſimo: adeo ut Ælius Verus, qui Cæſar ab Adriano eſt appellatus, Martialem, ſuum Virgilium diceret. Martiales plures fuiſſe lego. Cor. Martialem Tribunum. Julium Martialem. item Martialem, cujus impulſu Caracalla occiditur, & Gargilium Martialem ſcriptorem temporum Severi Imperatoris. Ad Martialem amicum idem poëta ſcripſit. *Idem.*

1 Hom-

me composuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserant, aut [1] honoribus aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exolevit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris qui sint versiculi quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem: Tu, si placuerint hi, cæteros in libro requires. [2] Alloquitur musam, mandat ut domum meam in [3] Exquiliis quærat, adeat reverenter:

Sed ne tempore non tuo disertam,
Pulses ebria januam, videto.
Totos dat [4] tetrica dies Minerva,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc, quod secula posterique possint
[5] Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas,
Hac hora est tua quum furit [6] Lyaus.

Quum

1 *Honoribus,*] Dignitatibus, statuis in publico. Quod multis Græcorum datum auctore Pausania: & in monumento Scipionum extra portam Capenam tradit Cicer. pro Archia. Ennium sepultum. In libro de claris oratoribus recitat eundem donatum civitate à Q. Nobiliore M. filio. Quot præterea dignitates & opes Seneca per disciplinas comparavit? Quintilianus consularia ornamenta, & ut altius repetam Aristot. & Isocrates, ac alii pro scriptis suis, multis talentis plerumque donati sunt. *Catan.*

2 *Alloquitur musam.*] Proponit argumentum carminis ex lib. x. Martial. cui initium, *Nec doctum satis, &c.* Idem.

3 *Exquiliis.*] Exquiliæ vicus in urbe ab exquilino colle: à quo porta exquilina, secundum Dionysium. P. Victor campum exquilinum, & lucum in quinta urbis regione describit. *Idem.*

4 *Tetrica Minerva.*] Severæ musæ, id est, judicialibus causis. Tetricus mons est in Sabinis asper & difficilis, quem Maro Tetricam, fœminino protulit. *Idem. Minerva.*] Hæc Musarum Dea fuit, & variis pro varietate epithetis ornata. Ælianus hist. var. lib. 1. cap. 2. eam Ἐργάνην vocat, propter plurium artium inventionem teste Pausania in Atticis. Vide pl. Ælian. lib. 1. histor. animal. cap. 21. & Scheffer. not. ad Æl. hist. var. l. 1: 2. & ibi citatum Voss. lib. 1. Theol. Gent.

5 *Arpinis chartis.*] Orationibus, & scriptis Tullianis. Nam Cicero traxit originem ex municipio Arpinati. *Catanaus.*

6 *Lyaus.*] Bacchus, unum ex cognominibus ipsius, ἀπὸ τοῦ λύω, solvo, quasi λυσιμέριμνος, id est curarum solutor. vel ἀπὸ τῆς λύσεως τοῦ ῥάμματος, id est, à solutione fili. Assutus est enim Jovis femori: vel

Quum regnat [1] *rosa, quum madent capilli,*
Tunc me vel rigidi legant [2] *Catones.*

Meritone eum qui hæc de me scripsit, & tunc demisi amicissime, & nunc ut amicissimum defunctum esse doleo? Dedit enim mihi quantum maxime potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari majus, quam gloria, & laus, & æternitas? At non erunt æterna quæ scripsit. Non erunt fortasse, ille tamen scripsit tanquam essent futura. *Vale.*

quod solvat vino ebrios. Sunt autem illius plura cognomina epigrammate Græco per ordinem literarum annotata. *Catan.*

1 *Rosa.*] Corona rosacea, qua convivæ coronabantur. Sane pro voluptate usurpatur. *Idem.* *Rosa.*] Hic flos ob pulchritudinem & suavem odorem Veneri sacer est, forte quia ut rosa brevi viget, sic & Venerea voluptas. Qua ratione, quæ prius candida fuit, cruore Veneris infecta, purpureum colorem traxerit, ex Aphthonii fabula cognosces. Vid. plurib. Theophrast. l. VI. cap. 6. & 7. & Diosc. lib. III.

2 *Catones.*] Viri graves: quales fuerunt duo Catones, Censorinus, & Uticensis. *Catan.*

C. PLI-



C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLARUM

LIBER QUARTUS.

Epist. I. C. PLINIUS SECUNDUS FABATO PROSOCERO SUO S.

ARGUMENTUM.

Certiorem facit Prosocerum Fabatum de adventu suo in patriam, sed in itinere docet biduo se moraturum Tifernii, ob dedicationem templi, quod sua pecunia extruxerat.

CUPIS post longum tempus [1] neptem tuam, meque una videre. Gratum est utrique nostrum quod cupis, mutuo me hercule. Nam invicem nos incredibili quodam desiderio vestri tenemur, quod non ultra differemus. Atque jam adeo [2] sarcinulas alligavimus, festinaturi quantum itineris ratio per-

1 *Neptem tuam.*] Calphurniam filiam filii tui & uxorem meam. L. autem Calphurnius Fabatus Eques Romanus accusatus fuit tanquam Lepidæ incesti conscius, & instantem damnationem frustratus est: mox Neronem circa summa scelerum distentum, quasi minor evasit: demum annis gravis se Comum recepit, ubi nostra tempestate in templo divi Carpophori extat illius memoria in vetusto saxo, quamvis multis literis detruncata: sed latius honores ejus alio postmodum Comi reperto lapide perleguntur. *Catan.*

2 *Sarcinulas alligavimus.*] Onera, itineris impedimenta. *Idem. Alligavimus.*] Sic Pal. codex, non alligamus, ut editio recens. Nam & Vetus consentit manuscripto, nisi quod ea, *Atque adeo jam.* Gruterus.

permiserit. Erit una, sed brevis mora: deflectemus in Thuscos, non ut agros, remque familiarem oculis subjiciamus (id enim postponi potest) sed ut fungamur necessario officio. Oppidum est prædiis nostris vicinum. [1] nomen Tifernium Tyberinum, quod me pene adhuc puerum [2] patronum cooptavit: [3] tanto majore studio, quanto [4] minore judicio adventus meos celebrat, profectionibus angitur, honoribus gaudet. In hoc ego ut referrem gratiam (nam vinci in amore turpissimum est) [5] templum mea pecunia extruxi, cujus [6] dedicationem, cum

1 *Nomen Tifernium Tyberinum.*] Legitur etiam Tiferni Tyberini. Tyberinum autem juxta Tyberim situm, ad differentiam Tiferni, quod incolunt Dauni, auctore Pomponio Mela. Ptolemæus Tiphernum in Umbria collocat ad Apenninum. Apud Plinium sen. ubi refert Tifernates Tiburinos, puto mendam inolevisse, & legendum Tyberinos. *Catan. Nomen Tifernium, &c.*] Ita editio vetus. At Pal. *nomen Triferniu Tiberinum*, recenter cusi, *Tifernum*. Gruter.

2 *Patronum cooptavit.*] Neque enim singuli tantum homines in clientelas potentiorum se dabant, sed integræ etiam civitates sibi cooptabant Patronos, non viros tantum, verum & fœminas. Nam Peltuinos Nummiam Variam C.F. Sacerdotem Veneris, Patronam sibi fecisse, Vetus Inscriptio apud Gruterum testatur. Bononiensium Civitatem in Antoniorum, Suetonius August. cap. XVII. Lacedæmoniorum in clientela Claudiorum fuisse, idem Tiberico cap. VI. auctor est. *Buchnerus.*

3 *Tanto majore studio.*] Repete ex fine præcedentis dictionis syllabam *it*, ac lege, *Id tanto maj.* Casaub.

4 *Minore judicio.*] Facultatem suam extenuat, se indignum referens tanta cura & celebritate. *Catan.*

5 *Templum mea, &c.*] De hoc scripserat decurionibus, ut sibi solum assignarent, in quo templum sua pecunia extrueret, & illi electionem loci Plinio obtulerant. Hujus autem extructionis causa, ut Trajani indulgentia principum statuas per agros dispersas in unum locum venerandum colligeret, Nervæque & Trajani illis adderet. Singulorum deorum locum dicimus templum, quod tribus modis intelligitur, à natura, ab auspicando, à similitudine. A natura, in cœlo: ab auspiciis, in terra: à similitudine, sub terra. In cœlo templum dicitur, ut magna cœli templa, tum commixta stellis splendidis, quia initium erat oculi à tuendo primo templum dictum sic in terra, ut scrupea saxa, bacchi templa prope aggreditur. Sub terra, ut Acherusia templa, alta orci salvete infera. Templi cœlestis partes quatuor appellantur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postea ad septentrionem. *Idem.*

6 *Dedicationem.*] Consecrationem dedicare, & dicare proprie est dicendo deferre, & obsequio dare alicui numini, ac in perpetuum constituere. Fiebat autem dedicatio templi, aut per Consulem aut Imperatorem præeuntibus verbis Pontif. Max. Ex auctoritate Senatus lata lex est, ne quis templum aramve injussu Senatus aut Trib. pl. partis majoris dedicaret. Hinc Varro de lingua latina, *Ædis*, inquit, *sacra à magistratu pontifice præeunte dedicatur quibus-*

cum sit paratum, differre longius [1] irreligiosum est. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem [2] epulo celebrare constitui. Subsistemus fortasse, & sequenti die, sed tanto magis viam ipsam corripiemus, contingat modo te filiamque tuam [3] fortes invenire: nam hilares certum est, si nos incolumes receperitis. *Vale.*

II. C. PLINIUS [4] CLEMENTI SUO S.

M. Regulum malum causidicum morte filii dolorem simulantem apud Clementem notabiliter taxat.

Regulus filium amisit: hoc uno malo [5] indignus, quod nescio an malum putet. Erat puer acris ingenii, sed ambigui, qui tamen posset recta sectari, si patrem non referret. Hunc Regulus [6] emancipavit, ut hæres matris

quibusdam verbis, dicendo. Hinc dedicatio dicta. Catan.

1 *Irreligiosum est.*] Fortasse melius Pal. *irreligiosum puto.* Gruter.

2 *Epulo.*] Convivio lauto & decenti apparatu. Ad deos plerumque refertur, ut apud D. Augustinum de civitate Dei. *Velut suis epulis immunda dæmonia pascerentur.* Catan.

3 *Fortes invenire.*] Sanos. *Idem. Invenire.*] Verbum hoc non agnoscitur à Palatino. *Gruter.*

4 *Clementi.*] Clementes per ea tempora plures invenio. Sub Nerone Salienum Clementem & Suedium Clementem ab Othone classi perfectum. Item Aretinum Clementem domui Vespasiæ per affinitatem conjunctum à Mutiano Prætorianis præpositum: & prius Domitiano gratissimum, familiaremque, & mox ab eo necatum, quemadmodum idem tyrannus Flavium Clementem patruelem suum jugulari jussit, quamvis apud Dionem mendose legatur Fabius pro Flavio. Clementis Patavini Mart. mentionem facit. Fuit & Corvinus Clemens eruditissimus, & poëtarum suavissimus, metro Alexandri Macedonis gesta complexus, & Apulejo familiaris. Ego tamen crediderim epistolam scriptam Cælio Clementi, quem sibi in Proconsulatu successorem alibi recitat Secundus. Nisi me impediret vetus inscriptio ex lib. I. ubi legimus Atrio Clementi eundem scripsisse, Clementi inquam Patavino. *Catan.*

5 *Indignus quod.*] Sensus est, merebatur Regulus mortem filii si eam malum putaret. Sed cum timendum obitum ejus optasset, ut hæres filii existeret, ideo indignum censeo hoc malo, quia malum non credit, sed utile. *Idem.*

6 *Emancipavit.*] Manumisit, liberavit, liberum est ei, qui filium habet de potestate patria dimittere: emancipari tamen non poterat, nisi erat in imaginariam servilem causam deductus. Emancipatione autem desinunt liberi esse in patria potestate, sed emancipatio antea quidem, vel per antiquam legis observationem procedebat, quæ per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones celebrabatur, vel ex imperiali rescripto,

matris exiſteret. [1] Mancipatum (ita vulgo ex moribus hominis loquebantur) fœda & inſolita parentibus indulgentiæ ſimulatione [2] captabat. Incredibile eſt, ſed Regulum cogita. Amiſſum tamen luget inſane. Habebat puer [3] manulos multos, & [4] junctos & ſolutos: habebat canes majores, minoreſque: habebat luſcinias, pſittacos, [5] merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit. nec dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris. Convenitur ad eum mira celebritate. Cuncti [6] deteſtantur, oderunt; [7] &, quaſi probent, quaſi diligant, curſant, frequentant, utque breviter, quod ſentio, enunciem, in Regulo demerendo, Regulum imitantur. Tenet ſe trans Tyberim [8] in hortis, in quibus latiſſimum ſolum porticibus immenſis,

verum Juſtiniani conſtitutione hoc in melius reformato. Emancipati auctore Pompejo duobus modis intelliguntur, aut qui ex patris jure exierunt, aut qui aliorum fiunt domini: utrumque fit emancipatione. *Catan.*

1 *Mancipatum.*] Emptum hac fraude, non manumiſſum. Nam dum illum muneribus captaret, vulgus non emancipatum, ſed mancipatum dictabat. *Idem. Mancipatum.*] Non de nihilo eſt, quod ſervat Pal. editioque vetus, *mancipatum.* Tale enim quid requirunt verba parentheſi incluſæ. *Grut.*

2 *Captabat.*] Mancipatum muneribus ſolicitabat, ut ſe hæredem relinqueret. Non placebat uxori Reguli, ut filius eſſet in patria poteſtate: quare eum reliquerat hæredem ſub hac conditione, ſi pater eum manumiſiſſet. Itaque timens Regulus cum in filium emancipatum jura patroni tantum haberet, ne alium relinqueret hæredem, blanditiis & largitione eum captabat. Tranquillus fere eadem memorat de Vitellio. *Catan.*

3 *Manulos.*] Equos puſillos, quos vulgo ſuo ſeculo *Buricos* appellatos teſtatur Porphyrio, de quibus Mart. XII. *mannuli tacebunt*, Idem.

4 *Junctos.*] Currum trahentes, jugatos, ut *ſolutos* vehiculis inſuetos. *Idem. Junctos.*] Haud aliter Pal. aut vetus ed. Nova quæque *vinctos.* Gruterus.

5 *Merulas.*] Aves, nomen etiam piſcis & viri. De ave Plin. *Merula ex nigra rufeſcit, canit æſtate, hyeme balbutit, circa ſolſtitium muta eſt, roſtrum quoque anniculis in ebur transfiguratur duntaxat maribus.* Catan. *Merulas.*] De piſce idem Plin. lib. XXXII. cap. XI. Hoc nomine venit Georgius ille MERULA Angelo Politiano, Philippo Beroaldo, reliquiſque ea tempeſtate doctis coæqualis.

6 *Deteſtantur.*] Regulo imprecantur, quod ſc. aves iſtas circa rogum Filii trucidarit. Deteſtatio, Pompejo tradente, vocatur in deteriorem partem, obteſtatio in meliorem, deteſtabiles enim ſunt, quorum teſtimonium malum & execrandum eſt. *Catanæus.*

7 *Et quaſi.*] Melius forte; *ſed quaſi.* Gruterus.

8 *In hortis.*] Rus habuit Regulus trans Tiberim ad tertium lapidem, ad hæc in Umbria, Thuſcia, Thuſculi, auctor Martialis. *Catan.*

mensis, ripam statuis suis occupavit: ut est [1] in summa avaritia sumptuosus, in summa infamia gloriosus. Vexat ergo civitatem [2] in saluberrimo tempore, & quod vexat, solatium putat. dicit se velle ducere uxorem: hoc quoque, sicut alia, perverse. audies brevi nuptias lugentis, nuptias senis: quorum alterum, immaturum, [3] alterum, serum est. Unde hoc augurer, quæris? non quia affirmat ipse, (quo mendacius nihil est) sed quia certum est Regulum esse facturum, quicquid fieri non oportet. *Vale.*

III. C. PLINIUS [4] ANTONINO SUO S.

Unice probat Antoninum in rebus gravioribus & facetiis, tanto magis, quod Græce Latinus ipse mira cum venustate scribat.

QUOD * semel atque † iterum Consul fuisti, similis anti-

1 *In summa avaritia sumptuosus.*] Acute dictum quamvis fatue videatur. Nam in multis accidit aliquem esse avarum, in aliquibus prodigum: quæ cum turpissima separata sunt, turpius tamen junguntur. *Catan.*

2 *In saluberrimo tempore.*] Trajano optimo remp. administrante. *Idem. In saluberrimo, &c.*] Catanæus *saluberrimum tempus*, ad Trajani principatum refert: qui optime, tum saluberrime Remp. administrabat. Sensus igitur est: nondum desiisse Regulum civitatem vexare, etiam sub optimo Principe: quod sub pessimis quoque ante, ut sub Nerone & Domitiano, flagitiosissime fecerat, de quo noster lib. I. Epist. V. & lib. VI. Epist. II. & Tacitus IV. Hist. XLII. Quidam Codices, *insaluberrimo*, habent, quod ad anni horam referre licet, quo discursus & labor non molestus modo, sed & corporibus noxius esset. Ut per æstatem, quæ Romæ gravis. In eo enim vexabat civitatem Regulus, quod cum in hortis trans Tiberim teneret se, pluribus necessitatem imponeret eo ex urbe proficiscendi non sine molestia & detrimento valetudinis, ut adessent lugenti, probarentque officium, quem ex propinquo adire non poterant, & tamen adire, tanquam obnoxii, necesse habebant. Hoc est, quod paulo ante dixit noster: *Convenitur ad eum mira celebritate, &c.* Buchner.

3 *Alterum, serum est.*] Ducere uxorem in senectute. An potius lugere filium amissum, quem debuerat amittere ante emancipationem vel antequam fieret hæres? Non auguror. *Catan.*

4 *Antonino.*] Non Adriano scribitur epistola, sed M. Arrio Antonino, Antonini Pii avo materno, à quo sua carmina diligi Martialis testatur apud Atticum. Hic igitur Julio Capitolino & Spartiano referentibus, bis Consul fuit, homo sanctus, & qui Nervam miseratus est, quod imperare cœpisset. Scio in quibusdam exemplaribus legi hanc epistolam Adriano, non Antonino scriptam, etsi ex testimonio præsertim Spartiani scimus illum fuisse doctissimum & utraque lingua carmina scripsisse, tamen hac potissimum ratione non potuit sub Trajano scribi Adriano, qui tunc non erat princeps civi-

[1] antiquis, quod Proconsul [2] Asiæ, qualis ante te, qualis post te, vix unus aut alter. (non sinit me verecundia tua dicere, [3] qualis nemo:) quod sanctitate, quod auctoritate, ætate quoque princeps civitatis, est quidem venerabile & pulchrum, ego tamen te vel magis in remissioribus miror. Nam severitatem istam pari jucunditate condire, summæque gravitati tantum comitatis adjungere, non minus difficile, quam magnum est: id tu cum incredibili quadam suavitate sermonum, tum vel præcipue stilo assequeris. nam & loquenti tibi illa [4] Homerici senis mella pro-

civitatis ætate, sed admodum juvenis. Quare viderint, qui nuper epistolas impressere Plinii, & hanc Adriano scriptam voluere, an ille suus antiquissimus codex fuerit temporibus Plinii scriptus, ut taceam, quod hoc ipso libro ab eundem Antoninum scribens excellentiam versuum ejus Græcorum admiratur. Sed hoc leve peccatum, si reliqua diligenter considerabis. *Catan.* *Antonino.*] Veteres edd. Palatinusque *Hadriano suo*, adeo ut mirer, unde hic invectum fuerit alterum? *Grut.* *Antonino.*] Hic est, quem inter suffectos consules nominat Cassiodorus in ultimo Domitiani anno, sic *Casaubon. in Jul. Capitolin.* Non ad Pium scriptam esse hanc Ep. ratio temporum manifestissime evincit, de qua vide eund. in hist. Aug. script. p. m. 49. B. C.

* *Semel.*] Primum cum Mario Celso, quanquam apud Tacitum mendose legatur Archio Antonio, non Arrhio Antonino & Mario Celso Coss. *Cat.*

† *Iterum.*] Cum Neratio. Auctor Venulejus ad legem Corneliam de sicariis. *Idem.*

1 *Antiquis.*] Optimis. Nam postmodum ad luxuriam & Imperatorum libidinem corripiebant Consulatum, & Flavius Vopiscus testatur factum esse, ut jam divitiarum, non honorum Consulatus esset. *Idem.*

2 *Asiæ.*] Intra Taurum, quam juniores Asiam, quo nomine totam continentem vocarunt. Dicta Asia à matre Promethei & Atlantis, sive ab uxore, ut Herodotus existimat, Promethei Lydi: [sive] ab Asio Manei filio. Quidam, quia habeat multum cœni. Nam ἄσις limus appellatur. Strabo & Apollonii interpres Lydiam dictam putant Asiam freti illo Homerico, ἀσίῳ ἐν λειμῶνι. *Idem.* De proconsulatu Antonini exstat testimonium apud Capitolin.

3 *Qualis nemo.*] Fuit. tanquam inferat, neminem fuisse Proconsulem Asiæ digniorem te, sed tua modestia non patitur me sic dicere. *Cat.* *Qualis.*] Pal. & vett. edd. non habent illud *qualis*, & poterat abesse. *Grut.*

4 *Homerici senis mella.*] Nestoris, cujus ore dixit Homerus fluere mel, propter dulcedinem sermonis. Versus est ex primo Iliad.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,

Melle magis dulcis cui sermo ex ore fluebat.

Apulejus de Deo Socratis, Pylius orator eloquio comis, experimentis cautus, senecta venerabilis, cui omnes sciebant corpus annis abire, animum prudentia vigere, verba dulcedine affluere. *Catan.* & *Buchner.*

5 Apes

profluere, & quæ ſcribis complere [1] apes floribus, & [2] innectere videntur. Ita certe ſum [3] refectus ipſe cum Græca epigrammata tua, cum [4] jambos proxime legerem. quantum ibi humanitatis, venuſtatis. quam dulcia illa! quantum amantia! quam antiqua! quam arguta! quam recta! [5] Callimachum me, vel [6] Herodem, vel ſi quid his melius, tenere credebam. quorum tamen [7] neuter utrumque aut abſolvit aut attigit. Hominemne Romanum

1 *Apes floribus.*] Videntur tua ſcripta condita luminoſa dulcedine, & te more apum flores eloquentiæ colligere. *Catan.*

2 *Innectere.*] Alii legunt *& nectare.* Boxhornius.

3 *Refectus.*] Recreatus à laboribus fori. *Catan. Refectus.*] Editiones Aldina priores, *adfectus* (quomodo & Catanæus legit) verum Palatinus agnoſcit neutrum; ut fortaſſe ſcripſerit; *ita certe ſenſi ipſe, quum, &c.* Gruterus.

4 *Jambos.*] Metra contumelioſa. Nam ἰαμβίζω convicior ſignificat, Suida & Hammonio conteſtantibus, vel appellatus jambus, ἀπὸ τοῦ ἰοβάζειν, quod tanquam telum vadant verba: an ἀπὸ τοῦ ἰαυβάζειν, quod communis hominum lingua, ἰὰ vocetur: aut à baccha Jambe illius inventrice, filia Echus & Panis, quæ Cererem dolentem ludens & inutilia dicens, figuraſque abſurdas formans ad riſum coëgit. Vid. Epheſtion. *Catan. Cum jambos.*] Pal. *cum micuambos*, ut procul dubio reſcribendum veniat, *mimiambos.* Gruter.

5 *Callimachum.*] Callimachus Cyrenæus Batti & Mæſatmæ filius, Hermocratis diſcipulus, adeo ſtudio intentus fuit, ut per omne genus metri poëmata ediderit, quorum plurima à Suida numerantur: ſed inter cætera compoſuit Ibin, poëma ſane obſcurum, & convicioſum, in quendam inimicum Ibin, Apollonium nomine. Claruit Ptolemæi Philadelphi & Euergetis temporibus. Fuit & alius Callimachus Cyrenæus poëta, filius ſororis prioris Callimachi. *Catan.*

6 *Herodem.*] Julius Herodes (cujus meminit Lucianus in Demonacte) ſumma facundia præditus, ſecundum aliquos patricius, quidam etiam Conſularem tradiderunt, filius Attici, qui theſauro invento ab Imperatore Nerva donatus eſt. Quanquam in vita Herodis quæ ſcribitur à Philoſtrato mendoſe legatur νερούσαι pro νέρουας, id eſt Nerva, in ſummis opibus declamator, & poëta inſignis, altiloquuſque, Trajano & Adriano imperantibus. Moritur ſexto & ſeptuageſimo ætatis anno, cui tale inſcriptum tumulo epitaphium. ἈΤΤΙ΄ΚΟΥ Ἡ΄ΡΩ΄ΔΗΣ ΜΑΡΑΘΩ΄ΝΙΟΣ, ΟΥ͂ ΤΑ΄ΔΕ ΠΑ΄ΝΤΑ ΚΕΙ͂ΤΑΙ Τῼ͂ ΔΕ ΤΑ΄Φῼ, ΠΑ΄ΝΤΟΘΕΝ ΕΥ΄ΔΟ΄ΚΙΜΟΣ, id eſt, *Attici Herodes Marathonius, cujus hæc omnia ponuntur hoc ſepulchro, in omnibus probatus.* Catan. *Herodem.*] Vitam hujus apud Philoſtratum habes.

7 *Neuter utrumque.*] Significat neutrum illorum, quos nominavit, Jambos & Epigrammata ſimul ſcripſiſſe, aut conſummati artificii retuliſſe laudem. Nam licet Callimachus Jamborum quoque poëſin tentarit, deſtituit tamen ea laus, quam Epigrammata ipſi pepererant. Herodes vero alterum genus ne attigerat quidem, uno contentus. *Buchner.*

manum tam Græce loqui? Non [1] medius fidius ipſas [2] Athenas tam Atticas dixerim. Quid multa? invideo Græcis, quod illorum lingua ſcribere maluiſti: neque enim conjectura eget, quid ſermone patrio exprimere poſſis, cum hoc [3] inſititio & inducto, tam præclara opera perfeceris. *Vale.*

IV. C. PLINIUS [4] SOSSIO SUO S.

Rogat Soſſium, ut conferat Tribunatum ſemeſtrem Calviſio Nepoti conjuncto affinitate.

[5] CAlviſium Nepotem validiſſime diligo, virum induſtrium, rectum, diſertum, quod apud me vel potiſſimum eſt. Idem C. Calviſium contubernalem meum, amicum tuum arcta propinquitate complectitur. Eſt enim filius ſororis. Hunc rogo [6] ſemeſtri Tribunatu ſplen-

1 *Medius fidius.*] Jurat per Jovis nuncium, Mercurium ſcilicet, qui creditur vocis ac ſermonis præſes. Quare appoſite interponitur jusjurandum, cum de elegantia ſermonis loquatur. Scimus etiam Herculem intelligi ſolitum, quoniam is à Sabinis ſanctus Fidius, ac Semipater appellaretur, auctoribus Propertio, Ovidio, Silio. *Catan.*

2 *Athenas tam Atticas.*] Tam eleganter locutas Græce, quamvis penes illam civitatem principatus fuerit ejus linguæ. Sidonius, imitator noſtri ac æmulus, aut, eruditiſſimis viris ut videbatur, ſimia magis, lib. IV. Epiſt. III. *Quid multis? arbitro me in utroque dicendi genere, nec Athenæ ſic Atticæ, nec Muſæ ſic judicabuntur.* Sed Plinius hanc elegantiam Tullio ſuo debebat; cujus verba Oratore iſta ſunt: *Miremini hunc maxime, quo ne Athenas quidem ipſas magis credo fuiſſe Atticas.* Buchner.

3 *Inſititio.*] Græco, aliunde accerſito, advena. Apulejus *inſititium* dicit ad inſerendum idoneum, quod Varro inſititioſum. *Catan.*

4 *Soſſio.*] C. Soſſium Antonius Syriæ præfecit. Hic vero Senatorii ordinis Soſſius Papus, cujus amicitia uſus eſt Adrianus, cum tempore expeditionis Parthicæ legatus à Trajano deſtinatus eſt, adjuvante Plotina. Eum imprimis dilectum ab eodem Imperatore tradit Dion honeſtatum ſtatua publica. Soſſio vitam Demoſthenis Plutarchus ſcripſit. *Idem.*

5 *Calviſium nepotem.*] Ad differentiam alterius Calviſii, ex cujus ſorore hic natus erat. *Idem. Calviſium nepotem.*] Pal. *Variſium Nepotem*, quod minime temerarium putaverim. *Grut.*

6 *Semeſtri tribunatu.*] Non placet hoc loco intelligere quod Tribuni annulo aureo utantur circulari, & ſemeſtrem Tribunatum dixiſſe annulatum, ut reſpiciamus Juvenalis illud:

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Sed ſemeſtri interpretaberis ſex menſium. Unde Cæſar conquerebatur ſemeſtre imperium ſibi eripi, & ſemeſtrem ſationem Columella vernalem dixit, ſicut ſemeſtrium ſpatium ſex menſium. Ulpianus titulo de migrando ſe,

ſplendidiorem, & ſibi & avunculo ſuo facias, obligabis me, obligabis Calviſium noſtrum, obligabis ipſum non minus idoneum debitorem, quam [1] nos putas. Multa beneficia in multos contuliſti. auſim contendere nullum te melius æque bene, vix unum aut alterum collocaſſe. *Vale.*

V. C. PLINIUS SPARSO SUO S.

Latenter comparat aſſenſum auditorum in recitatione orationis facto, quod accidit Æſchini, ſuam & Demoſthenis orationem apud Rhodios præſentanti.

[2] ÆSchinem ajunt petentibus Rhodiis legiſſe orationem ſuam: deinde Demoſthenis [3] ſummis utramque clamoribus. Quod tantorum virorum contigiſſe ſcriptis non miror, cum [4] orationem meam proxime doctiſſimi homines hoc ſtudio, hoc aſſenſu, hoc etiam labore per biduum audierint. quanvis intentionem eorum nulla hinc

do ſemeſtrem penſionem vocat ſex menſium, & annum dividi in duas ſemeſtres penſiones interdum idem refert. *Catan. Semeſtri tribunatu.*] Tot enim menſium hic honor erat. Vide Lipſ. II. de Militia Romana Dialogo IV. *Buchner.*

1 *Nos.*] Ex diſciplina JC. ſponſor efficitur ſecundus debitor, quia poteſt gravari tanquam primus: ſic tranſlative in conferendis beneficiis ſponſor habetur pro debitore. *Catan.*

2 *Æſchinem.*] Laërtius Æſchines octo refert. Hic vero Athenienſis fuit, filius Atrometi & Leucotheæ ſive Glaucotheæ. Primum ſcriba, deinde orator, diſcipulus Alcidamantis, plenior Demoſthene & magis fuſus, grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus, carnis tamen plus habet, minus lacertorum. Cum Cteſiphontem accuſaſſet, quod diceret Demoſthenem dignum coronari, recriminatione tanti oratoris, cui titulus pro Corona, acriter accuſatus & exilio mulctatus, Rhodum ſibi ſedem elegit, ubi oratoriam profeſſus eſt, & cum rogaſſent Rhodii, ut utramque orationem exilii cauſam recitaret, magno auditorum aſſenſu auditus eſt. *Idem.*

3 *Summis, &c.*] Sic Palatinus, ſic vett. edd. etiam Aldina, ſubſequentes adjecere de liberalitate ſua, *clamoribus eſſe probatum, quod, &c.* Grut.

4 *Orationem meam.*] Marii Priſci accuſationem, quam libro ſecundo Cereali promittit recitare. Nam nulla ratione credo hîc intellexiſſe librum, quem IX. tradit idem recitaſſe ſummo audientium aſſenſu, cum liber opuſculis & metris varius eſſet, neque jure dici poſſet oratio: ſicut enim oratio liber appellari poteſt, non pariter omnis liber eſt oratio. Neque accipi debet hoc loco panegyrica oratio, quam liber tertius teſtatur per triduum recitaſſe: niſi velimus arbitrari hîc mendam inoleviſſe, & potius triduum, quam biduum legendum, quod placet. *Catan.*

1 *Naſoni.*]

hinc, & inde collatio, nullum quaſi certamen accenderet. Nam Rhodii, cum ipſis orationum virtutibus, tum etiam comparationis aculeis excitabantur: noſtra oratio ſine æmulationis gratia probabatur. an merito, ſcies cum legeris librum, cujus amplitudo non ſinit me longiore epiſtola præloqui. Oportet enim nos in hac certe, in qua poſſumus, breves eſſe: quo ſit excuſatius, quod librum ipſum, non tamen ultra cauſæ amplitudinem, extendimus. *Vale.*

VI. C. PLINIUS [1] NASONI SUO S.

Conqueritur agros ſuos partim grandine concuſſos, & ubi ſummam fructuum copiam collegerat, vili precio vaenundari, ſolum ſibi reliquum eſſe ait, Laurentinum, ſtudiorum ſuorum muſæum.

[2] THuſci grandine excuſſi, in [3] regione Tranſpadana ſumma abundantia, ſed [4] parum utilitatis nunciatur: ſolum mihi Laurentinum meum in reditu. Nihil quidem ibi poſſideo præter tectum & hortum, [5] ſtatimque arenas, ſolum tamen mihi in reditu. ibi enim plurimum ſcribo, nec agrum quem non habeo, ſed ipſum me ſtudiis excolo, ac jam poſſum tibi, ut aliis in locis horreum plenum, ſic ibi

1 *Naſoni.*] Hic Julius Naſo ſingulari amicitia devinctus Secundo & Tacito fuit. Non placet epiſtolam ſcriptam fuiſſe Nanio, quod in quodam exemplari vidimus. *Catan.*

2 *Thuſci.*] Thuſci juxta Tifernium Tyberinum, ubi Tuſculanum rus poſſedit. Teſtatur Plin. ſenior à rege Lydorum Tyrrhenos dictos, mox à ſacrifico ritu lingua Græcorum Thuſcos appellatos. Strabo potius hoc nomen à Latinis inditum tradit. Tyrrhenos, inquit, Romani Ethruſcos dicunt atque Thuſcos. *Idem.*

3 *Tranſpadana regione.*] Comum intelligit, in cujus territorio latos agros tenuit. Tranſpadana regio Italiæ nona, tota mediterranea, cui maria cuncta important, dicta tranſpadana reſpectu commorantium Romæ, quod ſita ſit trans Padum. *Idem.*

4 *Parum utilitatis.*] Alia lectione *par Vilitas*, in eundem tamen ſenſum: quamvis magna fructuum copia ſit, tamen precii vilitas facit, ut parum utilitatis habeamus, ut ſit par, id eſt ſumma. *Idem. Parum utilitatis.*] Retinent illud *par vilitas*. Jenenſ. & codex Boxhornii.

5 *Statimque.*] Sic habent fere omnes editi, at alia lectio habet *ſiccaſque*. Boxhorn.

ibi [1] scrinium ostendere. Igitur tu quoque si certa & fructuosa prædia concupiscis, aliquid in hoc litore para. *Vale.*

VII. C. PLINIUS [2] LEPIDO SUO S.

Reguli ingenium ita laudat ut vituperet, qui cum multa in obitu filii faceret, librum de vita pueri etiam edidit, tam ineptum, ut à puero scriptus videretur.

SÆpe tibi dico, inesse vim Regulo. mirum est, quam efficiat in quod incubuit. Placuit ei lugere filium: luget ut nemo. placuit statuas ejus & [3] imagines quam plurimas facere, hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, [4] illum auro, ebore, marmore effingit. [5] Ipse vero & nuper adhibito ingenti auditorio librum de vita ejus recitavit: Tum eundem librum in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam provinciasque dimisit. Scripsit publice, ut à [6] decurionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eum populo: factum est. Hanc ille [7] vim, (seu quo

1 *Scrinium.*] Arcam librorum & epistolarum. *Catan.* *Scrinium.*] Sic *Scrinia* sacra dicuntur apud Sidon. scrinia principis, & scrinia Augusta Symmacho lib. IV. ep. 53. alia etiam erant Prætoriana L. XIII. Cod. Theod. de indulg. deb. alia patriciæ sedis. Vide *Sirmond. ad Apoll. Sidon.*

2 *Lepido.*] Largium Lepidum decimæ legionis præfectum in expugnatione Hierosolymarum adducit Josephus, quamvis sint exemplaria, quæ significent hanc epistolam scriptam *Luperco*, ad quem alibi Secundus. *Cat.*

3 *Imagines.*] Quæ notæ sunt, quibus ea, quæ ediscenda sunt notamus, vel imago est collatio formæ cum forma cum quadam similitudine. Tu vero hic imagines refer ad picturam & ceram, statuas ad ea, quæ fiunt ex marmore, ære, argento & similibus. *Id.*

4 *Illum auro, illum ebore, &c.*] Magis placet Auro, ebore, marmore. Nam mutatur dicendi modus, & vitatur nimium crebra repetitio, qua si mediocriter utimur, plurimum gratiæ, si frequentius inculcamus, fastidii tantundem affert. Nisi velimus putare voluisse per hoc immodestiam Reguli demonstrare. *Idem.*

5 *Ipse vero, &c.*] Pal. editioque exoleta, *de vita ejus recitavit. De vita pueri recitavit; tamen eundem librum.* Quæ repetitio nonnullis placebit. *Gruterus.*

6 *Decurionibus.*] Senatoribus in municipiis. Insuper decurio est ordo in militia, qui præerat turmæ triginta duorum equitum, si Modesto credimus. *Catan.* Vide, quæ supra de his.

7 *Vim.*] Quia potius vis ad laudem refertur, infert Secundus, appellandam

quo alio nomine vocanda est intentio quicquid velis obtinendi) si ad potiora vertisset, quantum boni efficere potuisset? quanquam minor vis bonis, quam malis inest, ac sicut [1] ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. Exemplo est Regulus, imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla: nihil denique præter ingenium insanum: & tamen eo impudentia ipsoque illo furore pervenit, ut à plurimis orator habeatur. Itaque Herennius Senecio mirifice Catonis illud de oratore in hunc è [2] contrario vertit, [3] Orator est vir malus, dicendi imperitus. Non, me Hercule, Cato ipse tam bene verum oratorem, quam [4] hic Regulum expressit. Habesne quo tali epistolæ parem gratiam referas? habes, si rescripseris, num aliquis in municipio vestro ex sodalibus meis, num etiam ipse tu hunc luctuosum Reguli librum, ut [5] circulator in foro legeris, scilicet, ut ait Demosthenes, [6] ἐπάρας τὴν φωνὴν

καὶ

laudam magis intentionem obtinendi quicquid voluisset. Ordo est: si Regulus vertisset ad potiora hanc vim (seu quo alio nomine vocanda est intentio obtinendi quicquid velis) quantum boni efficere potuisset? *Catan.*

1 Ἀμαθία μὲν θράσος, &c.] *Inscitia quidem audaciam, consideratio autem tarditatem fert.* Thucydidis dictum lib. II. in oratione funebri, quam dixit Pericles, cui initium, οἱ μὲν πολλοὶ τῶν ἐνθάδε ἤδη εἰρηκότων. Quam sententiam Seneca in proverbiis latine transtulit, Recta ingenia debilitat verecundia, prava confirmat audacia. *Catan.* & *Steph.*

2 *Contrario vertit.*] Nam Oratorem Cato, *Virum bonum, dicendi peritum*, præceptis ad filium, ut Nonius auctor est, definierat. Vide Quintil. lib. XII. cap. 1. *Buchner.*

3 *Orator est, &c.*] Respectu Reguli, orator est vir malus dicendi imperitus, cum Regulus esset malus & dicendi imperitus. *Catan.*

4 *Hic.*] Herennius sc. qui jam vita functus erat.

5 *Circulator.*] Qui lucri causa circuit fora & plateas, ac sibi novitate aliqua coronam audientium comparat. Paulus de extraordinariis criminibus, *In circulatores, qui serpentes circumferunt & proponunt, si cui ob eorum metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur.* Catan.

6 Ἐπάρας τὴν, &c.] Verba Demosthenis ἐν τῷ περὶ στεφάνου, quæ sic transferri possunt, *extollens vocem & lætus & exultans.* Sunt autem dicta contra Æschinem. Ea, ut melius intelligantur, repetemus ex eadem oratione priora quædam. *Multa igitur, ô viri Athenienses, etiam alia accusavit, & mentientem unum maxime admiratus*

sum

κ̀ γεγηθὼς, κ̀ λαρυγγίζων. Eſt enim tam ineptus, ut riſum magis poſſit exprimere, quam gemitum. credas non de puero ſcriptum, ſed à puero. *Vale.*

VIII. C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

Reſpondet Arriano, jure pro auguratu ſuo gratulari, tum judicio graviſſimi principis, tum auguratus dignitate, & quod ſucceſſerit tanto viro Julio Frontino, demum ſcribit potuiſſe M. Tullium dignitates conſequi, eloquentiam vero impoſſibile.

GRatularis mihi, quod acceperim auguratum. jure gratularis: primum, quod graviſſimi Principis judicium in minoribus etiam rebus conſequi pulchrum eſt: deinde quod [1] ſacerdotium ipſum cum [2] priſcum & reli-

ſum omnium, quod quæ mala acciderant civitati tunc memorans, non tanquam benevolus, neque juſtus civis, ſenſit, neque collacrymatus eſt, neque quid tale in animo paſſus eſt, ſed extollens vocem & lætus & exultans exiſtimavit ſcil. me accuſare. λαρυγγίζειν proprie eſt vocem intendere, neque naturaliter loqui, ſed gula præcluſa. *Cat.* E᾽πάρας τὴν, *&c.*] Vocem attollens, atque exultabundus, & verba ex guttere promens. Quidam: *Faucibus reſonans.* Alii: *Gula præcluſa loquens*, vel *faucibus præcluſis*, ſeu *obſeptis.* Ego alias verti, Diducto latius gutture vociferans: ſed cum præceſſiſſe conſiderem illa ἐπάρας τὴν φωνὴν, malo referre ad morem eorum, qui gravitatem majorem ſuo ineſſe ſermoni exiſtimant, ſi ex gutture (ut ita dicam) loquantur. *Stephan.* E᾽πάρας.] Vox hæc non comparet in Pal. habetque editio antiquior, *legeris* ἴπσθας, *ſcilicet, ut ait Demoſthenes* τὴν φωνὴν, &c. unde fit, ut putem ſcriptum primitus, *in foro legeris*, ἐπάρας, *ut ait Demoſthenes* τὴν φωνὴν, &c. *J. Grut.*

1 *Sacerdotium.*] Auguratus. Nam de cæteris etiam dicitur, cum & Valerius Max. Pont. ſacerdotio uſus fuerit. *Catan.*

2 *Priſcum.*] Nam à Tarquiniis Romam tranſlatum teſtatur Strabo. At Dionyſius in antiquitatibus à Numa rege conſtitutum collegium augurum, qui interpretarentur ſigna à diis miſſa tam publica, quam privata, & ab una ſpecie ſpeculationum artis augures vocarunt Romani, id eſt, ab avibus & gerendo, vel ab avium garritu. Primus Actius Navius hanc artem commendavit apud Tarquinium Priſcum novacula cotem diſcindens: poſtea tantus honor collegio augurum acceſſit, ut nihil foris domique, niſi auſpicato gereretur, concilia populi, id eſt, magiſtratuum creatio, exercitus vocatio, ſumma rerum, ubi aves non annuiſſent, dirimerentur. Et diu hic honor patricius fuit, & principibus urbis deſtinatus: primo tres tribus, Rhamnenſes, Titienſes, Luceres, ſex augures crearunt: deinde hoc ſacerdotium cum populo communicatum eſt, & jus ſacerdotum ſubrogandorum à collegiis ad populum tranſtulit Cn. Domitius Trib. plebis. Sylla augurum collegium ampliavit, ut eſſent quindecim.

religiosum, tum hoc quoque sacrum plane & insigne est, quod [2] non adimitur viventi. Nam cætera, quam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, sic auferuntur: in hoc fortunæ hactenus licet, ut dari possit. Mihi vero etiam illud gratulatione dignum videtur, quod successi [3] Julio Frontino, principi viro, qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tanquam in locum suum [4] cooptaret: quod nunc eventus ita com-

cim. Adeo crevit hæc ars, ut ex araneo etiam auguria fierent, quæ Plinius memorat, scribens ex periculis artem esse factam, & per aves (nam aliis modis fiunt) primus Car, à quo Caria dicta est, invenit. *Catan. Priscum.*] De Actio Navio, (cujus Catanæus hîc meminit) vel Attio Navio, quin Nevio & Nævio potius, ut est in codice Jordanis apud Salmas. vide Florum lib. I. cap. v. 2. 3.

1 *Religiosum.*] Majestatis venerationisque plenum. Nam nec Senatus cogi nec conveniendi locum poterat habere, nisi quando & ubi augures præscripsissent, qui à summis imperiis, à summis potestatibus comitia tollere, consilia vel instituta dimittere, vel habita repudiare poterant. *Catan.*

2 *Non adimitur viventi.*] Augur, donec vita suppetat, licet maximorum criminum convictus sit, sacerdotio non privatur, quia scilicet jurejurando adactus sit res augurum nemini enunciare: ergo factum privatum sacramento liberari nolunt. An, quod non honoris nec magistratus, sed potius cujusdam scientiæ & artis est nomen augur? simile igitur esset siquis medicum medicandi arte prohibeat, musicum musica, divinum divinatione. His enim appellatio detrahi potest, vis & facultas nequaquam. *Idem. Non adimitur viventi.*] Nam sacerdotia pleraque ad vitam dabantur: adeo, ut neque damnati honore eo spoliari possint. Dio Cassius lib. XLIX. & Plut. Quæst. Roman. XCIX. Quare & noster mox subjicit; *in hoc fortunæ hactenus licet, ut dari possit.* Hoc enim vult: In auguratum hoc tantum juris habere fortunam, ut dari per eam possit; adimi non possit. *Buchner.*

3 *Julio Frontino.*] Sextus Julius Frontinus vir Consularis Præturam urbanam gessit, Vespasiano iterum, ac Tito Coss. & eo ejurante Domitianus Præturam cepit. Frontinus igitur curam Britanniæ, ac molem sustinens magnam quantum licebat validam, & pugnacem Silurum gentem armis subegit super virtutem hostium locorumque difficultatem eluctatus: aquarum præfectus à Nerva creatus libellum de Aquæductibus urbem influentibus edidit. Auguratum gessit, secessu Tarracinensi oblectabatur, rei militaris peritus. Trajano libros stratagematicos dicavit, scripsit longe plura, quæ simul cum aliis communi literarum jactura olim intercidere. Fuit & Julius Fronto Tribunus urbanarum cohortium ab Othone exauctoratus, & Claudius Frontinus sub Antonino Pio. *Principem* ergo *virum* appellavit Frontinum, scilicet dignitate, auctoritate, disciplina, & rebus præclare gestis. *Idem.* Pari modo Florus populum Romanum *principem* vocat, in proœm. 3. & lib. I. cap. VIII. 5. XXVI. 5. & lib. II. cap. II. 32.

4 *Cooptaret.*] Eligeret. Tranquillus in cooptandis per collegia sacerdotibus neminem nisi juratos nominavit. M. Tullius de Claris Oratoribus, scribit novos augures ab aliis auguribus in colle-

comprobavit, ut non fortuitum videretur. Te quidem (ut scribis) ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. Lætaris enim, quod honoribus ejus insistam, quem æmulari in studiis cupio. sed utinam, ut sacerdotium, idem & Consulatum, multo etiam [1] juvenior quam ille, sum consecutus: ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte assequi possim! Sed nimirum, quæ sunt in manu hominum, & mihi, & multis contigerunt: illud vero, ut adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est, [2] quod dari nonnisi à diis potest. *Vale.*

IX. C. PLINIUS [3] URSO SUO S.

Julius Bassus sæpe in judiciis periclitatus, inde Bithyniam sortitus, rediit reus, quod quædam accepisset à provincialibus. Princeps accusationis fuit Theophanes, legatorum unus: defensus tamen acriter à Secundo & Albino, tandem absolvitur, quod Ursum amicum admonet.

CAusam per hos dies dixit [4] Julius Bassus, homo laborio-

collegium cooptari, & inaugurari. Et augurum institutis, qui inaugurasset, ab inaugurato loco parentis coli debere. *Catan.*

1 *Juvenior.*] Ita habent omnes codices præter unum, quos viderim. *Junior* enim secundum grammaticos, sed *juvenior* secundum analogiam. *Idem.* *Juvenior.*] Sic *juveniori examini solet accidere* est apud Columell. de apibus lib. x. Hic compar. ex juvene est, ut *junior*, juxta Cornutum, ex voc. *junis*, qui ætate viridis est.

2 *Quod dari, &c.*] Natura primum atque ingenium ad dicendum vim afferunt maximam. Nam animi atque ingenii celeritas quidam motus esse debent, qui ad excogitandum acute, & ad explicandum, ornandumque sunt uberes, sed quis est qui hæc putet arte accipi posse? Præclare enim res se habet, si hæc accendi, aut commoveri arte possint: inseri quidem & donari ab arte non possunt omnia. Sunt enim illa dona naturæ. Quidam ita rebus habiles, ita naturæ muneribus ornati, ut non nati sed ab aliquo Deo facti esse videantur. *Catan.* *Quod dari, &c.*] Vett. edd. & Pal. *quod dari nisi à Diis non potest.* Gruter.

3 *Urso.*] Ad hunc alibi Secundus super eadem re scribit. Dionis abbreviator refert Ursum fuisse in aula Domitiani auctoritate præditum, à quo Domitiani Imp. uxorem adulterii accusatam. Ad Ursum mittit epicedion Statius in sylvis pro morte Pileti: aperte ostendens fuisse causidicum. *Catan.*

4 *Julius Bassus.*] Bassos plerosque notavimus per ea tempora. Galbium Bassum Præfectum oræ Ponti, virum inter

boriosus, & [1] adversis suis clarus. Accusatus est sub Vespasiano à privatis duobus: ad Senatum remissus diu pependit, tandemque absolutus vindicatusque est. [2] Titum timuit, [3] ut Domitiani amicus: à Domitiano relegatus est, [4] revocatus à Nerva: sortitusque [5] Bithyniam, rediit reus. accusatus non minus acriter, quam fideliter defensus: [6] varias sententias habuit, plures tamen, quasi mitiores. Egit contra eum Pomponius Rufus, [7] vir paratus & vehemens. Rufo successit [8] Theophanes, unus ex legatis, [9] princeps & fax accusationis& origo. Respondi

integrum & probum. Salei Bassi poëtæ excellentissimi sui temporis meminere Tacitus, & Juven. Julium Bassum declamatorem recitat Seneca in controversiis, non Jonium, ut interdum scriptum offendes. Facit tamen Fabii testimonium legi debere Junium Bassum, quem hominem dicacem & cognomento Asinum album, ac à se puero cognitum, idem testatur. *Catan.*

1 *Adversis.*] Propter res adversas. Nihil enim est in omni vita ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. *Cicero.*

2 *Titum timuit.*] Ita libuit distinguere, fide codicis Palatini. Perperam antea legebamus: *Titum timuit: ut Domitiani amicus à Domitiano relegatus est.* Quid enim ineptius, quam admittere ideo relegatum fuisse à Domitiano, quod ei amicus esset? *Gruter.*

3 *Ut Domitiani amicus.*] Tanquam suspectus, quod Domitianum foveret: inter quem & Titum erant simultates. *Catan.*

4 *Revocatus à Nerva.*] Restitutus in patriam generali edicto Nervæ, qui auctoritate Senatus censuit decreta à Domitiano rescindenda: quare multi ab exilio rediere, inter quos Joannes Apostolus ex Patmo. *Idem.*

5 *Bithyniam.*] Provinciam in Ponti exordio ad partem solis orientis, Thraciæ oppositam, opulentam sane & urbium divitem. Læta quidem regio est, atque omni referta ubertate, testamento alterius Nicomedis filii Romanis relicta. Traxere Bithyni originem à Thracibus, qui cum Rheso ad Ilion castrametati sunt. Nam rege suo interfecto ultra Byzantium transgressi prope Bithyn fluvium, unde nomen accepere, consederunt: deinde fame compulsi, in Bebryciam rediere, & Bithyniam pro Bebrycia à fluvii nomine, juxta quem habitaverant, appellarunt. Herodotus, inquit, Thraces transgressi in Asiam vocati sunt Bithyni, prius appelati Strymonii, quod Strymonem accolerent. *Idem.*

6 *Varias sententias.*] Censuit enim Bebius Macer Cos. designatus lege Repetundarum teneri, Cæpio Hispo salva dignitate judices dandos, Senatus decrevit, ut acta Bassi rescinderentur. *Idem.*

7 *Vir paratus, &c.*] Proba lectio, sed quam tamen improbat Pal. & ed. vetus; in quibus *peritus.* Gruter.

8 *Theophanes.*] Alius Theophanes poëta, quem Græce Pompeji gesta scripsisse Tullius asserit. Hodie quoque Theophanis extat Græcum epigramma. *Catan.*

9 *Princeps &c.*] Non videtur hoc in primis editionibus. Est quidem in Palatino, sed ei abest alterum *& fax*: adeo ut vix fiat dubium, scriptum solummodo fuisse, *unus è legatis, princeps accusationis.* Quibus interpretationis loco accessit mox, *fax & origo.* Posset etiam fuisse,

ſpondi ego. Num mihi Baſſus injunxerat, ut totius defenſionis fundamenta [1] jacerem? dicerem de ornamentis ſuis, quæ illi & ex generis claritate, & ex periculis ipſis magna erant: dicerem de [2] conſpiratione delatorum, quam in [3] quæſtu habebant: dicerem cauſas, quibus factioſiſſimum quemque ut illum ipſum Theophanem, offendiſſet. eundem me voluerat occurrere crimini, quo maxime premebatur. in aliis enim, quamvis auditu gravioribus, non abſolutionem modo, verumetiam laudem merebatur. Hoc illum onerabat, quod homo ſimplex & & incautus, quædam [4] à provincialibus, ut amicus, acceperat. Nam fuerat in provincia eadem Quæſtor. Hæc accuſatores [5] furta ac rapinas, ipſe munera vocabat. Sed [6] lex munera quoque accipi vetat. Hîc ego, quid agerem? quod iter defenſionis ingrederer? [7] Negarem? Verebar, ne plane furtum videretur, quod confiteri timerem: præterea rem manifeſtam inficiari, augentis erat crimen, non diluentis: præſertim cum reus ipſe nihil integrum advo-

fuiſſe, *unus è legatis fax accuſationis*, ut cætera illa, nata ſint à gloſſa. *Gruterus.*

1 *Jacerem.*] Collocarem, ſcilicet in deprecatione. *Catan.*

2 *Conſpiratione.*] *Conſenſu* alii. *Boxhornius.* Sed alterum eſt ſignificantius.

3 *Quæſtu.*] Nam quartam bonorum confiſcatorum partem habebant: inde quadruplatores dicti. *Catan.*

4 *A provincialibus, ut &c.*] Scribendum cenſeo, *ut amicis.* Gronov.

5 *Furta & rapinas.*] Controverſia de nomine, & conſtitutio diffinitiva. Furtorum duo eſſe genera refert Cajus: manifeſtum & non manifeſtum. Manifeſti convictus tenetur in quadruplum, quod rapi quidem ſine vi non poteſt ſecundum Ulp. Furti non manifeſti tenetur in duplum, vi bonorum raptorum in quadruplum Paulo conteſtante. *Catan.*

6 *Lex.*] Acilia, quam Manilius Acilius Glabrio de pecuniis repetundis ſeveriſſimam tulit: ne comperendinari quidem reum ſinens. Tacitus tamen, inquit, Magiſtratuum avaritia Calphurnia ſcita peperit. Nam ſecundum Modeſtinum plebiſcito continetur, ne quis præſidum munus, donumque caperet: niſi eſculentum, potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur. Non enim in totum xeniis, Ulp. auctore, abſtinere debet Proconſul, ſed modum adjicere, ut neque modo ſe in totum abſtineat, neque avare modum xeniorum excedat. Quam rem D. Severus & Imp. Antoninus elegantiſſime epiſtola quadam ſunt moderati. *Idem.*

7 *Negarem.*] Ut præcipit M.T. de Oratore, Plerumque, inquit, cauſæ inficiatione defenduntur: nam & de pecuniis repetundis, quæ maximæ ſunt, neganda fere omnia. *Idem.*

advocatis reliquisset. Multis enim, atque etiam Principi dixerat, sola se munuscula, duntaxat [1] natali suo, aut [2] Saturnalibus accepisse, & plerisque misisse. Veniam ergo peterem? Jugularem reum, quem ita deliquisse concederem, ut servari, nisi venia, non posset? Tanquam recte factum tuerer? non illi profuissem, sed ipse impudens extitissem. In hac difficultate placuit medium quiddam tenere. Videor tenuisse. Actionem meam, ut prælia solet, [3] nox diremit. Egeram horis tribus, & dimidia, supererat sesqui hora. Nam cum [4] ex lege accusator sex horas, novem reus accepisset, ita diviserat tempora reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur. Mihi successus actionis silentium, finemque suadebat. Temerarium est enim secundis non esse contentum. Ad hoc verebar, [5] ne mox corporis vires iterato labore deficerent, quem difficilius est repetere, quam [6] jungere. Erat etiam periculum, ne reliqua actio mea & [7] frigus ut deposita, & tædium ut resumpta, pateretur. [8] Ut enim faces ignem assidua

1 *Natali suo.*] Nam privatorum natalibus solebant amici munera mittere, ut sæpe testatur Martialis. *Catan.*

2 *Saturnalibus.*] Saturni diebus, quibus xenia munera mittebantur amicis & apophoreta remittebantur. *Idem.* *Saturnalibus.*] Cœna quoque ab amicis instituebatur, & quæstiones proponebantur. Vid. *A. Gell. lib.* XVIII. *cap.* 2.

3 *Nox diremit.*] Interventu noctis interrupta est. Ciceroniana imitatio. Sic enim ad Quintum fratrem scribit, *Sed*, inquit, *ut prælia solet.* quia historici *hoc dicendi genere utuntur cum nocte superveniente uterque exercitus intermissa pugna receptui canit.* Catan.

4 *Ex lege.*] Quæ longissimum spatium ad agendum largitur, sed majus reo cui semper favorabilior est. Nam M. Tull. pro domo sua tradit multa ad placandum atque ad miserendum reis concessa. Et Apulejus asserit reum amplum dicendi spacium habuisse. *Id.*

5 *Ne mox, &c.*] Ita omnino Pal. neque aliter ed. vet. nisi quod ea, *ne me mox, &c.* Vulgatior, *ne me corporis vires iterato labore desererent.* Gruter.

6 *Jungere.*] Continuare. Ut *repetere* intermissum resumere. *Catan.*

7 *Frigus.*] Negligentiam. Sicut plerumque M. T. ad Q. fratrem. vel etiam mei jam deposito fervore. *Idem.*

8 *Ut enim faces, &c.*] Similitudinem infert per collationem, quæ sumitur ante oculos negocii ponendi causa. Certamen fuit apud Athenienses currendi ab ara Promethei in urbem cum facibus ardentibus, simul in cursu servare facem accensam, quæ si fuisset extincta quamvis cursu prævenisset, nullam victoriam reportabat. Hinc illud,

Vidi ego concussas mota face crescere flammas. Idem.

1 *Heren-*

ſidua concuſſione cuſtodiunt, dimiſſum ægerrime reparant: ſic & dicentis calor, & audientis intentio continuatione ſervatur, intercapedine & quaſi remiſſione langueſcit: ſed Baſſus multis precibus, pene etiam lacrymis, obſecrabat, implerem meum tempus. Parui, utilitatemque ejus prætuli meæ. Bene ceſſit: inveni ita erectos animos Senatus: ita recentes, ut priore actione incitati magis, quam ſatiati viderentur. Succeſſit mihi Lucius Albinus, tam apte, ut orationes noſtræ varietatem duarum, contextum unius habuiſſe credantur. Reſpondit [1] Herennius Pollio inſtanter & graviter. Deinde Theophanes rurſus. Fecit enim hoc quoque ut cætera, impudentiſſime, quod poſt duos, & Conſulares, & diſertos, tempus ſibi, & quidem laxius, vindicavit. Dixit in noctem, [2] atque etiam nocte, illatis lucernis. Poſtero die egerunt pro Baſſo [3] Homulus, & Fronto, mirifice: quartum diem probationes occupaverunt. Cenſuit [4] Bæbius Macer, Conſul deſignatus, lege repetundarum Baſſum teneri. Cæpio [5] Hiſpo ſalva dignitate judi-

1 *Herennius Pollio.*] Quo cum Flavio Conſulatum gerente Dion aſſerit Titum interiiſſe. Nec ignoro Marcellum JC. referre Pollionem fuiſſe Conſulem cum Pudente ſub Antonino. *Catan.*

2 *Atque etiam, &c.*] Editioni priſcæ abeſt vox *nocte*; reſtat tamen in Palatino. *Gruter.*

3 *Homulus.*] In quibuſdam exemplaribus ſcriptum fuit *C. Titius Homulus*, ſed Julii Capitolini teſtimonio probabilior eſt lectio, *Valerius Homulus*, qui Secundo familiaris pro Vareno Rufo cauſam egit. Ejus multos jocos Antoninus Pius ſemper patienter tulit; ut cum domum Homuli viſens admiranſque columnas porphyriticas requiſiſſet, unde eas haberet? reſpondit Homulus, cum in domum alienam veneris, & mutus & ſurdus eſto. Idem Lucillam matrem M. Antonini philoſophi in viridio venerantem ſimulacrum Apollinis videns, Pio inſuſurravit: Illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, & filius imperet: quod verbum omnino apud Pium nihil valuit. *Cat.* *Pro Baſſo Homulus, &c.*] Sic Pal. & editio prima, omiſſis cæteris. *Grut.*

4 *Bæbius Macer.*] Cui Appiæ viæ cura demandata, cum Proconſul rexiſſet Hiſpanos: eodem imposterio miſſus in Dalmatiam integre & juſte provinciam continuit: eum præfectum urbis ſervavit Adrianus, quamvis ab Actiano per epiſtolas admonitus, ut ſi reniteretur Imperio, necaretur. Bæbium item Macrum teſtatur Flavius Vopiſcus Prætorii præfectum ſub Aureliano. *Catan.*

5 *Hiſpo.*] Sive is fuerit in quem jaculatus eſt Juvenalis ſatyricum illud fulmen, Hiſpo ſubit juvenes, & morbo pallet utroque, ſive alius. *Idem.*

[1] judices dandos: uterque recte. Quî fieri potest, inquit, cum tam diversa censuerint? quia scilicet & Macro legem intuenti, consentaneum fuit damnare eum, qui contra legem munera acceperat: & Cæpio cum putaret licere Senatui, sicut licet, & mitigare leges, & intendere, non sine ratione veniam dedit facto, vetito quidem, non tamen [2] insitato. Prævaluit sententia Cæpionis. [3] Quinimmo consurgenti ei ad censendum acclamatum est, quod solet residentibus. Ex quo potes æstimare, quanto consensu sit exceptum, cum diceret, quod tam favorabile fuit, cum dicturus videretur. Sunt tamen ut in Senatu, ita in civitate, in duas partes hominum judicia divisa. Nam quibus sententia Cæpionis placuit, sententiam Macri ut rigidam duramqe reprehendunt: quibus Macri, [4] illam alteram dissolutam, atque etiam incongruentem vocant. Negant enim congruens esse, retinere in Senatu, cui judices dederis. Fuit & tertia sententia: [5] Valerius Pau-

1 *Judices dandos.*] Seligendos judices, qui cognoscerent accusationem. *Catan.*

2 *Inusitato.*] Insolito. Nam multis jam repetundarum reis servata est dignitas Senatoria. Inveterata enim consuetudo pro lege non immerito custoditur, & hoc est jus, quod dicitur, moribus constitutum. *Idem.*

3 *Quinimmo consurgenti, &c.*] Dicturi sententiam in senatu (hoc *censere* dicebant) surgebant: cum dixissent, residebant. Tum ab assentientibus acclamabatur; reclamatur ab iis, qui dissentirent. Quanquam utrumque adhuc, cum dicerent, etiam fieri solebat. Ita vel obtinebat sententia aliqua, vel vincebatur. Vide Nostrum Epist. XIII. lib. IX. Cæterum acclamationes & reclamationes hujusmodi non simplices erant, sed vel cum laudibus vel cum conviciis conjunctæ. Salustius Catilina: *Postquam Cato assedit, Consulares omnes itemque Senatus magna pars sententiam ejus laudant, virtutem animi ad cælum ferunt.* Idem: *Ad hæc maledicta alia cum adderet Catilina, obstrepere omnes, hostem ac parricidam vocare.* Tractus hic mos à theatris in forum, inde in Senatum est; ut Duumviri illi literariæ rei, Isaac. Casaubonus ad Avidium Cassium Vulcatii, & Justus Lips. lib. II. Electorum cap. IX. nos docuerunt. *Buchn.*

4 *Illam alteram.*] Dicendi modus apud scriptores observatus, ut apud M. Tullium de provinciis consularibus, & Valer. lib. VIII. sic apud Apulejum *ille alius*, & *illa alia*: & lib. V. Secundus dixit *ille alter*. Catan.

5 *Valerius Paulinus.*] Paulinum Tribunum lego missum à Vespasiano ad Josephum latitantem, & postea præfectum Alexandriæ. Valerius autem Paulinus accusatus est, & à pluribus proditionis insimulatus, dum Celso otiose auxilium fert, quod propter religionem non esset functus ducis officio. Prædia in Forojuliensi agro possedit; famæ ac immortalitatis unicus amator,

Paulinus assensus Cæpioni, hoc amplius censuit, referendum de Theophane cum [1] legationem renunciasset. Arguebatur enim multa in accusatione fecisse, quæ illa ipsa lege, qua Bassum accusaverat, tenerentur. Sed hanc sententiam Consules (quanquam maximæ parti Senatus mire probabatur) [2] non sunt persecuti. Paulinus tamen & justitiæ famam & constantiæ tulit. Misso Senatu Bassus magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Fecerat eum favorabilem [3] renovata discriminum vetus fama, notumque periculis nomen, & in procero corpore mœsta & squalida senectus. Habebis hanc interim epistolam, ut [4] πρόδρομον: expectabis orationem plenam, onustamque expectabis diu. neque enim leviter & cursim, ut de re tanta, retractanda est. *Vale.*

X. C. PLINIUS [5] SABINO SUO S.

Monet Sabinum, & libertatem & legatum deberi Modesto servo, cui Sabina legatum dederat, tanquam liberum esse jussisset: quod tamen nusquam apparebat relictis sibi hæredibus Sabino & Secundo.

SCribis mihi, Sabinam, quæ nos reliquit hæredes, Modestum servum suum nusquam liberum esse jussisse: eidem

amator, Consul creatus est. Secundo etiam arcta familiaritate conjunctus: nam moriens ei jus libertorum suorum reliquit. *Idem.*

1 *Legationem renunciasset.*] Postquam functus esset legatione; nec amplius ageret legatum. Nam legatus jure non poterat accusari: quod testantur Jurisconsulti, & nos lib. 3. recitavimus. Legitur etiam *legationi renunciasset.* Idem. Idque testatur Boxhornius in Var. Lect.

2 *Non sunt persecuti.*] Non comprobarunt. Nam Consules designati, quod referebatur, primi censebant, ac deinceps reliqui Senatores: verum Consules, qui tunc consulatum gerebant, senatui præsidebant, & quicquid placuisset, decernebant. *Catan.*

3 *Renovata.*] Reducta in recentem memoriam hac Bithynorum accusatione. *Idem.*

4 Πρόδρομον.] *Præcursoris officio fungentem.* πρόδρομος Mascul. gen. dicitur Latine *præcursor.* Stephan.

5 *Sabino.*] Occurrunt nobis per tempora Secundi, multi Sabini, ut ambiguitas oriatur ad quem scripserit. Nam Justinianus refert Julium Sabinum male tractantem servos, in quem rescri-

[1] eidem tamen sic adscripsisse legatum, *Modesto, quem liberum esse jussi.* Quæris quid sentiam? [2] Contuli [3] cum prudentibus. convenit inter omnes nec libertatem deberi, quia non sit data: nec legatum, quia [4] servo suo dederit. Sed mihi manifestus error videtur: ideoque puto, nobis [5] quasi scripserit Sabina faciendum, quod ipse scripsisse

rescripsit Antoninus Pius. Eundem Imperatorem auctor Ulpianus Jubentio Sabino rescripsisse. Sabinus item Antonius matrem habuit Juniam Valerianam & filium Antoninum. Callistratus tradit Sabinum Maximum fuisse sub Adriano. & eodem imperante Suidas Sabinum declamatorem. Crediderim tamen magis fuisse Cæsium Sabinum, quem Secundus ad præsidium & ornamentum sui sumpserat. Auli Pudentis municipem totius Umbriæ decus ad eum librum septimum Martialis mittit, & nono post laudem lacus ejusdem, rosaceam coronam. *Catan.*

1 *Eidem tamen.*] Ita prorsus editio vetus, neque abit Pal. quam quod expresserit *fidem.* Gruter.

2 *Contuli.*] Communicavi. In eundem sensum Papinianus inquit: Nicostratus cum de ea re mecum contulisset, dixi posse defendi. *Catan.*

3 *Cum prudentibus.*] Legitur in multis exempl. cum *peritis juris* in eundem sensum. Responsa prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum fuit jura publice interpretari, & à Cæsare jus respondendi datum est, qui Jurisconsulti appellantur. Horum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici ex constitutionibus non liceret à responso eorum recedere. *Idem. Contuli cum prudentibus.*] Non abhorret à genuino auctoris, lectio vett. editt. *Contuli cum prudentibus, cum peritis juris.* Nam & Pal. utrumque expressit, nisi quod ibi tamen, *viris prudentes*, fuerint homines usu longo & experientia clari, periti juris, qui non tam de eo, quod factum esset, aut fieret, responderent, quam de jure. *Gruterus.*

4 *Servo suo.*] Ergo Modestus hoc jure privabatur libertatis favore: & legati jure habendi, & omne beneficium redibat ad hæredes Sabinæ, Sabinum scilicet & Secundum. Nam servi nostri ex quacunque causa acquirunt, id nobis acquiritur. Ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest: ideo convenienter legatum nobis per eundem acquiritur. *Catan.*

5 *Quasi scripserit Sabina faciendum.*] Concedendam libertatem, & legatum Modesto: tanquam si aperte hoc cavisset Sabina. *Idem. Quasi scripserit Sabina, &c.*] Nam *voluntatem defunctorum intelligere, bonis hæredibus pro jure est*, ut noster paulo post ipse scribit. Infra lib. v. Epist. vii. *Hoc, si jus aspicias, irritum: si defuncti voluntatem, ratum & firmum est. Mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem Jurisconsulti, quod sum dicturus, accipiant) antiquior jure est.* Idem respexit Lucius Titius ille, cum Testamento suo subscriberet: L. TITIUS HOC MEUM TESTAMENTUM SCRIPSI SINE ULLO JURISPERITO, RATIONEM ANIMI MEI POTIUS SECUTUS, QUAM NIMIAM ET MISERAM DILIGENTIAM, ET SI MINUS ALIQUID LEGITIME MINUSVE PERITE FECERO, PRO JURE LEGITIMO HABERI DEBET HOMINIS SANI VOLUNTAS, Laudat JCtus L. LXXXVIII. §. Lucius ult. D. de Legatis II. *Buchner.*

1 *Vali-*

psisse credidit. Confido accessurum te sententiæ meæ, cum religiosissime soleas custodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexisse pro jure est. Neque enim minus apud nos honestas, quam apud alios necessitas valet. Moretur ergo in libertate sinentibus nobis, fruatur legato, quasi omnia diligentissime caverit. Cavit enim, quæ hæredes bene elegit. *Vale.*

XI. C. PLINIUS MINUTIANO CORNELIO SUO S.

Minutiano Liciniani exilium narrat, in quod pulsus fuerat à Domitiano reus incestus cum virgine Vestali: simul & illius vitia taxans, & fortunæ mobilitatem notans.

AUdistine [1] Valerium Licinianum in [2] Sicilia profiteri? Nondum te puto audisse. Est enim recens nuncius: Prætorius hic modo inter eloquentissimos caussarum actores habebatur: nunc eo decidit, ut exul de Senatore, [3] rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in præfatione dixit dolenter & graviter, [4] *Quos tibi fortuna ludos facis?*

1 *Valerium Licinianum.*] Liciniani Hispani municipis Martialis mentio fit apud Martial. poëtam in epigramm. *Catan.*

2 *Siciliæ.*] Olim Italiæ conjuncta, mox interventu freti divulsa: omnium insularum fertilitatis claritudine celebrata. Italia superiorem diceres frumento, melle, croco, aliisque permultis: & merito Romanorum horreum appellatam. Trinacria & Triquetra à pluribus nominata est, à tribus angulis & promontoriis, quibus in diversa procurrentibus Δ literam efficit. Thucydides Sicaniam cognominat ab incolis, quos quidam putarunt indigenas: postremo ab Italis, qui Siculi dicebantur in eam vulgo profectis, Sicilia vocata: sive (ut alii) à Siculo rege. *Idem.*

3 *Rhetor.*] Artis dicendi magister, orator qui eam exercet. Græci tamen rhetorem pro oratore passim usurpant. *Idem.*

4 *Quos tibi fortuna ludos, &c.*] Homines tanquam pilas habens. Vide Juvenal. Satyr. VII. *Idem.* *Quos tibi fortuna, &c.*] Ista verba minime ego sollicitanda arbitrarer, citra librum scriptum esset, quem his diebus ab insigni Jure consulto Philippo Crescentio dono accepi: In eo libro diserte legitur: *quis tibi Fortuna ludis pacis.* Unde ego vere legendum arbitror: *Queis tibi, Fortuna, ludis Parcis.* Vere dico, cum impotentiam suam Fortunæ amaritie laudabili exprobret Valerius, quæ nullo habito existimationis suæ respectu, nihil erubeat. Jocari aut ludere dicitur fortuna cum homines potentes deprimit, humiles repente elevat. Boëthius l. II. carm. I.

facis? Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores. Cui sententiæ tantum bilis, tantum amaritudinis inest, ut mihi videatur ideo professus, ut hoc diceret. Idem quum [1] Græco pallio amictus intrasset (carent enim [2] togæ jure, quibus aqua & igni interdictum est) [3] postquam se composuit, circumspexitque habitum suum, *Latine*, inquit, *declamaturus sum:* [4] *dices, tristia & miseranda;* Dignum

Sic ludit illa, sic suas probat vires,
Dignumque risu monstrat ostentum, si quis
Visatur unâ stratus ac felix horâ.

Juvenalis Sat. III.

Qualeis ex humili summa ad fastigia rerum
Extollit, voluit quoties, Fortuna, jocari.

Claudianus lib. I. in Eutropium.

— sic omnia volvis?
Hoc regni, fortuna, tenes? Quænam ista jocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?

Barthius.

1 *Græco pallio.*] Quo vestis genere Græci philosophi utebantur, quinimmo mortui amiciebantur: descendebat autem usque ad calceos. *Cat.*

2 *Jure togæ carent.*] Non possunt togam ferre veterum Romanorum indumentum: utpote qui jure civium Romanorum privitati sint. Nam cui aqua & igni interdictum est, nec testamentum valet quod ante fecerit. nec quod postea fecerit: bona quoque quæ tunc habuit cum damnaretur, publicabuntur: & libertatem, & civitatem, cognationes, affinitates omnes, quas ante habuit, amittit: & ejus existimatio consumitur, ac demum ultimo supplicio secundum Jurisconsultos affici dicitur. Ideo autem, quem Romana civitate pellebant, aqua & igni interdicebant, communione omni civitatis privatum significantes. *Idem.*

3 *Cum se composuisset.*] Nam certo habitu, vultum, dextra, vestem dicturi componebant, de quibus Quinctilianus lib. XI. cap. III. ex parte Apulejus lib. II. Miles. & Fulgentius Placiades in Continentiâ Virgilianâ. *Buchner.*

4 *Dicens tristia & miseranda; Dignum tamen illum, &c.*] Non audiendos arbitramur, qui *dices* hoc loco reponunt. Nam Latine dicere istum hominem Græco amictu ornatum mox, ex sententiâ suâ tamen, est miseranda & tristia dicere: horsum enim allusit Valerius, dum Latine se dicturum ait, cui eâ in urbe cum togâ jus aquâ & igne utendi ablatum erat. Et in hoc acumen est utique sententiæ. Quod ait *dignum eum* Plinius, nullo modo quoque est immutandum. Artium enim Bonarum & Virtutis litteratæ adsecla ipsa confessione tanti sceleris artes maculasse censetur. cum mortem vili in incerta innocentiâ vitæ præferre debuisset. Hæc Plinii mens est. *Barth.*
Dices tristia.] Tu pallium scilicet, quod circumspiciebat dicturus, & mox ingressus dicere, quasi alloquebatur, miratus novitatem rei, quod Græce vestitus, declamaturus Latine prodiisset. In aliis libris, *dicens* legitur, quod unice probat Barthius. Mihi alterum placet: quia audentius, & sic erectius, vividiusque. Jam illa, *dignum tamen illum*, & quæ sequuntur, melius alienæ & fictæ personæ Licinianus tribuit, quam protulit ex sua: ne semetipsum accusare videretur, quod nemo libenter facit. *Buchn.*
Dices tristia.] Mirifice *Buchnerus*, quasi alloqueretur Valerius Licinianus pallium

[1] *Dignum tamen illum*, [2] *qui hac ipsa studia incesti scelere maculaverit!* Confessus est quidem incestum: [3] sed incertum, utrum quia verum erat, an quia graviora metuebat, si negasset. Fremebat enim Domitianus, [4] æstuabatque ingenti invidia destitutus. Nam cum [5] Corneliam Vestalium Maximam [6] defodere vivam concupisset, ut qui illu-

lium suum. Immo alloquitur Plinius eum, ad quem scribit, *Cornelium Minucianum*, & eum facit ad sese, qui scribit, ita dicentem: *Dices*, forte tu, Corneli Minuciane, *Tristia & miseranda* sunt, quæ narras de Valerio Liciniano, Plini: *dignum tamen illum* his tristibus & miserandis, *qui hac ipsa studia incesti scelere maculaverit.* Ad hæc verba Plin. respondet, incertum esse de scelere, &c. *Gronovius.*

1 *Dignum.*] Putemne dignum hoc supplicio? Quidam volunt illa verba esse Liciniani: ut sit sensus, illum esse dignum dicere tristia & miseranda, qui studia literarum incesto macula verit. Alii potius Plinio ascribunt. *Catan.*

2 *Qui hac ipsa studia.*] Eloquentiæ puta: quibus turpem induerit maculam, qui per incestum cum Cornelia fecisset stuprum. Videtur autem Licinianus figurâ usus, & hæc dixisse quidem in speciem de se, reverâ in Domitianum conjecisse & exprobrasse ex ambiguo iniquitatem indignitatemque rei gestæ; quod ficti incestus crimine non tantum innocentem se, sed eloquentiæ, quæ tractabat, studia infamasset. *Buchner.*

3 *Sed incertum.*] Suetonius Domitiano: *Imperavit stupratores Corneliæ virgis in comitio cædi: excepto prætorio viro, cui dubia etiamnum causa, & incertis quæstionibus atque tormentis de semet professo, exilium indulsit.* Prætorius iste, cujus Suetonius meminit, ipse iste Licinianus est. Hunc enim honoris gradum ei Plinius tribuit initio statim Epistolæ hujus. *Idem.*

4 *Æstuabatque ingenti invidiâ destitutus.*] *Destitutus*, id est, cui deessent idoneæ res atque probationes, quibus Licinianum reum incesti perageret. Quod cum impensissime cuperet, in non convicto autem nisi cum maximâ invidiâ non posset, fremebat & æstuabat Domitianus. Hoc est, & indignabatur ardens ira & mirum in modum confundebatur. Ex altera enim parte stimulabat libido sumendi supplicium de Liciniano, ex alterâ vero terrebat metus invidiæ, quæ eum manebat, si deficientibus testimoniis innocentem, ut videbatur, damnaret. *Idem.* *Æstuabatque ingenti invidia destitutus.*] Male, qui his Vestalem virginem Corneliam recte condemnatam & supplicio affectam vulgo persuadent. Idipsum enim his significat, quod infra, cum ait: *Ardebat ergo Domitianus & crudelitatis & iniquitatis infamia.* Gronovius.

5 *Corneliam Vestalium Maximam.*] Cornelia ex familia Cossorum capta in locum Læliæ defunctæ, Nerone Imperante olim absoluta, ac multo post repetita accusatione convicta à Domitiano defodi jussa est, auctore Tranquillo, & Eusebio in Chronicis: quanquam is paulo supra in rebus Domitiani jam dixerat tres virgines Vestæ ob stuprum damnatas. Alii codices habent *Corneliam Maximillam Vestalem.* Catan.

6 *Defodere vivam.*] Hoc sollenne supplicium Vestalibus erat, quæ probri, seu pollutæ virginitatis compertæ essent. Consule Lipsium de Vesta & Vestalibus Syntagmate cap. XIII. & Jacobum Gutherium lib. II de Veteri Jure Pontificio cap. II. *Buchner.*

1 Ejus-

illuſtrari ſeculum ſuum [1] ejuſmodi exemplo arbitraretur, [2] Pontificis Maximi jure, ſeu potius immanitate tyranni, licentia [3] Domini, [4] reliquos Pontifices, non in [5] regiam, ſed in [6] Albanam villam convocavit. Nec

1 *Ejuſmodi.*] Notabilibus, punitione Veſtalium, quam neglectam à Veſpaſiano & Tito Domitianus ſevere coërcuit. Ocellatis ſororibus & Varonillæ Veſtali liberum mortis arbitrium permiſit, & corruptores earum relegavit. Hoc Papinius laudat. Tacitus circa finem fragmentatæ hiſtoriæ, Cerealem patraſſe ſtuprum cum Claudia ſacrata muliere refert. *Catan.*

2 *Pontificis Max. jure.*] Cui licebat inquirere Veſtalium crimina & vindicare, denique omnes ſacras cauſas dijudicare. Fuit autem pontifex Max. Domitianus. quod teſtantur ærea ipſius numiſmata. & Juvenalis ſat. IV.

Deſtinat hoc monſtrum cymbæ linique magiſter
Pontifici ſummo. ———

Catan. *Pontificis, &c.*] Hujus enim erat de Veſtalibus cognoſcere & crimina illarum vindicare. Vide modo allegatos auctores. *Buchner. Pontificis, &c.*] Lamprid. de Alex. *Accepit prætextam etiam cum ſacra faceret, ſed loco pontificis maximi, non imperatoris.* Scilicet omnes Impp. ab Auguſto Pontifices M. non tantum dicti, ſæpeque etiam ejus officio fungebantur. Vide *Caſaub. in Spartian.* Et ejus rei cauſam exponentem ad *Sueton. lib.* II. *c.* 31.

3 *Domini.*] Se dominum & Deum appellari juſſit, tradente Tranquillo, & Martiale ſic adulante, ſed poſt ejus interitum exprobrante. *Catan.*

4 *Reliquos Pontifices.*] Nam ipſe Domitianus Pontif. Maximus erat. Hanc enim dignitatem ſibi ſolis vindicarunt Imperatores ab Auguſto uſque ad Gratianum: ut ſimul & religionum ceremoniis, & legibus civilibus præpoſiti omne poteſtatis jus complecterentur. Cæterum pontifices dicebantur ſacerdotes omnes: unde PONTIFEX SOLIS, PONTIFEX VULCANI, PONTIFICES VESTÆ, id eſt, Sacerdotes, in veteribus Inſcriptionibus reperiuntur. *Maximus* igitur, qui præerat, ad reliquorum differentiam appellabatur. *Buchn.*

5 *Regiam.*] *Regia*, domus Pontificialis eſt. Sic appellata, quod Rex Sacrificulus ibi habitaret. Dio lib. LIX. & Servius ad VIII. Æneid. Ibi autem convenire Collegium Pontificum ſolebat, ac diſceptare & judicare controverſias ſacras, quod hîc licenti impotentia à Domitiano mutatum, de quo videatur Lipſius.

6 *Albanam villam.*] Quo ſæpiſſime convocabat patres in conſilium. Juvenalis carmen extat de re conſulta ſuper Rhombo in ſeceſſu Albano: ubi aſſerit Suetonius confixiſſe eundem Imperatorem multas feras, & Martialis quinquatria ſingulis annis Minervæ celebraſſe. Sed non ſine ratione, ſi tamen ea ratione motus, de nece Veſtalis deliberaturus pontifices in Albanum accivit, quod ſcilicet ſacerdotium Veſtalium inſtitutum eſſet à Trojanis, qui Albam condidere. Fuerant igitur Veſtales primo Albæ, inde Romam tranſlatæ. *Catan. Albanam villam.*] Quam in Albano monte Domitianus habuit, & quo ſeceſſu adeo delectatus fuit, ut quaſi domum haberet, imo & Curiam, eoque ſæpius evocaret patres, quod & ſignificat in Agricolæ vita Tacitus cap. XLV. & Juvenalis in Satyris perſtringit ac notat. *Parrhaſiam aulam & domum Parrhaſiam* non ſemel Martialis dixit. Operoſiſſimam ejus ſtructuram & ſumtuoſam magnificentiam lib. VIII. Epigr. XXXVI. ita celebrat, ut nihil ſimile toto terrarum orbe extare pronunciet. Quo referenda opi-

[1] Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit [2] incesti, cum ipse [3] fratris filiam incesto non polluisset solum, verumetiam occidisset. Nam vidua abortu periit. missi statim Pontifices, qui [4] defodiendam necandamque curarent. Illa nunc ad [5] Vestam, nunc ad cæteros deos manus tendens, multa, sed hoc frequentissime clamitabat, *Me Cæsar incestam putat: qua [6] sacra faciente, [7] vicit, triumphavit.* [8] Blandiens hæc,

da opinor quæ Plutarchus in vita Publicolæ de domo Domitiani, & damnosissima ædificandi libidine memorat. A Rabirio Architecto exstructam idem Martialis lib. VII. Epigr. LVI. clare tradit. *Buchner.*

1 *Nec minore.*] Sensus est: condemnavit Corneliam indicta causa, quod erat non minus scelus. quam quod ira videbatur illam trahere ad ultionem. *Catan.*

2 *Incesti.*] Stupri. Nam incestus committitur inter sacras personas & affines. *Idem.*

3 *Fratris filiam.*] Juliam Titi filiam, quam adhuc virginem oblatam in matrimonium recusaverat, & Sabino collocatam corrupit, mox interfecto marito ardentissime & palam dilexit, ut causa mortis illius extiterit, cum coëgisset abortum facere. *Id. Fratris filiam.*] Noster l. VIII. Ep. XXII. *Nostine hos, qui omnium libidinum servi, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant, & gravissime puniunt, quos maxime imitantur?* Sic & Victor Junior in Augusto. *Buchner.*

4 *Defodiendam necandamque.*] Quæ Vestalium virginitatem prodiderat, viva ad portam Colinam defodiebatur tumulo, qui sceleratus campus appellabatur intra urbem: ubi subterranea domus mediocris erat, in quam è loco superiore descendebatur. Jacebat in eo stratus lectulus, & lucerna ardens: primitiæque rerum earum, quæ sunt ad victum breves quædam, panis, aqua in vase, lac, & oleum: quasi careret ipsa domus, ne fame ejus corpus interiret, quæ maximis expiationibus dedicata esset: ipsam vero pœnæ obnoxiam feretro impositam, & exterius, obtectam, lorisque ligatam, quo neque vox queat etiam audiri, per forum vehebant deflentibus eam ac præmittentibus amicis cæteri cum silentio accedebant. Vide prolixius apud Dionys. & Plutarch. *Catan.*

5 *Vestam.*] Quam alii flammam, alii terram esse volunt, ideo mulierem fingunt terram tympanum ferentem, quia terra ventos in se concludit. *Idem.*

6 *Sacra faciente.*] Pro eo sacrificante. Vestalium sacra nulli cuipiam fas est scire. Legimus tamen uti consuevisse in sacrificiis muria, sale scilicet in pila tonso & in ollam fictilem conjecto, ac in furno præcocto, deinde in aquam misso. *Idem.*

7 *Vicit.*] Triumphavit. Nam de Cattis & Dacis post varia prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream tantum Jovi Capitolino rettulit. Bellum civile motum à L. Antonio superioris Germaniæ præside confecit absens mira felicitate. *Tranquillus.*

8 *Blandiens hæc, an irridens.*] Ambigui sensus Corneliæ, quæ antecedunt proxime, verba fuisse significat. Quippe quæ videre possint, vel meriti cujusdam fiducia, persuasa si foret vere vicisse Domitianum, & per blanditiam, qua deleniretur iratus, qui mirum in modum se efferebat ea victoria, & ejus mentione afficiebatur; vel ex contemtu &

hæc, an irridens, ex fiducia sui, an ex contemptu Principis dixerit, dubium est: [1] dixit donec ad supplicium nescio an innocens, [2] certe tanquam nocens ducta est. Quinetiam, quum in illud subterraneum [3] cubiculum demitteretur, hæsissetque descendenti [4] stola, vertit se, ac [5] recollegit. Cumque ei carnifex manum daret, aversata est, & resiluit: fœdumque contactum, quasi plane à casto puroque corpore [6] novissima sanctitate rejecit: omnibusque numeris pudoris, [7] πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν.

tu & irridendo vanissimo principum prolata, qui victoriam jactabat, cum victus esset, & triumphum egerat, sed inimicum & jocularem. De quo præter Dionem Tacitus etiam vita Agricolæ cap. XXXIX. *Inerat*, inquit, *conscientia* (Domitiano puta) *derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum, erat is per commercia, quorum habitus & crines, in captivorum species formarentur.* Buchner.

1 *Dixit donec, &c.*] Assentior doctissimo Heraldo, qui ad Apologeticum Tertulliani notat Tanquam innocentes ad eos pertinere qui inauditi damnantur, & hic ita legendum autumat. At Plinius tamen integer minime erit ea lectione, quæ quidem verissima est, recepta, nisi nobiscum legas: *dixit donec ad supplicium, nescio an nocens, certe tanquam innocens ducta est.* Ita habebis veram sententiam. Quam, quo magis expendes eo magis probabis. In Manuscripto quo nos utimur, hoc loci opis nihil est prorsus. *Barthius.*

2 *Certe tanquam.*] Defendi aliquando in suspicionibus meis, *certe tanquam innocens ducta est*; ut velit ab omni populo habitam pro innocente, & in Domitianeæ crudelitatis gratiam damnatum. *Gruter.*

3 *Cubiculum.*] Antrum ad portam Colinam. *Cat.* Vide, quæ supra.

4 *Stola.*] Vestis muliebris rugosa, auctoribus Varrone, Martiale, Nonio: at Olympiacæ stolæ forma, teste Apulejo, talis fuit, picta vestis ex humeris pone tergum dependens, talorum tenus vario colore visenda: circumnotatis animalibus insignita. Hinc dracones Indici, inde Gryphes hyperborei. *Catan.*

5 *Recollegit.*] Composuit stolam ne pudenda detegeret: quod fecere Pompejus, & Cæsar in nece sua. Recolligere alias est confirmare & reficere animum. *Idem.*

6 *Novissima.*] Ultimo actu vitæ suæ sanctitatem præ se ferens. *Idem.*

7 Πολλὼ πρόνοιαν, *&c.*] Verba Talthybii ex Euripidis Hecuba narrantis Polyxenæ necem: ἡδε κὴ θνήσκουσα ὅμως πολλὼ πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν, κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών. Id est, *Hæc autem & moriens tamen multam providentiam habuit honeste cadere, celare autem, quæ celare oculos marium opus est.* Quam sententiam transtulit Ovidius lib. XIII. Metamorph. ubi Polyxenæ immolationem describit. *Idem.* Πολλὼ πρόνοιαν, *&c.*] Magnam cautionem adhibuit, ut decore caderet, vel decenter. Naso sic est interpretatus:

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Quum caderet, castique decus servare pudoris.

Stephan.

1 *Cui*

πιστεῖν. Præterea Celer, eques Romanus, [1] cui Cornelia objiciebatur, cum in [2] comitio virgis cæderetur, in hac voce perstiterat, Quid feci? nihil feci. Ardebat ergo Domitianus & crudelitatis & iniquitatis [3] insania. Arripit Licinianum, quod in agris suis occultasset Corneliæ libertatem. Ille ab iis, quibus erat curæ, præmonetur, si [4] comitium & virgas pati nollet, ad confessionem confugeret, quasi ad veniam. Fecit. Locutus est pro absente Herennius Senecio tale quiddam, quale est illud, [5] κεῖται Πάτροκλος. Ait enim, ex advocato nuncius factus sum. Recessit Licinianus. gratum hoc Domitiano, adeo quidem, [6] ut gaudio proderetur, diceretque, Ab-

1 *Cui Cornelia objiciebatur.*] Qui accusabatur, quod cum Cornelia incestum commisisset. *Catan.*

2 *Comitio.*] Loco juxta Senatum, quo populus coibat comitiorum & litium causa. *Id.* Forte ex Gellio: Comitii nomine intelligitur locus coëundi, qui pro Asconii sententia in foro prope senatum erat, quo Equitibus Romanis populoque R. licebat coire, ibique stans populus suffragia ferebat.

3 *Insania.*] Non displicet *infamia*, id est malevolentia & invidia: cui manifeste expositus erat, si Celer tanquam innocens occisus videretur. *Catanaus.*

4 *Comitium & virgas.*] Id est, publicam pœnam. *Comitium* enim suppliciis istiusmodi destinatum, Et solebant stupratores Vestalium virgis ad necem cædi. Vid. Livius lib. XXII. cap. LVII. Suetonius Domitiano cap. VIII. hac ipsa historia, *Corneliam convictam defodi imperavit, stupratoresque virgis in comitio ad necem cædi.* Buchnerus.

4 Κεῖται Πάτροκλος.] *Jacet Patroclus*, judicatum, & actum est. Carmen ex lib. XXII Iliad. κεῖται παρὰ νήεσσι νεκὺς ἄκλαυστος ἄθαπτος Πάτροκλος, id est, jacet apud naves mortuus, indefletus, insepultus Patroclus. (Sequentia tamen aperte monstrant in Pliniano codice legendum κεῖται νεκύς.) Melior tamen est sensus, cum deberem agere causam pro Liciniano, (quoniam desperata est,) tanquam nuncius affero vobis illius confessionem, sicut Nestoris filius Achilli necem Patrocli lib. XVIII. Iliados:

Ὤ μοι Πηλέος υἱὲ δαΐφρονος, ἦ μάλα λυγρῆς.
Πεύσεαι ἀγγελίης, ἣ μὴ ὤφελλε γενέσθαι.
Κεῖται Πάτροκλος, νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχονται
Γυμνοῦ. ἀτὰρ τά γε τεύχε', ἔχει κορυθαίολος
Ἕκτωρ. ——

Id est, *Hei mihi Pelei fili periti in bello, profecto valde triste nuncium accipies, quod nunquam utinam fuisset. Jacet Patroclus, pro mortuo sane pugnant nudo. Verum hac arma habet galeatus Hector.* Cujus narrationis brevitatem Fabius mirum in modum probat. *Catan.*

6 *Ut gaudio proderetur.*] Ut gaudium, quod in vultu & gestu ejus se exerebat, indicio esset, id gratum accidere Domitiano. *Buchner.*

1 Publi-

Abſolvit nos Licinianus. Adjecit etiam, non eſſe verecundiæ ejus inſtandum: ipſi vero permiſit, ſi qua poſſet, ex rebus ſuis raperet, antequam bona [1] publicarentur, [2] exiliumque molle, velut præmium dedit. Ex quo tamen poſtea clementia Divi Nervæ tranſlatus eſt in Siciliam, ubi nunc profitetur, ſeque de fortuna præfationibus vindicat. Vides, quam obſequenter paream tibi, qui non ſolum res urbanas, verumetiam peregrinas tam ſedulo ſcribo, ut altius repetam. & ſane putabam te, quia tum abfuiſti, nihil aliud de Liciniano audiſſe, quam relegatum ob inceſtum. Summam enim rerum nunciat fama, non ordinem. Mereor, ut viciſſim quid in oppido tuo, quid in finitimis agatur (ſolent enim notabilia quædam incidere) perſcribas. Denique quicquid voles: dummodo non minus longa epiſtola nuncies. Ego non paginas tantum, ſed etiam verſus ſyllabaſque numerabo. *Vale.*

XII. C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

Marcellini factum laudat, quod Quæſtor, cum ante tempus ſalarium ſcriba recepiſſet, eo mortuo Trajanum ſuper hoc conſuluerit, & Senatum hortatus fuerit.

AMas [3] Egnatium Marcellinum, atque etiam mihi ſæpe commendas: amabis magis, commendabiſque, ſi co-

1 *Publicarentur.*] A præfectis in ærarium referrentur. *Catan.*

2 *Exilium molle.*] Apud gentes humaniores. Exilium, Marcello tradente, triplex eſt, aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium locorum habitatio præter certum locum, aut inſulæ vinculum. Sed Calliſtratus ſignificat aliud fuiſſe in inſulam relegari, åliud in inſulam deportari. In exulibus, *inquit*, gradus pœnarum conſtituit edictum divi Adriani, ut qui ad tempus relegatus eſt, ſi ante præſcriptum redeat, in inſulam relegetur: ſed qui relegatus in inſulam exceſſerit, in inſulam deportaretur: qui deportatus evaſerit capite puniatur. *Id.*

3 *Egnatium.*] P. Egnatium adverſus Soranum teſtimonium dixiſſe recitat Tacitus. Macrobius Egnatium citat in libris de rerum natura. Egnatium Feſtum Ædilem duumvirum, cui ludos ſub Antonino Pio publice edenti plebs urbana ad ſtatuam ponendam, pecuniam obtulit, referunt antiqua monumenta: verum is honore contentus impenſam remiſit. Ad Ignatium Dextrum ſcripſit Herennius Modeſtinus de excuſatione tutelæ. Ignatium Antiochiæ epiſcopum ſub Nerva & Trajano, auctores ſunt Græci ſcriptores. *Idem.*

1 *Sorte.*]

ſi cognoveris recens ejus factum. Cum in provinciam Quæſtor exiſſet, ſcribamque, qui [1] ſorte obtigerat, ante legitimum [2] ſalarii tempus amiſiſſet, quod acceperat ſcribæ daturus, intellexit, & ſtatuit ſubſidere apud ſe non oportere. Itaque reverſus, Cæſarem, deinde, Cæſare auctore ſenatum conſuluit, quid fieri de ſalario vellet. Parva quæſtio, ſed tamen quæſtio. Hæredes ſcribæ ſibi, [3] præfecti ærarii populo vindicabant. Acta cauſa eſt, dixit hæredum advocatus, deinde populi: uterque percommode. [4] Cæcilius Strabo ærario cenſuit inferendum: Bæbius Macer hæredibus dandum. obtinuit Strabo. Tu lauda Marcellinum, ut ego ſtatim feci. quamvis enim abunde ſufficiat illi, quod eſt & à Principe & à Senatu probatus, gaudebit tamen teſtimonio tuo. Omnes enim, qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum aſſenſio & laus à minoribus etiam profecta delectat. Te vero Marcellinus ita reveretur, ut judicio tuo plurimum tribuat. Accedit his, quod ſi cognoverit factum ſuum iſto uſque penetraſſe, neceſſe eſt laudis ſuæ ſpatio & curſu & peregrinatione lætetur. etenim neſcio quo pacto vel magis homines juvat gloria lata, quam [5] magna. *Vale.*

XIII. C. PLIN-

1 *Sorte.*] Quæſtores enim ſortiebantur ſcribas, ſicut Procoss. provincias & legatos. *Idem.*

2 *Salarii.*] Salarium merces annua laborum dicitur: at ſalarius qui ſalſamenta vendit. *Idem.* *Salarii.*] Salarium à ſale originem habet, ejuſque nomen *honoribus etiam militiæque interponitur, ſalariis inde dictis*, ut teſtatur Plin. ſen. lib. III. cap. VII. Annona cuique deſtinata & aſſignata ſic dicitur apud Vopiſc. in Aureliano: *Illi Romam venienti ſalaria ſui ordinis ſunt decreta.* Latius etiam ſtipendium & commoda ſignificavit. Vide Plinium lib. XXXIV. cap. 3. apud Turneb. Adverſ. lib. XVIII. cap. XX.

3 *Præfecti*, &c.] Lego: Hæredes ſcribæ ſibi: Præfecti ærarii, ærario populoque vindicabant. Geminatio ejuſdem vocis huic loco fraudi fuit, ut aliis (Romano more loquor) ſexcentis. *Caſaubonus.*

4 *Cæcilius Strabo.*] Legitur etiam *Cælius Strabo*, ſed nullius apud alium quempiam mentionem habitam memini. Hoc tantum velim admonuiſſe, & Strabonem & Bebium fuiſſe Conſules deſignatos, qui jus cenſendi habebant, & in cauſa Julii Baſſi Secundum deſignatos conſules nominaſſe Bebium Macrum, & Cæpionem Hiſpanum, non Cælium Strabonem. *Catan.*

5 *Magna.*] Ampla, ſed reſtricta. In appetenda enim gloria duo ſunt maxime, quæ probari poſſunt, ut & quam latiſſime vagetur, & quam diutiſſime perſeveret. *Macrobius.*

XIII. C. Plinius Tacito Suo S.

Cum Secundus in Patria audivisset, municipes suos Mediolanum petere studiorum causa, quod nullos Comi præceptores haberent, hortatus est parentes, ut liberis magistrum conducerent de suo, promittens tertiam salarii partem: quare in Thusculanum reversus, ubi opusculum quoddam erat absoluturus, rogat Tacitum, ut aliquem conquirat, qui sibi fidens judicio Novocomensium se subjiciat.

SAlvum te in urbem venisse gaudeo, venisti autem siquando alias, nunc maxime mihi desideratus. ipse pauculis adhuc diebus in Thusculano commorabor, ut opusculum, quod est in manibus, absolvam. Vereor enim, ne si hanc intentionem jam in finem [1] laxavero, ægre resumam: interim, ne quid festinationi meæ pereat, quod sum præsens petiturus, hac quasi [2] præcursoria epistola rogo, sed prius accipe causas rogandi, deinde ipsum, quod peto. Proxime cum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius [3] prætextatus. Huic ego, *Studes?* inquam. Respondit, *Etiam. Ubi?* [4] *Mediolani.*

1 *Laxavero.*] Magis placet *intermisero*, scilicet adventu meo urbem, per tempus deponam. *Catan. Jam in finem laxavero.*] Sic edd. vett. sic Pal. noster. Recentius vulgati, *jam in fine intermisero*; satis diverse. *Gruter.*

2 *Præcursoria.*] Præcedente & officio cursoris fungente. Legitur etiam *præceptoria.* Quod minus probo. *Catan. Præcursoria.*] Aldi editio *præceptoria*, sed contra editiones vett. & Palatinum. *Gruterus.*

3 *Prætextatus.*] Toga prætexta indutus: jam XIV. annos natus. Nam prætexta cum prius esset regum vestis, ut postea consulum fuit, permissa est nobilioribus pueris cum bulla aurea ad excitandam in eis virtutem memorando facto Tarquinii Prisci filii: qui dicitur in bello adversum Sabinos, cum XIV. annum ageret, hostem manu percussisse: inde à patre pro concione laudatus, & bulla aurea prætextaque toga donatus est, supra annos fortis præmia virilitatis & honoris meruit. Sicut enim prætexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium: hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in id ætatis à pueris usurparetur nobilibus. Trebellius Pollio etiam sacerdotes usos prætexta retulit, & honestorum indumentum fuisse Pædianus auctor est, simique solitum lætitiæ signum abbreviator Livii tradit: eam autem supra tunicas induebant. *Catan.*

4 *Mediolani.*] Ptolemæus Mediolanum in Germania iterum refert. Stephanus Aquitaniæ urbem scribit; hic vero Mediolanum Galliæ cisalpinæ (ut

lani. Cur non hic? & pater ejus? (erat enim una, atque etiam ipse adduxerat puerum) *quia nullos hic* [1] *praeceptores habemus. Quare nullos? Nam vehementer intererat vestra, qui patres estis* (& opportune complures patres audiebant) *liberos vestros hic potissimum discere.* Ubi enim aut jucundius morarentur, quam in patria? aut [2] pudicius continerentur, quam sub oculis parentum? aut minore sumptu, quam domi? Quantulum est ergo collata pecunia conducere praeceptores? quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea, quae peregre emuntur ([3] omnia autem peregre emuntur) impenditis, adjicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro Republ. nostra, quasi pro filia vel parente tertiam partem ejus, quod conferre vobis placebit, dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem, ne hoc munus meum quandoque [4] ambitu corrumperetur: ut accidere multis in locis video, in quibus praeceptores publice conducuntur. Huic vitio uno remedio occurri potest, si parentibus solis jus conducendi relinquatur, iisdemque religio recte

(ut omittam, quae sub nomine Catonis circumferuntur) à Gallis conditum Plin. & Strabo testantur: qui Livio auctore transgressi Alpes haud procul Ticino flumine, fusis Thuscis, cum agrum Insubrium, in quo consederant, appellari audivissent cognomine Insubribus pago Heduorum, ibi omen sequentes loci, urbem Mediolanum condidere: sic appellatam à porca lanata in media fronte, ut quidam autumant: alii ab urbe Senonum in Gallia eodem cognomento. *Catan.*

1 *Praeceptores.*] Fuit enim Mediolanum olim professorum celebritate illustre. Nam & ibi Virgilius oratoriam didicit, & Albutius Novariensis rhetor declamavit. Augustinus, qui postea suis virtutibus inter divos relatus est, liberales disciplinas professus. (Hic etiam nos clarissimos praeceptores habuimus, Georgium Merulam in Latinis, in Graecis Demetrium Chalcondilum ac Valerium.) *Idem.*

2 *Pudicius.*] Haec melior lectio servata forma analogiae quam *pudicitius.* Nam à pudico recte pudicius fit: absurdum autem esset à pudicitia deductum credere pudicitius. *Idem.*

3 *Omnia autem, &c.*] Nihil horum verborum exstat in Pal. aut edd. vett. Conspiciuntur primum in Catanaeana. *Gruterus.*

4 *Ambitu corrumperetur.*] Nam saepe accidit in oppidis praeceptores indignos publica stipendia consequi, quia sciunt ambire principes & decuriones. Inde salaria dicuntur corrumpi ambitu, cum indoctis destinantur, quod sint favorabiliores. *Catan.*

recte judicandi necessitate [1] collationis addatur. Nam qui fortasse de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt: dabuntque operam, ne eam à me pecuniam non nisi dignus accipiat, si accepturus & ab ipsis erit. Proinde consentite, conspirate, majoremque animum ex meo sumite, qui cupio esse quamplurimum, quod debeam conferre. Nihil honestius præstare liberis vestris, nihil gratius patriæ potestis. Edoceantur hîc, qui hîc nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare, frequentare consuescant: atque utinam tam claros præceptores inducatis, ut à finitimis oppidis studia hinc petantur, utque nunc liberi vestri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant! Hæc putavi altius, & quasi à fonte repetenda: quo magis scires, quam gratum mihi foret, si susciperes, quod injungo. injungo autem, & pro rei magnitudine rogo, ut ex copia studiorum, quæ ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumspicias præceptores, quos solicitare possimus: sub ea tamen conditione, ne cui fidem meam obstringam. Omnia enim libera parentibus servo. Illi judicent, illi eligant: ego mihi curam tantum, & impendium vindico. Proinde, si quis fuerit repertus, qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege, ut hinc nihil aliud certum, quam fiduciam suam ferat. *Vale.*

XIV. C. PLINIUS PATERNO SUO S.

Excusat lasciviam hendecasyllaborum suorum apud Paternum, & carminis genere, & exemplo antiquorum: deinde liberum facit ei imponendi suis versiculis, quod nomen libuerit, rogatque ut quicquid in illis displicuerit, se velit admonere.

TU fortasse orationem, ut soles, & flagitas, & expectas: at ego quasi ex aliqua peregrina delicataque merce,

[1] *Collationis.*] Pro duabus partibus augeatur. *Catan.*

1 *Lusu.*]

merce, [1] lusus meos tibi prodo. Accipies cum hac epistola [2] hendecasyllabos nostros: quibus nos in vehiculo, in balineo, inter cœnam [3] oblectamus ocium temporis. his jocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modo pressius, modo elatius: atque ipsa varietate tentamus efficere, ut alia aliis, quædam fortasse omnibus placeant. Ex quibus tamen, si nonnulla tibi paulo [4] petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuæ cogitare summos illos & gravissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse: quæ nos refugimus, non quia severiores, (unde enim?) sed quia timidiores sumus. Scimus alioqui hujus opusculi illam esse verissimam legem, quam [5] Catullus expressit,

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est:
Qui tunc denique habent salem & leporem,
Si sunt molliculi, & parum pudici.

Ego quanti faciam judicium tuum, vel ex hoc potes æstimare, quod malui omnia à te pensitari, quam electa laudari. Et sane, quæ sunt commodissima, desinunt videri cum [6] paria esse cœperunt. Præterea sapiens subtilisque lector debet non diversis conferre diversa, sed singula expendere:

1 *Lusus.*] Epigrammata jocos complexa. Sic idem lib. VII. appellat, & Martialis sæpius, jocosque vocat. *Cat.*

2 *Hendecasyllabos.*] Undecim syllabarum mensuram continentes, quibus admodum claruit Catullus, & Valerius Mart. & Statius in sylvis. Ausonius tria hendecasyllaborum genera enumerat. *Idem.*

3 *Oblectamus ocium.*] Vel oblectamur ocio. Utraque lectio convenit. Oblectamus ergo ocium temporis, id est tempus ociosum & vacuum à rebus seriis, deducimus in voluptate scribendo jocosa. Oblecto enim trahitur à lacto lactas, quod est animos in aliquam voluptatem inducere, in quam significationem interdum Terentius usurpavit. Quare non placet sententia Festi, qui à verbo lacit deductum autumat: nisi respexerit quod lactat frequentativum tractum sit à verbo lacit olim in usu, à quo allicit, pellicit, illicit. *Idem.*

4 *Petulantiora.*] Lasciviora. Nam pætum lascivum dicunt à petendo, à quo petulans & petulcus. *Idem.*

5 *Catullus expreßit.*] Carmine scil. ex lib. I. Catulli ad Aurelium & Furium. *Idem.*

6 *Paria.*] Omnia optima, & simili figura descripta. Quare liber distinguen-

pendere: nec [1] deterius alio putare, quod est in suo genere perfectum. Sed quid ego plura? Nam longiore præfatione vel excusare, vel commendare ineptias, ineptissimum est. Unum illud prædicendum videtur, cogitare me has nugas meas ita inscribere, Hendecasyllabi, qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde sive epigrammata, sive [2] edyllia, sive eclogas, sive (ut multi) poëmata, seu quod aliud vocare malueris, licebit voces: ego tantum Hendecasyllabos præsto. A simplicitate tua peto, ut, quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas. neque est difficile, quod postulo. Nam [3] si hoc opusculum nostrum, aut potissimum esset, aut solum, fortasse posset durum videri dicere, Quære quod agas: molle & humanum est, Habes quod agas. *Vale.*

XV. C. PLINIUS FUNDANO SUO S.

Fundano in proximum annum consulatum ominans petit, ut suffragio & testimonio suo Asinium Bassum quæstorem sibi assumat, quem more suo in ceteris commendationibus observato, laudat à parentibus & animi bonis.

SIquid omnino, hoc certe judicio facio, quod Asinium Rufum singulariter amo. Est homo eximius, & bono-

stinguendus est & varietate rerum & styli, ad quod respexisse videtur Mart.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.
Quæ legis hic, aliter non fit, Avite, liber. Catan.

1 *Deterius alio putare.*] Ita Palat. Nam primæ edd. *aliud*, posteriores, *aliquod*. Aldi *alios*, Catanæi, *id alio*; ut forte scribi debeat, *in alia*, quod & ad oram editionum. *Gruter.*

2 *Edyllia.*] Sive *idyllia*. Nam commode Græca dictio εἰδύλλια, utroque versus transferri ad nos potest: quæ lectio melior est quam, *elegidia*, quanquam id significet parvas elegias. Verum Secundi carmen non erat elegum, & lugubre: sed jocosum hendecasyllabum, εἰδύλλια autem parva poëmata. Sic Catullus suum hexametrum, sic prius Theocritus suas eclogas, proinde statim subdit, sive placet vocare. *Catan.*

3 *Si hoc opusculum, &c.*] Si nihil aliud majoris operæ edidissem hactenus; aut nondum quicquam edidissem præter hendecasyllabos; nihil sane legisse me hactenus, & in re ludicra tantum posuisse studium putare poteris; & itaque, si durius mecum agere velles, dicere; *quære, quod agas.* Sin vero mollius, humaniusque, *habes, quod agas.*

bonorum amantissimus. Cur enim non me quoque inter bonos numerem? Idem Cornelium Tacitum (scis quem virum) arcta familiaritate complexus est. Proinde, si utrumque nostrûm probas, de Rufo quoque necesse est idem sentias, cum sit ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum, [1] morum similitudo. Sunt ei liberi plures. Nam in hoc quoque functus est optimi civis officio, quod fœcunditate uxoris large frui voluit eo seculo, [2] quo plerisque etiam singulos filios orbitatis præmia graves faciunt: quibus ille despectis, avi quoque nomen assumpsit. Est enim avus & quidem ex Saturio Firmo, quem diliges, ut ego, si ut ego, propius inspexeris. Hæc eo pertinent, ut scias, quam copiosam, quam numerosam domum uno beneficio sis obligaturus: ad quod petendum, voto primum, deinde bono quodam omine adducimur. Optamus enim tibi, [3] ominamurque in proximum annum Consulatum. Ita nos virtutes tuæ & judicia Prin-

Prius imperat, & objurgat quodammodo; itaque duriusculum est: alterum monet & monstrat, quod come atque humanum. *Buchner.*

1 *Morum.*] Sententia à multis celebrata. Nam tradit M. Tullius in Lælio *morum similitudinem esse tenacissimum vinculum ad amicitiam.* Vide & Offic. lib. 1. & lib. de amicitia. Sic Philostr. lib. VI. *similia similes amant.* Apul. lib. de Philosophia. Et Corn. Nepos in epitomate rerum Romanarum, Feroces, inquit, similitudo morum conjunxit. Sic ex moribus contrariis nascitur odium, auctore Philostrato in vita Æschinis. *Catan.*

2 *Quo plerisque.*] Ordo est, quo præmia orbitatis faciunt graves etiam singulos filios (quod si eximes *de*, Latinitas melius procedet) graves plerisque. Præmia ergo orbitatis, id est, munera, quæ mittebantur orbis: adeo creverat avaritia, ut patri unicus filius videretur molestus, quia scilicet per eum privabatur muneribus, quæ dabantur orbis à captatoribus. Legimus apud Tranquil. Tiberium Cæsarem Lepidam fœminam generosissimam condemnasse in gratiam Quirini Consularis prædivitis, & orbi. Et Marcellinus scribit orbos, & cœlibes à captatoribus cultos. In panegyrico refert Secundus in causa fuisse sævitiam principum, ne aves oblectarentur prole: cum vere secundum naturam orbitas sit res misera. *Idem.*

3 *Ominamurque.*] Nam omen plerumque fit causa victoriæ, sicut Locrensibus petentibus auxilium à Lacedæmoniis adversum Crotoniatas. *Id.*
Ominamurque.] Omen dictum quod fit ore, q. *Oremen*, οἰώνισμα. Est enim futuræ rei pronunciatio, ori hominis incidens divino tamen furore, vid. Cicer. 1. de Divin. Quanquam omina quoque fuerint *facta*, quæ visa, aliquid portendunt, ex observat. Sigon. ad Sueton.

Principis augurari volunt. Concurrit autem, ut sit eodem anno quæstor maximus ex liberis Rufi Asinius Bassus, juvenis (nescio an dicam, quod me pater & sentire & dicere cupit, adolescentis [1] verecundia vetat) ipso patre melior. Difficile est, ut mihi de absente credas, quanquam credere soles omnia. tantum in illo industriæ, probitatis, eruditionis, ingenii, studii, memoriæ denique esse, quantum expertus invenies. Vellem tam [2] ferax seculum bonis artibus haberemus, ut aliquos Basso præferre deberes. Tum ego te primus hortarer, monerémque, circumferres oculos, ac diu pensitares, quem potissimum eligeres. [3] Nunc vero, sed nihil volo de amico meo arrogantius dicere, hoc solum dico, Dignum esse juvenem, quem [4] more majorum in filii locum assumas. Debent autem sapientes viri, ut tu, tales quasi à Rep. [5] liberos accipere, quales à natura solemus optare. Decorus erit tibi consuli quæstor patre prætorio: propinquis consularibus: quibus judicio ipsorum, quanquam adolescentulus adhuc, jam tamen invicem ornamento est. Proinde indulge precibus meis, obsequere consilio: & ante omnia, si festinare videor, ignosce: primum, quia votis suis amor plerumque præcurrit: deinde quod in ea civitate, in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur; quæ

1 *Verecundia.*] Optimæ indolis specimen in adolescente verecundia est. *Seneca.*

2 *Ferax seculum bonis artibus.*] Copiam bonorum, qui præstarent circa bonas artes. Sic M. Tul. de Imperatore deligendo, *Utinam tam ferax esset ætas nostra, ac tot essent Pompejo conferendi, ut elaborandum esset in aliquo deligendo!* Catan.

3 *Nunc.*] Puto legendum *Hunc*, quomodo & Catanæus videtur legisse, meliori nexu. Sic supra lib. II. epist. x. *Hominem te patientem*, ubi alia lectio, (quam ibi tuetur Catan.) *Neminem te patientem*, &c.

4 *More majorum.*] Qui dignos adoptabant. Nam à filio P. Scipionis Africanum minorem adoptatum fuisse legimus. *Catan.*

5 *Liberos.*] Quæstores, qui sunt consulibus vice liberorum. Cicer. in Verrem, *Sic enim à majoribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neque justiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis, quam officii, quam publicam muneris societatem, neque fere venit in contentionem de accusando, qui quæstor fuisset, quin repudiaretur.* Idem,

5 Qui

[1] quæ legitimum tempus expectant, non matura sed sera sunt: in summa, quod rerum, quas assequi cupias, præsumptio ipsa jucunda est. Revereatur jam te Bassus ut consulem: Tu dilige illum, ut quæstorem. Nos denique utriusque vestrum amantissimi, duplici lætitia perfruamur. Etenim cum sic te, sic Bassum diligamus, ut & illum cujuscunque, & tuum quemcunque quæstorem in petendis honoribus omni ope, omni labore, gratia simus juvaturi, perquam jucundum nobis erit si in eundem juvenem studium nostrum & amicitiæ meæ & consulatus tui ratio contulerit: si denique precibus meis tu potissimus adjutor accesseris, cujus Senatus & suffragio libentissime indulgeat, & testimonio plurimum credat. *Vale.*

XVI. C. PLINIUS VALERIO PAULINO SUO S.

Hortatur Valerium Paulinum ad studium, cum sit adhuc literis honor.

GAude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. Adhuc honor studiis durat. Proxime cum dicturus apud Centumviros essem, adeundi mihi locus, nisi à [2] tribunali, nisi per ipsos judices, non fuit: tanta stipatione cætera tenebantur. Ad hoc quidam ornatus adolescens, scissis [3] tunicis, ut in frequentia solet, sola vela-

1 *Quæ legitimum.*] Si expectasset Secundus, quod consul creatus fuisset Fundanius, quod erat tempus legitimum petendi quæsturam, in periculo erat, ne jam præoccupanti dedisset. *Cat.*

2 *Tribunali.*] Tribunal est locus excelsus, in quo, qui jus tribubus redderet, residebat. Gr. Δικαιωτήριον, seu Δικαστήριον, ut exponit Suidas & Hesychius in Lexico.

3 *Tunicis.*] Romani primo sine tunicis sola toga amicti fuerunt, deinde substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habebant sine manicis, quod genus Græci ἐξωμίδας appellabant. Quare P. Africanus P. Sulpitio Gallo objectavit, quod uteretur tunicis manus totas operientibus. Et apud Virg. Itali exprobrant Trojanis manicatas tunicas. Marcellus ex auctoritate Titinii, tunicam dixit esse vestimentum sine manicis, ubi manicatas tunicas testimonio multorum notat. Apul. 11. floridorum tenuissimo textu tunicam interulam refert. & Mart. in distichis magno fuisse precio.

velatus toga perstitit, & quidem horis septem. Nam tamdiu dixi, magno cum labore, sed majore cum fructu. Studeamus ergo, nec desidiæ nostræ prætendamus alienam. Sunt qui audiant, sunt qui legant, nos modo dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. *Vale.*

XVII. C. PLINIUS GALLO SUO S.

Admonente Gallo pollicetur suam operam Corneliæ adversum C. Cæcilium, à qua defensione, quum deterreri posset, & quia erat Secundo amicus, & consul designatus, tamen quum recordabatur patris Corelli, cui plurimum debebat, sperat nullam reprehensionem, sed laudem etiam ab ipso Cæcilio consecuturum.

ET admones, & rogas ut suscipiam absentis [1] Corelliæ causam contra C. [2] Cæcilium, consulem designatum. Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. admoneri enim debeo, ut sciam, rogari non debeo ut faciam, quod mihi non facere turpissimum est. An ego tueri Corelli filiam dubitem? Est quidem mihi cum isto, contra quem me [3] advocas, non plane familiaritas, sed tamen

Muliebrem & virilem fuisse vestem Varro in libris analogiæ declarat. Tunicam molestam Mart. lib. x. accipit pro ignito thorace. Antiqui insuper tunicam nominarunt velamentum illud nervosum quod superinducitur ulceribus subjecto jam vetustiore pure. *Catan.* Tam Græcos, quam Romanos tunicas sub toga habuisse testatur *Salm. ad Neron.*

1 *Corelia.*] Filiæ Corelli Rufi, & sororis Coreliæ à Secundo summa reverentia dilectæ, quæ Fuscum Minutium maritum habuit. *Catan.*

2 *C. Cæcilium.*] Multos Cæcilios per illa tempora fuisse lego, ut Cæcil. Secundus de quo Martialis. Cæcilium Simplicem creatum consulem à Vitellio. Cæcilium Celerem, cujus supra Secundus mentionem fecit. Nam Cæcilium Classicum hîc intellexisse omnino negaverim. Cæcilium Rufinum senatu movit Domitianus censor, quod saltasset. Cæcilio Proculo rescripsisse Divum Pium testatur Ulpianus. Cæcilii rhetoris meminit Athenæus, & plurimi adhuc extant in monumentis Insubrium. *Idem.*

3 *Advocas.*] Advocationem meam pro Corelia petis. Advocamur enim daturi patrocinium, Agrestio tradente. *Idem.* *Advocas.*] Sic Seneca lib. I. de Clementia cap. IX. *Contra Cæsarem advocare.* quod explicat Lipsius, adesse, causam agere. De qua Phrasi, vide Clariss. Gronovium Not. ad loc. cit.

1 Fri-

tamen amicitia. Accedit huc dignitas hominis, atque hic ipse cui destinatus est honor. Cujus nobis hoc major agenda reverentia est, quod jam illo functi sumus. Naturale est enim, ut ea quæ quis adeptus est, ipsa quam amplissima existimari velit. Sed mihi cogitanti adfuturum me Corelli filiæ, omnia ista [1] frigida & inania videntur. Obversatur oculis ille vir, quo neminem ætas nostra graviorem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit: quem ego cum ex admiratione diligere cœpissem, quod evenire contra solet, magis admiratus sum, postquam penitus inspexi. (Inspexi enim penitus.) Nihil à me ille secretum, non [2] joculare, non serium, non triste, non lætum. Adolescentulus eram, & jam mihi ab illo honor, atque etiam, (audebo dicere) reverentia, ut æquali habebatur. Ille meus [3] in petendis honoribus suffragator, & testis: ille [4] in inchoandis deductor & comes: ille in gerendis [5] consiliator & rector: ille denique in

1 *Frigida.*] Inefficacia, imbecillia. Nam frigus orationis dicimus cum inutilis est oratio. Et frigidum ac inane dicendi genus Fabius x. carpit. Donatus frigidum non adhærens interpretatur, translatum asserens à picatione vasorum, quæ frigidam picem non tenent. Frigidum plerumque nocens. *Catan.*

2 *Joculare.*] Jocosum, joci causa dictum factumve. Sic: *Paulatim vero invalescentibus vitiis jocularia & latebras omisit, & post jocularia in defectionis duces carmina lascivèque modulata super abundantissimam cœnam gesticulatus est.* Tranquill. in Nerone.

3 *In petendis, &c.*] *Honores* hic magistratus sunt, ut sæpe apud auctores. Hos qui petebant, cum essent citati, dicebant ipsi pro se de vita sua, quæ ad rem essent, earumque, quas afferebant, rerum nominabant testes: ut, sub quibus militassent, Quæstoresve fuissent. Provocabant etiam ad suffragatores, hoc est, senatores, qui ad ferenda de Candidatis suffragia convenerant. Qui attestati dicta, laudare & commendare candidatos ipsos cæteris solebant. Qua de re noster lib. III. Epist. XX: tangit & Panegyr. c. LXXII. *Buchner.*

4 *In inchoandis, &c.*] Nam qui studebant candidatis, hi voti compotes in Capitolium & domum inde, honoris causa, prosequi, sive deducere solebant. Varro lib. III. de re rustica cap. III: *Comitiis Æditiliis cum Sole calido ego & Q. Anius Senator tribuni, suffragium tulissemus, & candidato cui studebamus, vellemus esse præsto, cum domum rediret, &c.* Et rursus extremo libro: *Nos hæc, at strepitus à dextra: & eccum recta Candidatus noster designatus Ædilis. Cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur. Ille inde eundo suam domum, nos nostram.* Idem.

5 *Consiliator.*] Cujus fœmininum consi-

in omnibus officiis nostris, quanquam & imbecillus & senior, quasi juvenis & validus conspiciebatur. Quantum ille famæ meæ domi, in publico, quantum etiam apud Principem adstruxit? Nam cum forte de bonis juvenibus apud Nervam Imperatorem sermo incidisset, & plerique me laudibus ferrent: paulisper se intra silentium tenuit, quod illi plurimum auctoritatis addebat: deinde gravitate, quam noras, *Necesse est* (inquit) *parcius laudem Secundum, quia nihil nisi ex consilio meo facit*. Qua voce tribuit mihi, quantum petere voto immodicum erat, nihil me facere non sapientissime, cum omnia ex consilio sapientissimi viri facerem. Quinetiam moriens, filiæ suæ (ut ipsa solet prædicare) *multos quidem amicos* (inquit) *tibi in longiore vita paravi, præcipuos tamen Secundum, & Cornutum*. Quod dum recordor, intelligo mihi laborandum, ne qua parte videar hanc de me fiduciam providentissimi viri [1] destituisse. Quare ego vero Corelliæ adero promptissime, nec subire offensas recusabo: quanquam non solum veniam me, verum etiam laudem apud istum ipsum, à quo, ut ais, nova lis fortasse ut [2] fœminæ intenditur, arbitror consecuturum, si hæc eadem in actione latius scilicet, & uberius, quam epistolarum angustiæ sinunt, contigerit mihi vel in excusationem, vel etiam in [3] commendationem meam dicere. *Vale*.

XVIII.

consiliatrix protulit Apulejus. Is autem est qui ratione alte petita plura perpendens & comparans habet inventionem & judicationem in se secundum mores. *Catan.*

1 *Destituisse.*] Alii codices habent *fefellisse* ex Variant. Lect. *Boxhornii.*

2 *Fœminæ.*] Quæ se nesciat defendere: vel, quia quibusdam privilegiis muniuntur fœminæ. *Idem.*

3 *Commendationem.*] Quod defendam tanti viri filiam. Et amico defuncto aliquam gratiam referam. Nam secundum M. Tullium, utendum est excusatione adversus eos, quos invitos offendas quacunque possis. Quare id, quod feceris necesse fuerit, nec aliter facere potueris. In aliquibus exemplaribus pervetustis est loco *contigerit mihi dicere*, *dixero*. Idem.

XVIII. C. PLINIUS ANTONINO SUO S.

Antonini epigrammata Græca laudat, quæ cum Latine Secundus conatus esset exprimere, multum ab illis decidit.

QUemadmodum magis approbare tibi possum, quantopere miror Epigrammata tua Græca, quam quod quædam [1] æmulari Latine, & exprimere tentavi? [2] In deterius quidem accidit hoc, primum imbecillitate ingenii mei, deinde inopia: ac potius, ut Lucretius ait, [3] egestate patrii sermonis. Quod si hæc, & quæ sunt Latina, & mea habere tibi aliquid venustatis videbuntur, quantum putas inesse eis gratiæ, quæ & à te, & Græce proferuntur? *Vale.*

XIX. C. PLINIUS HISPULLÆ SUÆ S.

Gratulatur sibi & Hispullæ, quod uxor Calphurnia se dignam majoribus suis ostenderet. Nam & lætabatur Secundi laudibus, nec corpus sed gloriam illius exosculabatur.

CUM sis pietatis exemplum, fratremque optimum & amantissimum tui pari charitate dilexeris, filiamque ejus ut tuam diligas, nec tantum amitæ ejus, verum etiam

1 *Æmulari latine.*] Traducere in Linguam nostram. *Catan.*

2 *In deterius.*] Multum defeci ab archetypo. Nam longe tua meliora, quam mea: accidit autem hoc plerumque ut imitator minor sit imitato. *Id.* *In deterius quidem, &c.*] Expressi, quod erat in Palat. & vett. edit. neque aliter Modiani. *Gruter.*

3 *Egestate.*] Majus est, quam inopia. Nam hæc impotentiam, illa necessariorum penuriam significat. Inops enim qui sine ope, egens vero quasi exigens, cui ne gens quidem sit reliqua. Sic Lucretius ait lib. 1. de rerum natura, ubi de anima agit:

Multa novis verbis, præsertim cum sit agendum
Propter egestatem linguæ & rerum novitatem.

Ac eodem lib.

Quam Græci memorant. nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrii sermonis egestas.

Cat. *Egestate.*] Ejeci pronomen *hac* (*hac egestate*) volentibus Pal. & vett. ed. *Grut.*

iam patris amissi [1] affectum repræsentes, non dubito maximo tibi gaudio fore, cum cognoveris dignam patre, dignam te, dignam avo evadere. Summum est acumen, summa frugalitas: amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium literarum, quod ex mei charitate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa sollicitudine cum videor acturus, quanto, cum egi, gaudio afficitur? [2] Disponit, qui nuncient sibi, quem assensum, quos clamores excitarim, quem eventum judicii tulerim. Eadem siquando recito, in proximo [3] discreta velo sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat, [4] formatque cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. His ex causis in spem certissimam adducor, perpetuam nobis majoremque indies futuram esse concordiam. Non enim ætatem meam aut corpus, quæ paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit. Nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis præceptis institutam: quæ nihil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumque: quæ denique amare me ex tua prædicatione consueverit. Nam quum matrem meam [5] parentis loco venerêre, meque à pueritia statim formares;

1 *Affectum.*] Amorem. Latini imitatione Græcorum affici dicunt moveri aliqua passione, sive bona sive mala. Sunt qui legant *effectum*, id est, officium. *Catan.*

2 *Disponit.*] Collocat per intervalla, vel mittit auditores. *Idem.*

3 *Discreta.*] Seclusa ab aliis auditoribus. Adde, quod Sidonius VIII. scribit, Calphurniam legenti Plinio & meditanti candelas & candelabra tenuisse. *Idem.*

4 *Formatque cithara.*] Ad sonum citharæ cantat, & concordat. Statius,

Discendum musis sonat, & mea carmina flectit.

Est alia lectio *format ad citharam*, id est, concordat cum cithara. *Idem.*

5 *Parentis loco, &c.*] Scribo sic hunc locum, *Nam cum matrem meam parentis* loco venerarere, me quoque *à pueritia statim form. &c.* Casaub. *Venerere.*] Nihil verius conjectura Casauboniana, *venerarere, me quoque*, quamvis tamen utrumque tolerari queat *meque*. Sæpe enim *que* notat *etiam*, quod dum non perputat vir Clarissimus, frustra putat aliquid deesse istis Tacit. lib. 6. Annal. cap. 19. p. *ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertisse, aurariasque ejus, quanquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit.* Gruter. *Parentis loco, &c.*] Casaubonus legit: *Venerarere me quoque à Pueritia statim, &c.*

Quo

rçs, laudare, talemque qualis nunc uxori meæ videor, ominari solebas. Certatim ergo tibi gratias agimus. Ego, quod illam mihi, illa, quod me sibi dederis, quasi invicem elegeris. *Vale.*

XX. C. PLINIUS [1]NONO MAXIMO SUO S.

Indicat quid sentiat de libris Nonii, in quibus ingenium, sublimitatem, elegantiam, varietatem, ac pulchritudinem probat.

QUid senserim de singulis libris tuis, notum tibi, ut quemque perlegeram feci. Accipe nunc, quid de universis generaliter judicem. Est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, [2] elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, & cum magna tua laude diffusum. In quo tu ingenii simul, dolorisque velis latissime vectus es, & horum utrumque invicem adjumento fuit. Nam dolori sublimitatem & magnificentiam ingenium; ingenio vim & amaritudinem dolor addidit. *Vale.*

XXI.

Quo nihil verius Grutero etiam videbatur: nisi quod illud *meque* tolerari posse existimabat: quod particula *que*, non raro *etiam*, seu, *quoque*, notet. *Buchner.*

1 *Nono.*] Nonium à Severo interfectum refert Spartianus. Hic autem Nonius Max. sive Navius (utraque enim scriptura circumfertur) scripsit libros in Blateram Secundo libro octavo tradente. *Catan.*

2 *Elegans.*] Latinum, & remotum ab omni vitio. Elegantia est quæ facit, ut unumquodque verbum pure & apte dici videatur. Elegans tamen vocabulum apud antiquos in vitio fuit, ex testimonio M. Catonis, referente Gellio: illo enim significari hominem, qui nimis læto, amœnoque cultu ac victu esset, & concertantis ac fastidiosi judicii. Sic Terent. in Eunucho, Chæream dixit, elegantem formarum spectatorem, cui non facile quævis mulier quamvis formosa placeret. Postea inter laudem & vituperationem usu venit elegans, demum totum in laudem receptum est. *Idem.*

3 *Magnificentiam ingenium, &c.*] Male antea defuerat vox *ingenium*, quam in MSS. suis invenit Modius; ego item in Palatino, nec non omnibus editionibus avorum ævo impressis, etiam Aldina posterioribus. *Gruter.*

1 Helvi-

XXI. C. PLINIUS VELIO CEREALI SUO S.

Deflet apud Cerealem interitum Helvidiarum sororum, quæ à partu mortuæ fuerant.

TRistem & acerbum casum [1] Helvidiarum sororum! utraque [2] à partu, utraque filiam [3] enixa decessit. Afficior dolore, nec tamen supra modum doleo, ita mihi luctuosum videtur, quod puellas honestissimas in flore primo fœcunditas abstulit. Angor infantium sorte, quæ sunt parentibus statim, & dum nascuntur, orbatæ. Angor optimorum maritorum, angor etiam meo nomine. Nam patrem illarum defunctum quoque perseverantissime diligo, ut [4] actione mea, librisque testatum est: cui nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis paulo ante fundatam desolatus fulcit, ac sustinet. Magno tamen fomento dolor meus acquiescet, si hunc saltem & incolumem, paremque illi [5] patri, illi avo fortuna servaverit. Cujus ego pro salute, [6] pro moribus, hoc sum magis

1 *Helvidiarum sororum.*] Filiarum, non Helvidii Prisci à Vespasiano occisi, sed Helvidii filii à Domitiano interfecti, qui tres liberos superstites reliquit, duas puellas & puerum Helvidium. *Catan.*

2 *A partu.*] Partus causa. vel post partum, utrumque enim Præpositio *à* hic significare potest. Alias sæpe præpositio *à* significat causam, aliquando post: Tranquillus, *Augustus à cœna in lecticulam lucubratoriam se recipiebat.* Idem.

3 *Enixa.*] Ad partum refertur. *Idem.* Forte, quia eniti, est quasi cum conamine obsolvi, ut hinc mulieres enixæ dicantur, quæ partus dolore levatæ sunt. Alias est perfecte aliquid operari, φιλοτιμεῖσθαι. *Ab adolescentia ita se enixum, ut ab optimo quoque probartur.* Salust. in Jugurth.

4 *Actione mea, &c.*] Actione sc. adversum Publicium Certum: quod latius declaratur lib. IX. ad Quadratum. Per libros intelligit, qui ad imitationem Demosthenis contra Midiam sunt editi. *Catan.*

5 *Patri.*] Helvidio occiso à Domitiano. Quod quasi scenico exordio sub persona Paridis & Oenones divortium Imperatoris cum uxore tractasset. *Idem.*

6 *Pro moribus.*] Ut bonis imbuatur. Mos inquit Varro, est judicium animi, quem sequi debeat consuetudo. Julius Festus de verborum significa-

magis anxius, quod unicus factus est. Nosti in amore mollitiem animi mei, nosti metus. Quo minus te mirari oportebit, quod plurimum timeam, de quo plurimum spero. *Vale.*

XXII. C. PLINIUS SEMPRONIO RUFO SUO S.

Apud Viennenses celebrabatur certamen gymnicum, quod cum Trebonius tollendum curabat, advocatus est in consilium Secundus ab Imp. Trajano cum multis. Mauritius sententiam rogatus censuit omnino tollendum, addens, utinam Romæ quoque removeri posset: inde transgrediens non importune ad Imp. Nervam, fortitudinem Maurici multum laudat.

INterfui Principis optimi cognitioni in consilium assumptus. [1] Gymnicus agon apud [2] Viennenses ex cujusdam

...ficationibus morem testatur esse institutum patrium pertinens ad religiones cerimoniisque majorum. At Horatius, Columel. Mart. morem pro modo posuere. *Catan.*

1 *Gymnicus agon.*]. Certamen, quo nudi exercebantur, & maximos labores perpetiebantur. Prima olympiade agon gymnicus actus, in quo Chorebus Heliensis victor extitit; deinde complures per Graciam celebrati, quorum Græca epigrammata sæpe meminerunt: constituti autem in honorem mortuorum ad imitationem Mausoli, cui Artemisia constructo monumento Mausoleo & diis manibus dicato, agona laudibus ejus dicundis fecit, proposuitque præmia pecuniæ, aliarumque rerum bonarum amplissima. Græcos, Itali, & multæ provinciæ postea secutæ sunt. Ἀγὼν græca dictio, qua utuntur Latini, & certamen significat, & γυμνικὸς nudus: deducitur ἀπὸ τοῦ συνάγειν, seu παρὰ τὸ ἄγειν, ἀγὼν, quod ferat multam molestiam, & mœrorem. Quinque significat, locum, multitudinem spectatorum, congregationem cujusque rei, certamen, templum. In commentariis Iliadis invenisse refert Hammonius esse locum rotundum sine angulis. Nam Homerus & Thucydides agona intelligi etiam volunt pro gymnasio. Agon præterea sacrorum verborum quo sacerdos percussurus victimam utebatur. *Idem.*

2 *Viennenses.*] Vienna Allobrogum metropolis, juxta Rhodanum sita civitas mediterranea, olim vicus, postea in civitatis formam redacta, à clarissimis Allobrogum habitata, facta esse colonia, & vetustate & dignitate clara. Vitellii principatu ob iram Lugdunensium fere eversa. Stephanus ab urbe in Creta ejusdem denominationis appellatam Viennam refert: siccitate olim universam insulam occupante, in aliena loca incolæ coloniam deduxerunt accepto oraculo, ut habitarent, ubi vidissent locum paludosum. *Idem.*

jusdam testamento celebrabatur. Hunc [1] Trebonius Rufinus, vir egregius, nobisque amicus, in [2] Duumviratu suo tollendum, abolendumque curavit. Negavit ex auctoritate publica fecisse. Egit ipse causam non minus feliciter, quam diserte. Commendabat actionem, quod [3] tanquam homo Romanus & bonus civis in negotio suo mature & graviter loquebatur. Quum sententiae rogarentur, dixit Junius Mauricus (quo viro nihil firmius, nihil verius) non esse restituendum Viennensibus agona: adjecit, Vellem etiam Romae tolli posset: Constanter, inquis, & fortiter. Quidni? Sed hoc Maurico novum non est. Idem apud Nervam Imperatorem non minus fortiter. Coenabat Nerva cum paucis: [4] Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat. Dixi omnia, quum hominem nominavi. Incidit sermo de [5] Catullo Messa-

1 *Trebonius Rufinus.*] Occurrunt nobis plures Rufini per illa tempora. Fabius Rufinus vir egregius: Caecilius Rufinus tradente Dione: Junius Rufinus, quem Ulpianus meminit praefectum vigilum sub Severo & Antonino, & Callistratus Proconsulem Macedoniae sub Adriano. Fuit & Apulejus Rufinus. Licinium Rufinum rescripsisse Julio Paulo JCtus Paulus recitat. *Catan.*

2 *Duumviratu.*] In oppidis, quibus datum jus Latii, fuit magistratus duumviratus dictus, quod scilicet duo tantum essent in eo officio. Spartianus in Adriano, Per latina oppida Dictator, & aedilis, & Duumvir fuit. Paulus titulo de actionibus & Ulpianus de damno infecto testantur duumviratum fuisse magistratum municipalem: iidem alibi auctores sunt, extitisse dignitatem proximam decurionatui, qua nisi decuriones, fungi nulli poterant. *Idem.*

3 *Tanquam Romanus.*] Ejus enim oratio gravis & libera fuit, more priscorum Rom. vel tanquam Romanus, quia Vienna fuit Romanorum colonia. *Idem.*

4 *Vejento.*] Fabricius Vejento Senator, Domitiani temporibus, adulator & delatorum defensor: testimonio tamen Juven. prudens, quod adulando evitaret Tyranni crudelitatem. Sub Nerone à Talio Geminio accusatus, quod multa probrosa in patres & sacerdotes composuisset. Vejentonis uxor fuit Hippia, quae relictis omnibus suis Sergium Gladiatorem moechum in Aegyptum usque secuta est. *Idem.*

5 *Catullo Messalino.*] Is Senator delationibus pollens, nec minus adulatione Domitiano charus. Unde nimirum utrosque conjunxit Juven. Sat. IV. caecum Catullum demonstrans. Hic Libyae rector sub Vespasiano, & Tito multa crudelia commisit: sed eorum clementia quamvis deprehensus poenam fugit, non multo post multiplici morbo & insanabili correptus acerbissime, non corporis tantum cruciatus sustinebat. Nam erat illi major animi morbus & gravior, terroribus expavescebat, & crebro videbat sibi instantes

Messalino, qui luminibus [1] orbatus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat. Non verebatur, non erubescebat, non miserebatur. [2] Sæpius à Domitiano non secus ac tela, quæ & ipsa cæca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. De hujus nequitia, sanguinariisque sententiis, in commune omnes super cœnam loquebantur. Tum ipse Imperator, Quid putamus passurum fuisse, si viveret? & Mauricus, [3] Nobiscum cœnaret. Longius abii, libens tamen. Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut [4] noster hic omnium. Nam Viennensium vitia intra ipsos resident, nostra late vagantur. Utque in corporibus, sic in imperio

tes occisorum manes: quare exclamans, cum se contineri non posset, exiliebat stratis tanquam tormentis sibi & flammis adhibitis: quo magis invalescente malo extisque defluentibus, ac intestinis exhaustis, moritur. Hunc igitur & crudelitatis indicio, & quod sub Domitiano plurimum potuit, luscum, nec penitus cæcutientem, Juvenalis repræsentatum in tragœdia à Damasippo, cujus natales fuerant clari, taxat Sat. VIII. *Catan.*

1 *Orbatus.*] *Captus* alii. Fuit in secunda scriptura *luscus*: & cæcutientem puto, non omnino cæcum: ut Secundus & Juvenalis, vitium corporis in majus extollentes, ad animum referunt. Quamvis cæcus pro alio postulare non possit: tamen & Senatorium ordinem retinet & judicandi officio fungitur, & magistratum acceptum retinet, sed novum aspirare prohibetur. *Ulpianus.*

2 *Sæpius à Domitiano, &c.*] Palatinus præmittit voculam *quo*, ut & Mediolanensis editio, alia vero, sed sine nomine loci, *quod*. Id, si admittimus, necesse fuerit sic omnia distinguantur: *qui luminibus orbatus ingenio sævo mala cæcitatis addiderat (non verebatur, non erubescebat, non miserabatur) quod sæpius à Domitiano, &c.* sed enim ne quid dissimulem, iidem libri habent *contorquebat*, non *contorquebatur*. Gruterus.

3 *Nobiscum cœnaret.*] Id est, esset conviva tuus Imperator quemadmodum Vejento malus. Quod fuit libere dictum, adversus tamen Principem mitem & despectui habitum propter senectutem & debilitatem auctore Dione. *Catan.*

4 *Noster hic.*] Agon gymnicus. Nam scena & theatrum mores Rom. corrupere. Livii abbreviator, cum locatum à Censoribus theatrum extrueretur, P. Cor. Nasica auctore tanquam inutile & nociturum publicis moribus ex S.C. destructum est. Quam rem latius tractat Divus Augustinus primo de Civit. Dei. Et Tertullianus asserit Theatra stuprandis moribus nata. Tacitus refert quosdam incusasse Cn. Pompejum quod mansuram theatri sedem posuisset, dum in theatro consider populus, totos dies ignavia consumere, & patrios mores paulatim abolitos funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi & corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia, & ocia, & turpes amores exercendo. *Idem.*

perio gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur. *Vale.*

XXIII. C. PLINIUS POMPONIO BASSO SUO S.

Laudat Pomponium Bassum, quod jam ingravescentibus annis secessum suum prudenter disponat: optatque sibi aliquando dari parem occasionem, qua sine dedecore posit transigere vitam ociosam.

MAgnam cepi voluptatem, cum ex communibus amicis cognovi, te, ut sapientia tua dignum est, & disponere ocium, & ferre, habitare amœnissime, & nunc terra, nunc mari corpus agitare: multum disputare, multum audire, multum lectitare: quumque plurimum scias, quotidie tamen aliquid addiscere. Ita senescere oportet virum, qui [1] magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se [2] Reip. quamdiu decebat, obtulerit. Nam & [3] prima vitæ tempora, & [4] media patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipsæ leges monent, quæ majorem annis LX. ocio reddunt. Quando mihi licebit? quando per ætatem honestum erit imitari istud pulcherrimæ quietis exemplum? quando secessus

1 *Magistratus.*] Dignitates. Magistratus aut personam ipsam demonstrat, ut cum dicimus magistratus jussit, aut honorem, ut si dicatur Mario datus est magistratus, Ulpianus ff. secundo inquit, Magistratus est vel is qui in potestate aliqua est, ut puta Proconsul, vel Prætor, vel qui provincias regunt. Omnino hi dicuntur esse in magistratu, qui per imperia potentiores fiunt, quam privati. Magistrare enim regere & moderari significat. Tacitus inter magistratus tantum recenset, quæsturam, ædilitatem, tribunatum, præturam, consulatum. *Catan.*

2 *Reip.*] Ad usum publicum & communem utilitatem. Curiales omnes interminatione moneri jubet Imperator, ne civitates fugiant, aut deserant, rus habitandi causa: fundum, quem civitati prætulerint scientes fisco esse sociandum, eoque jure se esse carituros, cujus causa impios se patriam vitando demonstraverint. *Idem.*

3 *Prima vitæ tempora.*] Hominem in freto vivere debere, in portu autem mori, Seneca ait. quo dicto significat, hominem in juventa semper negociari debere, in senectute autem ociari. *Idem.*

3 *Media patriæ.*] Vide hic Ciceron. in Offic.

1 Fabi

cessus mei, non desidiæ nomen, sed tranquillitatis accipient? *Vale.*

XXIV. C. PLINIUS [1] FABIO VALENTI SUO S.

Quum dixisset apud centumviros, ubi nullos habebat in dicendo socios eorum, quos primo habuerat, conqueritur de fragilitate humana & mutabilitate fortunæ, exemploque suo docet, quam varia, quam lubrica sit.

PRoxime cum apud centumviros in quadruplici judicio dixissem, subiit recordatio egisse me juvenem, [2] æque in quadruplici. Processit animus, ut solet, longius: cœpi reputare, quos in hoc judicio, quos in illo socios laboris habuissem. Solus eram, qui in utroque dixissem: tantas conversiones, aut [3] fragilitas mortalitatis, aut fortunæ mobilitas facit. Quidam ex iis, qui tunc egerant, decesserunt, exulant alii: huic ætas, & valetudo silentium suasit: hic sponte beatissimo ocio fruitur: alius exercitum regit: illum civilibus officiis Principis amicitia exemit. Circa nos ipsos quam multa mutata

1 *Fabio Valenti.*] Fabius Valens, cui hæc scribitur epistola, Consul cum Vetere fuit, cum resp. diu pressa tandem in Nervam respirasset: illo Antoninus Pius, quod erat vir peritus usus est familiariter. Valentis Jurisconsulti meminit Paulus titulo de fideicommissariis hæreditatibus. Alium Fabium Valentem leges apud Tacitum, legatum, Vitellianas partes secutum, cui agmen agenti præcessit aquila clangore læto: is non multo post Urbini in custodia interfectus est, & caput Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent. *Catanæus.*

2 *Æque in quadruplici. &c.*] Revocandam putavi lectionem codicis Palatini, confirmatam præsertim auctoritate omnium editionum, etiam Aldinæ, agnitamque etiam à Catanæo. Vulgati nuper, *in quadruplici judicio: processit, &c.* quæ cum se ita habeant, liquet, injuste recentiores impressi prius illud *in quadruplici judicio* habeant uncis utrinque septum, tanquam si spurium esset. *Gruterus.*

3 *Fragilitas mortalitatis.*] Vita mortalium fragilis. Jurisconsulti frequenter usurpant mortalitatem pro morte. Ulpianus, Is qui in reatu decedit, integri status decedit: extinguitur enim crimen mortalitate. Et semel ut annotarim Tranquil. In ultima, inquiens cognitione pro tribunali accessisse Neronem ad finem mortalitatis pronunciasse. Et Valerius pro ipsis mortalibus lib. IX. *Catan.*

mutata sunt, [1] studiis processimus, studiis periclitati sumus: rursusque processimus. [2] Profuerunt nobis bonorum amicitiæ, bonorum obfuerunt, iterumque prosunt. Si computes annos, [3] exiguum tempus: si vices rerum, [4] ævum putes. Quod potest esse documento, nihil desperare, nulli rei fidere, cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi. Mihi autem familiare est, omnes cogitationes meas communicare, iisdemque te vel præceptis vel exemplis monere, quibus ipse me moneo, quæ ratio hujus epistolæ fuit. *Vale.*

XXV. C. PLINIUS MESSIO MAXIMO SUO S.

Revocata lege de suffragiis, prius factum laudaverat, quia repentinum, sed scripserat verendum, ne procedente tempore vitia aliqua nascerentur, quod cum evenisset, impudentiam suffragatorum taxat.

SCripseram tibi verendum esse, ne [5] ex tacitis suffragiis

1 *Studiis processimus.*] Sub Domitiano, cum egit pro Julio Pastore in centumvirali judicio adversum potentissimos civitatis, & Domitiani amicos: qua actione quia bene cessit, summam famam est adeptus & magistratus, quod in fine Panegyrici obscurius complectitur: Vos, inquit, patres conscripti credite, si cursu quodam provectus ab illo insidiosissimo Principe, antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti, cum viderem quæ ad honores compendia paterent, longius iter malui. *Catan.*

2 *Profuerunt nobis, &c.*] Pal. & edd. ante Aldum *profuerunt nobis bonorum amicitiæ, & obfuerunt*, exclusa repetitione verbi alterius; neque improbem. *Gruterus.*

3 *Exiguum tempus.*] Non multi anni. Nusquam enim comperio Secundum pervenisse ad senium, quod tantopere votis potierat. *Idem.*

4 *Ævum.*] Æternitatem. Dictum ævum ab æternitate omnium annorum: hinc æviternum; & per syncopen æternum. Et Censorinus, inquit, *Cæterum de ævo, quod est tempus unum & maximum, non multum est quod in præsentia dicatur. Est enim immensum, sine origine, sine fine: quod eodem modo semper fuit, semper futurum nec ad quenquam hominum magis, quam ad alterum pertinet.* Secundum vero Hammonium παρὰ τὸ αἰὼν deductum videri potest, quod quinque significat, vitam hominis, mille annorum numerum, æternitatem, auctore Gregorio Nazianzeno, & septem secula à principio mundi usque ad resurrectionem mortalium, & tergoris medullam Hippocrate tradente, sed longe plura de ævo in quodam opusculo disseruit Joannes Damascenus. *Idem.*

5 *Ex tacitis suffragiis.*] Quæ per tabel-

giis vitium aliquod exifteret. Factum eft. proximis comitiis in quibufdam tabellis multa jocularia, atque etiam fœda dictu: in una vero pro [1] candidatorum nominibus, fuffragatorum nomina inventa funt. Excanduit Senatus, [2] magnoque clamore ei qui fcripfiffet, iratum Principem eft comprecatus: ille tamen fefellit, & latuit, fortaffe etiam inter [3] indignantes fuit. Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam ferio tempore, tam [4] fcurriliter ludat? qui denique omnino in Senatu [5] dicax, & [6] urbanus, & [7] bellus eft? Tantum licentiæ pravis ingeniis adjicit illa fiducia. Quis enim fciet? popofcit tabellas, ftylum accepit, demifit caput, nemi-

tabellam ferebantur fine voce. Eft enim periculum tacitis fuffragiis ne impudentia irrepat. Aliqui legunt, *extractis*. Catan.

1 *Candidatorum, &c.*] In tabellis non fuffragatorum, fed candidatorum nomina, quibus fuffragium ferebant, fcribere debebant. Hæ autem literæ, fecundum Ciceronem de Oratore in dandis fuffragiis fubfcribebantur, A.F.P.R. id eft *actum fide Publii Rutilii*. Idem.

2 *Magnoque, &c.*] Ita reftitueram pridem ineptam lectionem, quæ in multis editionibus legitur. Formula erat illis temporibus ufitata, quæ per nefandam adulationem Principi tribuebant, quod priores Deo. Sic Epiftola v. lib. vi. *Propitium* Cæfarem *alicui precari.* Et ita accipi ille locus Symmachi lib. i. Epift. viii. debet: *Ita me Dii Dominis probabilem præftent, ut ego hoc tuum carmen libris Maronis adjungo.* Apud Senecam vero fæpe leges, *Deum precari alicui facilem aut iratum*, Cafaubon.

3 *Indignantes.*] Ipfe cum aliis indignationem fimulavit, & in numero indignantium fuit. *Catan.*

4 *Scurriliter ludat?*] Palat. *laudat*, ut & editio vetus anonyma. Si liceat fufpicionem proferre, habuerim ultimam illam vocem pro interpretis gloffa. Certe, apofiopefin hic belle locum habere poffe, nemo temere negaverit; quamvis neque ulla fuerit opus figura, fi fequentia iftis ftatim adnectamus. *Gruter.*

5 *Dicax.*] Qui jocofis falibus ludit. Sine dubio dicax à dicendo dicitur, ficut dicacitas, quæ fignificat fermonem cum rifu aliquo inceffentem. Ideo Demofthenem urbanum fuiffe dicunt, dicacem negant: de quo Cicero de Oratore, *Demofthenes non tam dicax fuit quam facetus.* Eft autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis. *Catan.*

6 *Urbanus.*] Novum oftendit M. Tullius urbanum effe vocabulum. Urbanitas autem dicitur, qua fignificari videtur fermo præ fe ferens in voce, fono, vifu, proprium quendam guftum urbis, & fumptam ex converfatione doctorum tacitam eruditionem. Cui contra rufticitas. *Idem.*

7 *Bellus.*] Fabius lib. vi. *Raro belle refpondent*, id eft, feftive & cum venere. Cicero de Oratore, *Bella eft familiaris refponfio, quafi errantis.* Idem, *Magnum rifum movent magis, ut belle & literate dicta laudantur.* Idem.

neminem veretur, se contemnit. Inde ista ludibria, [1] scena & [2] pulpito digna. Quo te vertas? quæ remedia conquiras? ubique vitia remediis fortiora. [3] ἀλλὰ ταῦτα τῶ ὑπὲρ ἡμᾶς, ἄλλῳ μελήσει. Cui multum quotidie vigiliarum, multum laboris adjicit hæc nostra iners, sed tamen effrænata petulantia. *Vale.*

XXVI. C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

Pollicetur se emendaturum libellos, quos Nepos iturus in provinciam, comites profectionis suæ petierat, quinimmo novos compositurum.

PEtis, ut libellos meos, quos studiosissime comparasti, recognoscendos, emendandosque curem: faciam. Quid enim suscipere libentius debeo, te præsertim exigente? Nam quum vir gravissimus, doctissimus, disertissimus, super hæc occupatissimus, maximæ [4] provinciæ præfuturus, tanti putes scripta nostra circumferre tecum, quantopere mihi providendum est, ne hæc pars sarcinarum, tanquam supervacua offendat? Adni-

1 *Scena.*] Quæ in theatro excitabatur agendarum fabularum gratia. Et sicut tria fabularum genera, totidem scenarum fuerunt, tragicum, comicum, satyricum. Placidus grammaticus scenam esse dicit cameram hinc inde compositam, quæ umbræ loco in theatro erat, in quo ludi actitabantur. Item scenam vocari arborum in se incubantium quasi concameratam densationem, ut subterpositos tegere possit. Item compositionem alicujus criminis, quæ digna sit agi in theatro exclamationibus tragicis. *Catan.*

2 *Pulpito.*] In proscenio fiebat pulpitum, quod Græci λογεῖον appellant: ideo quod eo tragici & comici actores in scenam pergunt. Pro recitantium cathedra Martialis posuit. *Idem.* *Scena & pulpito, &c.*] Theatris, non curia. Hoc est, quæ histriones seu scenicos magis, quam Senatores deceant. *Pulpitum* suggestus in theatro, ubi actores gerebant partes. *Buchner.*

3 Ἀλλὰ ταῦτα, &c.] *Sed hæc alii qui supra nos est, curæ erunt*, id est, verum hæc mala Imperator noster Trajanus curabit. Potest hoc dictum respicere illud Apollinis, ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις, id est, *mihi curæ erunt hæc & candidis puellis.* Catan.

4 *Provinciæ.*] Incertum cui, propter illorum temporum interceptam historiam. *Idem.*

5 Com-

Adnitar ergo primum, ut comites istos quam [1] commodissimos habeas: deinde, ut reversus invenias, quos istis addere velis. Neque enim mediocriter me ad nova opera tu lector hortaris. *Vale.*

XXVII. C. PLINIUS FALCONI SUO S.

Falconi commendat Sentii Augurini poëmata: inde sumpta occasione recitat, quæ in laudem sui scripserit. non esse tamen mirandum si talia faciat, cum gravissimorum virorum contubernio utatur.

TErtius dies est, [2] quod audivi recitantem [3] Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, immo etiam admiratione ([4] poëmatia appellat) multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuste, multa tenere, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis puto nihil generis ejusdem absolutius scriptum, nisi forte me fallit, aut amor ejus, aut quod me ipsum laudibus evexit. Nam [5] lemma sibi sumpsit, quod ego interdum versibus

1 *Commodissimos.*] Emaculatissimos: qui, si vivo auctore depravabantur, quantum nunc defecisse ab archetypo post tot secula, & in tanta barbarie putamus? Quare tanto magis nobis elaborandum fuit, ut quod in manibus extat, ab ipsis orci faucibus liberaremus. *Catan.*

2 *Quod audivi recitantem.*] Scripserat, puto, *quo*, vel *ex quo*, Cicero diceret *cum*. Plinius tamen iterum sic loquitur Epist. XIV. lib. VIII. *Breve tempus, quod libet scire, quid simus.* Casaub. *Quod audivi recitantem.*] Sic Palat. & edit. vet. impressus tamen ille sine nomine aut loci aut Typographi *quo*. Gruter.

3 *Sentium Augurinum.*] Filium Cn. Sentii Galli viri illustris, qui multa in Britannos & Judæos gessit. *Catan.*

4 *Poëmatia.*] Parva poëmata. *Idem.* *Poëmatia.*] Non debent hæc verba notis parentheseos includi. *Casaub.*

5 *Lemma.*] Argumentum. Mart. in distichis,

Lemmata si quæris cui sint ascripta, docebo,
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Scribitur duplici (m). Apud Aristotelem pro positione, id est, interrogatione sumitur. Nam interrogatio caussa responsionis est, ex qua syllogismus; eam etiam assumptum dicunt. Ex monolemmatis propositio: ut respiras? vivis igitur. Nam manifestum est assumptum: quod omne quod spirat, vivit. Lemma insuper dicimus, quod sumitur ratione doni: item prophetiam, & ex proprio corde apophthegma. Simplici vero in dignitatem, fortitudinem, elationem animi, superbiam, lucrum. *Catan.*

neminem veretur, se contemnit. Inde ista ludibria, [1] scena & [2] pulpito digna. Quo te vertas? quæ remedia conquiras? ubique vitia remediis fortiora. [3] ἀλλὰ ταῦτα τ῀ ὑπὲρ ἡμᾶς, ἄλλῳ μελήσει. Cui multum quotidie vigiliarum, multum laboris adjicit hæc nostra iners, sed tamen effrænata petulantia. *Vale.*

XXVI. C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

Pollicetur se emendaturum libellos, quos Nepos iturus in provinciam, comites profectionis suæ petierat, quinimmo novos compositurum.

PEtis, ut libellos meos, quos studiosissime comparasti, recognoscendos, emendandosque curem: faciam. Quid enim suscipere libentius debeo, te præsertim exigente? Nam quum vir gravissimus, doctissimus, disertissimus, super hæc occupatissimus, maximæ [4] provinciæ præfuturus, tanti putes scripta nostra circumferre tecum, quantopere mihi providendum est, ne hæc pars sarcinarum, tanquam supervacua offendat? Adni-

1 *Scena.*] Quæ in theatro excitabatur agendarum fabularum gratia. Et sicut tria fabularum genera, totidem scenarum fuerunt, tragicum, comicum, satyricum. Placidus grammaticus scenam esse dicit cameram hinc inde compositam, quæ umbræ loco in theatro erat, in quo ludi actitabantur. Item scenam vocari arborum in se incubantium quasi concameratam densationem, ut subterpositos tegere possit. Item compositionem alicujus criminis, quæ digna sit agi in theatro exclamationibus tragicis. *Catan.*

2 *Pulpito.*] In proscenio fiebat pulpitum, quod Græci λογεῖον appellant: ideo quod eo tragici & comici actores in scenam pergunt. Pro recitantium cathedra Martialis posuit. *Idem. Scena & pulpito, &c.*] Theatris, non curia. Hoc est, quæ histriones seu scenicos magis, quam Senatores deceant. *Pulpitum* suggestus in theatro, ubi actores gerebant partes. *Buchner.*

3 Ἀλλὰ ταῦτα, &c.] *Sed hæc alii qui supra nos est, curæ erunt*, id est, verum hæc mala Imperator noster Trajanus curabit. Potest hoc dictum respicere illud Apollinis, ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις, id est, *mihi curæ erunt hæc & candidis puellis.* Catan.

4 *Provinciæ.*] Incertum cui, propter illorum temporum interceptam historiam. *Idem.*

5 Com-

Adnitar ergo primum, ut comites istos quam [1] commodissimos habeas: deinde, ut reversus invenias, quos istis addere velis. Neque enim mediocriter me ad nova opera tu lector hortaris. *Vale.*

XXVII. C. PLINIUS FALCONI SUO S.

Falconi commendat Sentii Augurini poëmata: inde sumpta occasione recitat, quæ in laudem sui scripserit. non esse tamen mirandum si talia faciat, cum gravissimorum virorum contubernio utatur.

TErtius dies est, [2] quod audivi recitantem [3] Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, immo etiam admiratione ([4] poëmatia appellat) multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuste, multa tenere, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis puto nihil generis ejusdem absolutius scriptum, nisi forte me fallit, aut amor ejus, aut quod me ipsum laudibus evexit. Nam [5] lemma sibi sumpsit, quod ego interdum versibus

1 *Commodissimos.*] Emaculatissimos: qui, si vivo auctore depravabantur, quantum nunc defecisse ab archetypo post tot secula, & in tanta barbarie putamus? Quare tanto magis nobis elaborandum fuit, ut quod in manibus extat, ab ipsis orci faucibus liberaremus. *Catan.*

2 *Quod audivi recitantem.*] Scripserat, puto, *quo*, vel *ex quo*, Cicero diceret *cum*. Plinius tamen iterum sic loquitur Epist. XIV. lib. VIII. *Breve tempus, quod libet scire, quid simus.* Casaub. *Quod audivi recitantem.*] Sic Palat. & edit. vet. impressus tamen ille sine nomine aut loci aut Typographi quo. Gruter.

3 *Sentium Augurinum.*] Filium Cn. Sentii Galli viri illustris, qui multa in Britannos & Judæos gessit. *Catan.*

4 *Poëmatia.*] Parva poëmata. *Idem.* *Poëmatia.*] Non debent hæc verba notis parentheseωs includi. *Casaub.*

5 *Lemma.*] Argumentum. Mart. in distichis,

Lemmata si quæris cui sint ascripta, docebo,
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Scribitur duplici (m). Apud Aristotelem pro positione, id est, interrogatione sumitur. Nam interrogatio caussa responsionis est, ex qua syllogismus; eam etiam assumptum dicunt. Ex monolemmatis propositio: ut respiras? vivis igitur. Nam manifestum est assumptum: quod omne quod spirat, vivit. Lemma insuper dicimus, quod sumitur ratione doni: item prophetiam, & ex proprio corde apophthegma. Simplici vero in dignitatem, fortitudinem, elationem animi, superbiam, lucrum. *Catan.*

ſibus ludo. Atque adeo judicii mei te judicem faciam, ſi mihi ex hoc ipſo lemmate ſecundus verſus occurrerit. Nam cæteros teneo, & jam explicui:

[1] Canto carmina verſibus minutis,
His olim quibus & meus Catullus,
Et Calvus, vetereſque. [2] Sed quid ad me?
Unus [3] Plinius eſt mihi, priores
[4] Mavult verſiculos, foro relicto,
Et quærit quod amet, [5] putatque amari.
Ille Plinius, ille. [6] quid Catones?
I nunc [7] qui ſapias, amare noli.

Vides,

1 *Canto carmina.*] In hendecaſyllabis Sentii Augurini, quos huic epiſtolæ incluſit Plinius, videntur eſſe quædam, quæ parum fluant. Ac forte ita ſunt hæc concipienda:

Unus Plinius eſt mihi (priores
Mavult verſiculos foro is relicto:
Et quærit quod amet putatque amari)
Ille Plinius, ille quod Catones.

In quibuſdam editionibus diſerte extat, *quod Catones*, non *quid*. In iiſdem eſt ita ſcriptum hoc carmen: *Unus Plinius eſt mihi priores.* Quod dure dictum mihi videtur. *Caſaubon.*

2 *Sed quid ad me?*] Nihil illi faciunt mihi ad exemplum. *Catan.*

3 *Plinius eſt mihi, &c.*] Detineor hendecaſyllabo mei Plinii. *Idem.* *Plinius eſt mihi, &c.*] Sic Palat. & editiones. Prima mea illa anonyma: *eſt mihi prior. is mavult, &c.* Gruter.

4 *Mavult priores verſiculos.*] Magis capitur ſcribendis verſiculis, & hos præponit ſtudio orationum. Vel magis ſic diſtingue, & dic, *unus Plinius eſt mihi priores*, id eſt, pro Catullo & Calvo, ac aliis veteribus, ſtudeo Plinii hendecaſyllabo. *Catan.*

5 *Putatque.*] Quid ſi legas: *Probatque amari*, non *putat*? Non enim ita *putare* Latini accipiunt, ut Græci ſuum νομίζειν, pro ſolere & in moribus ac conſuetudine habere. *Caſaub.*

6 *Quid Catones?*] Opus eſt mirari ſeveros illos Catones reſpectu Plinii? An potius referendum ad ſcripta Catonis jocoſa? de quibus Ovid. lib. II. de Triſt.

Et leve Cornifici, parque Catonis opus.

Catan. *Quid Catones?*] Sic omnes edd. uſque ad Aldinam, quæ præfert, *Plinius ille quod Catones*; cui & ſuus ſenſus. Cæterum ſi Augurini verſus cæteri hujus quoque fuerunt commatis, non eſt profecto, quod nos eorum cruciet deſiderium. *Gruter.* *Quid Catones?*] Subaudi *curo*, vel aliud tale. Catones, ſeveri, rigidi & ſupercilioſi, ſive cenſorii homines, qui ludum & jocum ferre non poſſunt. Nam tales Catoni Uticenſi mores. Saluſtius: *At Catoni ſtudium modeſtiæ & decoris, ſed maxime ſeveritatis erat.* Vide Valer. Max. lib. II. cap. ult. In quibuſdam libris legitur: *quod Catones.* Quaſi dicat; tanti apud me unius eſt Plinii auctoritas, quanti Catonum omnium eſſe poſſit. Hoc eſt, quod ſupra dixit:

Unus Plinius eſt mihi priores.

Id eſt, quod priores, ſive, pro prioribus, pro antiquorum exemplis eſt. Ut licet illi ejuſmodi quid ingreſſi non ſint, ſatis tamen auctoritas ejus inſtitutum meum defendat. *Buchner.*

7 *Qui ſapias.*] Catanæus legit: *quiſquis amas, amare noli*, ſed MSſ. noſter editio,

Vides, quam acuta omnia, quam apta, quam expressa! Ad hunc gustum totum librum repromitto, quem tibi, ut primum publicaverit, exhibebo. Interim ama juvenem, & temporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat. Vivit cum Spurinna, vivit cum [1] Antonino: quorum alteri affinis, utrique contubernalis est. Possis ex hoc facere conjecturam, quam sit emendatus adolescens, qui à gravissimis senibus sic amatur. Est enim illud verissimum:

—— [2] Γιγνώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Vale.

XXVIII. C. PLINIUS SEVERO SUO S.

Nomine Severi rogat Julium Severum, ut per aliquem summum artificem curaret imagines Corn. Nepotis, & Titi Cassii quam simillimas archetypo depingendas, quas Herennius in sua bibliotheca positurus erat.

HErennius Severus, vir doctissimus, magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuo-

editionesque vett. omnes I *nunc quisquis sapias, amare noli.* Gruter.

1 *Antonino.*] Arrio Antonino avo materno Antonini Pii. Quare non audiendi, qui *Antonino Pio* legunt, cum is natus sit imperante Domitiano. Nec sub Trajano potuerit esse senex. Mox enim Spurinnam, & Antoninum, gravissimos senes appellat. *Cat.*

2 Γιγνώσκων, ὅτι τοιοῦτός, *&c.*] *cognoscens quod talis est unusquisque, quibus delectatur conversans.* Demosthenes in oratione de transgressa legatione hæc adducit tanquam ex Phoenissis Euripidis, si quibusdam exemplaribus credimus: ὅστις δ᾽ ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ, οὐ πώποτ᾽ ἠρώτησα, γιγνώσκων, ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών. Id est, *quicunque autem conversans delectatur malis vir, nunquam inquisivi, cognoscens quod talis est unusquisque quibus delectatur conversans.* Hanc etiam sententiam Aphthonius recitat suppresso auctore. Nos illam Euripidis tragœdiam diligenter recognovimus, neque ullibi talia carmina deprehendimus; aut igitur ab exemplaribus periere, aut alterius auctoris sunt. *Idem.* Γιγνώσκων ὅτι, *&c.*] Fallitur interpres, qui putat sesquiversum hunc sumtum esse ex Phœnissis Euripidis, unde postea librariorum incuria exciderit: non enim ex Phœnissis, sed de Phœnice ejus poëtæ

tuorum, [1] Cornelii Nepotis, & [2] Titi Cassii: petitque si sunt istic, ut esse credibile est, exscribendas, pingendasque delegem. Quam curam tibi potissimum injungo: primum, quia desideriis meis amicissime obsequeris: deinde, quia tibi studiorum summa reverentia, summus amor studiosorum: postremo, quod patriam tuam, omnesque qui nomen ejus [3] auxerunt, ut patriam ipsam, veneraris, & diligis. Peto autem ut pictorem quam diligentissimum assumas. Nam quum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est [4] imitationis imitatio. A qua rogo, ut artificem, quem elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare. *Vale.*

XXIX.

poëtæ hæc transtulit Plinius. Integrum locum habes apud Æschinem in ea contra Timarchum. *Casaub.*

1 *Cornelii Nepotis.*] Hic vir sanctus, Ciceroni familiaris & amicus, cujus vitam conscripsit. Clarus historicus habitus est. Nam insuper vitam Titi Attici, librum de illustribus viris, item de sagimatione avium edidit, ac Daretem Phrygium latinitate donavit, chronica conscripsit, item epigrammata lusit. Tranquil. asserit composuisse librum, quo distinguit literatum ab erudito. Moritur principatu D. Augusti Plinio auctore. *Catan.*

2 *Titi Cassii.*] Fuit Titus Cassius Severus Parmensis orator, qui primum flexit ab illa veteri atque dicendi via directa, non infirmitate ingenii, nec inscitia literarum, sed judicio & intellectu, si Tacito credimus. Utrosque conjunxerunt duo religionis nostræ professores eloquentissimi Tertullianus & Lactantius. Non negaverim tamen in antiquiss. exempl. legi Titi Catii, non Titi Cassii. *Idem.* *Titi Cassii*] Pal. *Titi Atii*, neque secus veterrimæ edd. usque ad Aldinam. Catanæus fatetur, legi etiam *Catii.* Oræ librorum ascribitur, *Attici*; item *Catili.* Grut.

3 *Auxerunt.*] Ut omittam Parmensium lanarum celebritatem, & Cassio centurione, ac Macrob. civibus secundum quosdam honestatam Parmam. Refert Plutarch. in vita C. Marii, cum inter ejus milites, & Catulli, de Cimbrorum victoria contentio oriretur, in hæc pacta ventum esse, ut legati Parmensium, qui tunc aderant de hac re judicium ferrent, qui ducti per cadavera hostium à militibus, conspexerunt jaculis militum Catulli barbarorum corpora perforata: quod dignoscebatur ex literis, quæ nomen Catulli in telis designabant. Ex quibus sane conjici potest, quanta tunc temporis esset Parmensium auctoritas, qui super tanta re disceptatores electi fuerint. *Catan.*

4 *Imitationis imitatio.*] Effigies, quæ deducitur ab alia pictura, quæ & ipsa transcripta fuit à prima & vera forma. Nam imitator semper deficit ab imitato. *Idem.*

1 Dix-

XXIX. C. PLINIUS ROMANO SUO S.

Romanum monet, ut in curiam veniat cum proxime judices cogentur, quia Nepos Prator cessanti mulctam indixerat, & nisi cum venia absolutus fuerat.

EIA tu, quum proxime res agentur, quoquo modo ad judicandum veni. Nihil est, quod in [1] dextram aurem fiducia mei dormias: non impune cessatur. Ecce, [2] Licinius Nepos, prætor acer, & fortis vir, [3] mulctam dixit, etiam Senatori. Egit ille in Senatu causam suam: egit autem sic, ut deprecaretur. Remissa est mulcta, sed timuit, sed rogavit, sed opus venia fuit. Dices, Non omnes prætores tam severi. Falleris. Nam vel instituere, vel [4] reducere ejusmodi exemplum, non nisi severi: institutum, reductumve exercere, etiam [5] lenissimi possunt. *Vale.*

XXX.

1 *Dextram aurem.*] Securus sis, proverbium in eos, qui secure vivunt. *Dextram.*] A nobiliori. Nam etiam dicimus *dormire in utramque aurem*, quod testatur Julius Pollux lib. 11. *Catan.*

2 *Licinius Nepos.*] Cujus constantiam & severitatem in Prætura postmodum laudat. Fuit alius Licinius Nepos declamator, auctore Seneca. *Idem.*

3 *Mulctam dixit.*] Usus veterum prævaluit, ut ita loqueremur, mulctam dixit, quamvis Cato, *mulctam facit* protulerit non sine ratione, ut inquit Gellius. *Mulctam.*] Pecuniariam pœnam. Instituto antiquo ex bobus & ovibus mulcta dicebatur, & maximam mulctam, quam Gellius appellat supremam duarum ovium & triginta boum instituerunt: sed cum ejusmodi mulcta à magistratibus dicta erat, adigebantur boves, ovesque alias precii parvi, alias majoris: eaque res faciebat inæqualem mulctæ pœnam; idcirco lege Aterina constituti sunt in oves singula æris deni, in boves æris centeni. Ulpianus de verborum significatione, inter mulctam & pœnam, inquit, multum interest, cum pœna generale nomen sit, & omnium delictorum coërtio, mulcta specialis peccati: cujus animadversio hodie pecuniaria est, pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis & æstimationis irrogari solet. Et mulcta quidem ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit. Pœna non irrogatur, nisi quæ quacunque lege, vel quo alio jure specialiter huic delicto imposita est. *Idem.*

4 *Reducere.*] Jam perlata lege, ne quis cessaret ab officio suo sine legitima causa, postmodum desueta, quæ tunc per Nepotem reduci videbatur. *Idem.*

5 *Lenissimi.*] Sic Palat. & edd. Vett. jure itaque damnarunt recentius vulgatum, *levissimi*, Petrus Faber, & Isaacus Casaubonus noster. *Gruter.*

1 *Eius*

XXX. C. PLINIUS [1] LICINIO SURRAE SUO S.

Miram fontis sui naturam in agro Comensi refert. Nam statis horis crescebat & decrescebat; causas ergo tanti miraculi nititur investigare, & post multas rationes judicio Surrae plura scrutanda relinquit.

ATtuli tibi ex patria mea pro munusculo quæstionem, altissima ista eruditione dignissimam. [2] Fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manu facta. Ibi paululum retentus in Larium lacum decidit. Hujus mira natura. Ter in die [3] statis auctibus, ac diminutionibus crescit, decrescitque. Cernitur id palam, & cum summa voluptate deprehenditur. Juxta recumbis & vesceris: Atque etiam ex ipso fonte (nam est frigidissimus) potas: interim ille certis dimensisque momentis vel subtrahitur vel assurgit. Annulum, seu quid aliud ponis in sicco, alluitur sensim, ac [4] novissime operi-

1 *Licinio.*] Licinio Surræ scriptam epistolam in vetusto codice lego, qui dives admodum testimonio historicorum, pariter à Juvenale demonstratur. Eo enim divitiarum processit, ut gymnasium Rom. pop. suis impensis extruxerit. Fuit autem vir alti ingenii & profundæ doctrinæ, quod epigrammate ex lib. VII. testatur Mart.

Doctorum Licini celeberrime summe virorum.

Cujus prisca graves lingua reduxit avos:

Ambiguum cum idem poëta scribat ad Licinianum,

Dum Surra laudatur tuus:

& alibi, an significaverit Palphurium Surram pulsum olim à Senatu, & Domitiano imperante de oratoribus coronatum, an Licinium Surram? Omitto enim Manlium Surram causidicum, cujus meminit Fabius. Maxima fuit cum Trajano & Licinio Surro amicitia, quod patet in Panegyrico. *Cat.*

2 *Fons.*] Ab incolis etiam nunc cognomento Plinianus, fere eandem naturam servans, quod prius monumentis mandarat Plinius avunculus: *In Comensi*, inquit, *agro juxta Larium lacum fons largus, horis singulis semper intumescit, ac residet.* Idem.

3 *Statis.*] Dimensis, certis, ut stata sacra, quæ certo die fiunt. Ergo non placet legere *statutis*. Idem.

4 *Novissime.*] Id est, demum. *Idem.*

Novissime.] Est & ubi pro *ad extremum* usurpatur. vide Flor. lib. I. cap. X. 2. & alibi. Quanquam eam vocem, ut nimium novum verbum, vitasse scribat M. Varro ex lib. de lingua Lat. ad Cicer. *Quod extremum dicebatur, dici novissimum ceptum vulgo, quod mea memoria, ut Æschilius, sic senes alii, quod nimium novum verbum esset, vitabant, &c.* & ea voce noluisse uti M. Ciceronem auctor est A. Gellius, libr. X. cap.

operitur: detegitur rursus, paulatimque deseritur. Si diutius observes, utrumque iterum ac tertio videas. [1] Spiritusne aliquis occultior os fontis & fauces modo laxat, modo includit, prout [2] illatus occurrit, aut decessit expulsus? Quod in [3] ampullis cæterisque generis ejusdem videmus accidere, quibus non hians, nec statim patens exitus. Nam illa quoque, quanquam prona & vergentia, per quasdam obluctantis animæ moras crebris quasi singultibus sistunt, quod effundunt. An, quæ [4] Oceano natura, fonti quoque? quaque ille ratione aut impellitur aut resorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur, vel [5] egeritur? An, ut flumina, quæ

cap. 21. Eum tamen falsum animadvertit Magnus ille *Cujacius*, III. observat. 36. *& Beroaldus ad Sueton. Cæsar.* LXXXIII. 3.

1 *Spiritusne aliquis.*] Nunc incipit causas facti inquirere, an scilicet aliqua lenis aura obstruat os fontis, qua remissa, aperiatur, prout illata occurrit, aut decidit expulsa. Hîc loquitur secundum philosophos, & præsertim Plinium avunculum, qui credit orbem terrarum ita habere spiritum & anhelitum, sicuti homines: & quando spiritum emittit, tunc maria crescere, cum recipit, decrescere. *Catan.*

2 *Illatus.*] Ori objectus. *Idem.*
Illatus.] Ita Palat. & edd. Vett. sed ratione scribendi, antiqua nempe *inlatus.* ex quo Neoterici nobis fecere, *in latus.* Male. Alterum nostrum explicatur & à Catanæo. *Gruter.*

3 *Ampullis.*] Ampulla est vas vitreum, aut ex alia materia ventre amplo, & inflato. Usus ejus erat in balneis ad oleum, Vide Turneb. advers. l. IV. cap. I. 50. Etiam in mensa ad aquam vel potionem, aut res alias etiam. Per translationem Orationis amplitudinem & magnificentiam notat. Sic Horat. in Art. Poëtica:

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.
Conf. Turneb. Advers. lib. IX.

4 *Oceano.*] Dicitur comes lunæ, quod cum ea simul senescit adolescitque. Incremento suo hunc ordinem servat: primo nascentis lunæ die fit copiosior æstus solito, minuitur paulisper secundo, minoremque videt eum tertius quam secundus, & ita decrescendo ad diem septimum pervenit, rursus octavus dies manet septimo par, & nonus fit similis tertio, decimus quinto, & undecimus fit quarto par, tertio quoque duodecimus, & tertiusdecimus fit similis secundo, quartusdecimus primo, tertia vero hebdomas eadem facit quæ prima: quarta eadem, quæ secunda. Excitatur autem bis in die, semper horarum XII. spatio. Luna vero crescente majores fiunt, ut refert Cæsar in Commentariis. Plinius senior etiam in sole causam æstus ponit, apud quem libro secundo, & naturam Oceani & æstus modum leges, quam rem Curtius libro octavo ante oculos manifestissime ponit, ut Strabo, Censorinus, Philostratus. *Catan.*

5 *Egeritur.*] Emittitur. Asserit Plinius, Gadibus juxta templum Herculis fontem inclusum ad putei modum,

quæ in mare deferuntur, adversantibus ventis, obvioque æstu retorquentur, ita est aliquid quod hujus fontis excursum per momenta repercutiat? An latentibus venis certa mensura, quæ dum colligit quod exhauserat, minor rivus est & pigrior: cum collegit, agilior majorque profertur? An, nescio quod [1] libramentum abditum & cæcum, quod cum exinanitum est, suscitat & elicit fontem: quum repletum, moratur, & strangulat? Scrutare tu causas, (potes enim) quæ tantum miraculum efficiunt. Mihi abunde est, si satis expressi, quod efficitur. *Vale.*

dum, alias simul cum Oceano augeri & minui, alias utrumque contrariis temporibus. *Catan.*

1 *Libramentum.*] Mensura certa. Nam librare est libra metiri: Libra autem sive libella mensorum instrumentum, & librator mensor dicitur. *Idem.* *Libramentum.*] Æquamentum vel perpendiculum esse patet ex illo Columellæ lib. I. *Nam ejusmodi positio, medium libramentum, temperamentumque Ventorum hiemalium & æstivorum tenet.* Eodem sensu Seneca lib. v. de benef. cap. v. *Modo exclusit totius aspectum, si recto libramento inter solem, terrasque successit.* Id est, ad perpendiculum inter utrumque interposita fuit, ut explicat. *Turn. Advers. l. XVI. c. IV.*

C. PLI-



C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLARUM

LIBER QUINTUS.

Epist. I. C. PLINIUS SECUNDUS SEVERO SUO S.

ARGUMENTUM.

Pomponia exhæredato filio Curiano hæredes reliquerat Secundum & alios. Filius post matris obitum voluerat secretè cum Secundo se componere; sed re infecta, & ad JC. delata, est Curiani causa visa iniqua: Is tamen postulavit, ut sequentes cohæredes, qui temporibus metuentes quærebant rem sine lite transigere. Itaque accepta quarta hæreditatis parte destitit ille à judicio. Hujus facti Secundus auctor postea à Curiano legatum capiens, non sine exultatione rem commemorat apud Severum.

LEGATUM mihi obvenit modicum; sed [1] amplissimo gratius. Cur amplissimo gratius? Pomponia Gratilla exhæredato filio Assudio Curiano, hæredem reliquerat me: dederat cohæ-

[1] AMplissimo gratius.] Longe charius, quam si alius mihi amplissimum reliquisset, propter Gratillæ amicitiam, vel quod postea laudandum contigit. *Catan.* *Amplissimo gratius.*] Habetur istud quidem in Pal. & edd. vett. Neustetterianis, tamen membranis non adesse testatur Modius, & vero minus necessaria esse, res clamat. *Gruter.*

cohæredes Sertorium Severum, prætorium virum, aliosque equites Romanos splendidos: Curianus orabat, ut sibi donarem portionem meam, seque [1] præjudicio juvarem: eandem tacita conventione salvam mihi pollicebatur. Respondebam, non convenire moribus meis aliud palam, aliud agere secreto. Præterea, non esse satis honestum donare & [2] locupleti & orbo. In summa, non profuturum ei, [3] si donassem: profuturum, [4] si cessissem: esse autem me paratum cedere, si inique exhæredatum mihi liqueret. Ad hoc ille, *Rogo cognoscas.* Cunctatus paulum, *Faciam*, inquam, *Neque enim video, cur ipse me minorem putem, quam tibi videor. Sed jam nunc memento, non defuturam mihi constantiam, si ita fides duxerit secundum matrem tuam pronuntiandi. Ut voles*, ait: *voles enim*

1 *Præjudicio.*] Secundum oratores præjudiciorum vis omnis tribus in generibus versatur: rebus, quæ aliquando ex paribus causis sunt judicatæ, quæ exempla rectius dicuntur: aut de rescissis patrum testamentis, vel contra in filios confirmatis judiciis ad ipsam causam pertinentibus, unde etiam nomen ductum est: aut cum de eadem causa pronunciatum est, ut in partibus centumviralium, quæ in duas hastas divisæ sunt. Confirmantur autem præjudicia duobus præcipue, auctoritate eorum, qui pronunciarunt, & similitudine rerum de quibus quæritur. Hoc intendebat nunc Curianus, existimans, si Secundus suam hæreditatis partem donasset, posse hoc præjudicio repetere à cohæredibus alias partes: sed fallebatur. *Catan.*

2 *Locupleti & orbo.*] Curiano. Scil. ne videretur captare hæreditatem. *Id.* *Donare & locupleti & orbo.*] Orbo, id est, orbato hæreditate, judio matris. Quod non honeste satis damnare videbatur, qui exhæredato donaret hæreditatem. Nam potuisset argui, quasi faveret delictis filii, quæ exhæredatione ulta fuerat mater. Jam orbo sive exhæredato, & pauperi donare, misericordia videretur & humanitas, non sua privanda laude: locupleti donare, captatio turpis. *Buchnerus.* *Locupleti & orbo.*] Pessime interpretatur vir optimus *Orbo*, est liberos non habenti. Horat. l. II. Satyr. v. *Vivet uter locuples sine gnatis, &c.* Gronov.

3 *Si donassem.*] Si dedissem ea mente, ut statim voluissem accipientis fieri, nec ullo casu ad me reverti: & propter nullam aliam causam fecissem, quam ut liberalitatem & munificentiam exercerem. nam hæc proprie Ulpiano tradente, donatio appellatur. *Catan.*

4 *Si cessissem.*] Curiano tanquam potiora jura habenti. Sciamus tamen, Paulo respondente, per minorem causam majori cognitioni præjudicium fieri non oportere. Major enim quæstio sæpe minorem causam ad se trahit. & Modestinus tit. de exceptionibus inquit, *Res inter alios judicata, aliis non obest, nec si is contra quem judicatum est, hæres extitit, ei contra quem nihil pronunciatum est hæreditariam litem præscribi ex ea sententia posse.* Idem.

1 *Adhi-*

enim quod æquißimum. [1] Adhibui in consilium duos, quos tunc civitas nostra spectatissimos habuit, Corellium & Frontinum. His circumdatus, in cubiculo meo sedi. Dixit Curianus, quæ pro se putabat. Respondi paucis ego. Neque enim aderat alius, qui defunctæ [2] pudorem tueretur. Deinde secessi, & [3] ex consilii sententia, *Videtur*, inquam, *Curiane, mater tua justas habuisse causas irascendi tibi.* Post hoc ille, [4] cum cæteris subscripsit centumvirale judicium, mecum non subscripsit. [5] Appetebat judicii dies. Cohæredes mei componere & [6] transigere cupiebant: non diffidentia causæ, sed metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumvirali judicio [7] capitis rei exirent. Et erant

1 *Adhibui in consilium.*] Erat mos, ut cum Adrianus causas cognosceret, & Senatores & Equites Rom. in consilium adhiberet. *Spartianus.*

2 *Pudorem tueretur.*] Honestatem, decus. Omnes enim hæredes, vel qui loco hæredum sunt, officiose agere circa defunctos convenit, ut testatur Paulus Jurisconsultus. *Catan.* *Defunctæ pudorem, &c.*] Qui factum Gratillæ defenderet; & vinceret adeo, exhæredando filio nihil contra pietatem, & quod pudori esse posset, fecisse. Similiter supra lib. II. Epist. IV. *Magnum habes facilitatis meæ pignus, cujus fiducia debes famam defuncti, pudoremque suscipere.* Buchner.

3 *Ex consilii sententia.*] Id est, ut consuluerant mihi Corellius & Frontinus, dixi, quæ sequuntur. Legitur etiam: *Hac consilii sententia*, fuit scilicet, in eundem sensum, ut supra. *Catan.*

4 *Cum cæteris subscripsit, &c.*] Sensus est, Curianum cohæredes cæteros detulisse ad Centumviros, Plinium detulisse. Qui reos deferre seu accusare parabant, non admittebantur ante, quam eorum, quibus intendebant litem, nomina perscripsissent in libro, quem offerrent judicibus, & subscripsissent suum. Hoc itaque noster *cum aliquo subscribere* dixit. Ac inde *subscribere, subscriptio*: accusare, accusatio, passim apud actores. Quamquam & *inscriptio* aliquando accusatio est. Nam quos Ulpianus L. mariti. §. hoc amplius. D. ad L. Jul. de adulteriis. libellos accusatorios; eos L. II. §. ult. eod. *inscriptionum libellos* vocat. *Inscriptionum paginam* Alexander Imperator dixit L. III. C. de his, qui accusare non possunt. *Buchner.*

5 *Appetebat.*] Adveniebat, appropinquabat. *Jam ver appetebat, cum Annibal ex hybernis movit.* Livius.

6 *Transigere.*] Conficere rem, litem finire ex compositione. Titulus est apud Jureconsultos de transactionibus, & Ulpianus ad Senatusconsultum Tertullianum, transacta debemus accipere bona fide [possessa,] ut valeat transactio. *Catan.*

7 *Capitis rei exirent.*] Audax locutio, pro dimitterentur rei, id est, ex centumviralibus causis, quæ erant civiles traherentur in judicium capitale. *Capitis rei.*] Accusarentur capitaliter. Labeo existimat capitis accusationem eam esse, cujus pœna mors aut exilium

erant quidam in illis, [1] quibus objici & Gratillæ amicitia & Rustici posset: Rogant me, ut cum Curiano loquar. Convenimus [2] in ædem Concordiæ.. Ibi ego, Si mater (inquam) te [3] ex parte quarta scripsisset hæredem, num queri posses? Quid si hæredem quidem [4] instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud

lium esset, Terentio auctore, de jure patronatus. Nam capitalia judicia dicimus, quæ ultimo supplicio afficiunt, veluti aquæ & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo secundum Justinianum quarto Institut. *Catanaus.*

1 *Quibus objici & Gratillæ amicitia & Rustici posset.*] Nam fuit Gratilla Aruleni Rustici uxor. Rusticus à Domitiano occisus, Gratilla relegata fuerat, Noster supra lib. III. Epist. XI. Solent autem tyranni non invisos tantum & odiosos vexare ac tollere, sed & eorum amicos persequi. Ita C. Silio & Titio Sabino perniciosam apud Tiberium Germanici amicitiam fuisse, Tacitus IV. Ann. c. XVIII. observat. *Buchner.*

2 *In ædem Concordiæ.*] In curia fuisse, & ibi aliquando Senatum habitum testantur Lampridius, & Varro. [M. Tullius ac Livius in area Vulcani summa nobilium invidia ædem Concordiæ à Flavio dedicatam prodidit, ex mulctatitia pecunia fœneratoribus condemnatis aream fecisse, cum ad id publica non daretur, quam voverat, si populo reconciliasset ordines, inciditque in tabula ærea. Eam ædem trecentis quatuor annis post Capitolinam dedicatam fuisse auctor est Plinius. Tranquillus testatur Tiberium *ædem Concordiæ* dedicasse. In monumentis urbis hoc reperitur S. P. Q. R. *ædem Concordiæ* vetustate collapsam in meliorem faciem opere & cultu splendidiore restituerunt. Appianus scribit post necem Gracchorum Senatum jussisse ædem Concordiæ in foro erigi. Aut igitur necesse est diversas Concordiæ ædes in urbe constructas & dirutas interdum reparatas: aut apertissime inter se dissentire scriptores. *Catanaus.*

3 *Ex parte quarta.*] Lex Falcidia lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad dodrantem: secundo capite modus legatorum constituitur his verbis, *Quicunque civis Rom. post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique civi Rom. pecuniam in rep. dare, legare volet, jus potestasque esto: dum ita detur legatum: ne minus quam quartam partem hæreditatis ex eo testamento hæredes capiant.* Paulus ad leg. Falcid. *Idem.* *Ex parte quarta scripsisset hæredem, &c.*] Quarta enim relicta sufficit ad excludendam inofficiosi querelam Auctore Ulpiano L. Papinianus VIII. §. Quoniam VIII. D. de inofficioso testamento. *Buchner.*

4 *Instituisset ex asse, &c.*] Julius Paulus lib. IV. Receptarum Sentent. Tit. V. de inofficiosi querela: *Filii ex asse hæres institutus inofficiosum dicere non potest, nec interest, exhausta nec ne sit hæreditas, cum apud eum quarta Legis Falcidiæ & S. C. Pegasiani beneficio sit remansura.* Idem. *Ex asse.*] Sub assis nomine tota hæreditas notabatur, cujus partes sunt: Uncia ab uno dicta, Sextans sexta assis pars, Quadrans quarta, Triens tria, Quincunx quinque assis partes, Semis dimidium assis, Septunx septem unciæ, Bes octo, Dodrans novem, Decunx vel Dextans decem, Deunx undecim.

1 *Quarta.*]

apud te, quam [1] quarta remaneret? Igitur sufficere tibi debet, si exhæredatus à matre, quartam partem ab hæredibus ejus accipias, quam tamen ego [2] augebo. Scis te non subscripsisse mecum, & jam [3] biennium transisse, omniaque me [4] usucepisse. Sed ut te cohæredes mei tractabiliorem experiantur, utque tibi nihil abstulerit reverentia mei, offero pro mea parte [5] tantundem. Tuli fructum non conscientiæ modo, verum etiam famæ. Ille ergo Curianus legatum mihi reliquit: & factum meum (nisi forte blandior mihi) [6] antiquorum notabili more signavit. Hæc tibi scripsi, quia de omnibus quæ me vel delectant vel angunt, non aliter tecum quam mecum loqui soleo: deinde, quod durum existimabam, te amantissimum mei fraudare voluptate, quam ipse capiebam. Neque enim sum tam sapiens, ut nihil mea intersit, an iis, quæ honeste fecisse me credo, testificatio quædam, & quasi præmium accedat. *Vale.*

II. C. PLI-

1 *Quarta.*] Legitima pars. Nam si totam hæreditatem legatis assumpsisset, profuisset Curiano doli exceptio, quod respondet Paulus de jure codicillorum. *Catan.*

2 *Augebo.*] Volebat Secundus, ut Curianus acciperet quartam bonorum partem à suis cohæredibus. Nam suam portionem jam sibi usucapione vendicaverat; tamen pro liberalitate sua pollicetur se daturum quartam suæ partis. Augebo igitur hoc pacto, si me unum ex illis quos in judicium vocasti, putavero, & mea cum illis communicavero. Sic enim fiebat quarta major. *Idem.*

3 *Biennium.*] Justinianus in Instit. titulo de usucap. Jure civili constitutum olim fuisse tradit, rem mobilem anno ubique uno, immobilem biennio tantum in Italico solo usucapi. quod sequentes Imperatores emendarunt longius tempus usucapionibus constituendo. *Idem.*

4 *Usucepisse.*] Mihi vendicasse usu lege cauto. Nam usucapio bono publico introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu, & fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. *Est* autem *Usucapio* secundum Modestinum, *acquisitio vel adjectio dominii per continuationem possessionis lege definiti.* Idem.

5 *Tantundem.*] Quartam cum cæteris cohæredibus, ut scilicet computata universa hæreditate quarta pars detraheretur & Curiano daretur. *Idem.*

6 *Antiquorum, &c.*] Quo modo solebant antiqui facere, vel legas *honore*, quo prosequebantur antiquos. *Id.*
More.] Omnes editi fere habent *honore.* Lectione Catanæi id *more signavit* potest consuetudinis observationem significare, ut sæpe, vel etiam ad exemplum antiquorum.

II. C. PLINIUS [1] FLACCO SUO S.

Flacco agit gratias pro turdorum corona, seque par munus ex Laurentino remittere non posse testatur.

ACcepi pulcherrimos turdos, cum quibus [2] parem calculum ponere, [3] nec ullis copiis ex Laurentino, [4] nec maris tam turbidis tempestatibus possum. Recipies ergo epistolas steriles, & simpliciter ingratas: ac ne illam quidem [5] solertiam Diomedis in permutando munere imitantes. Sed, quæ facilitas tua, hoc magis dabis veniam, quod se non mereri fatentur. *Vale.*

III. C. PLI-

1 *Flacco.*] Annium Flaccum Senatorem apud Plin. invenies. Adhæc scimus Valerium Flaccum poëtam per illa tempora claruisse. Crediderim tamen, cum hæc scriberet Secundus, ab humanis excessisse. In quibusdam exemplaribus non Flacco, sed *Calphurnio* scriptam epistolam notavimus: sive is fuerit Calphurnius Piso, cujus paulo post fit mentio: sive Calphurnius Agricola, ab Antonino philosopho missus adversum Britannos. Calphurnio Rufo scripsit Adrianus: & Calphurnio Flacco secundum Paulum, quem constat pervenisse usque ad Antonini & Severi tempora. Calphurnium Macrum Secundus testatur sua tempestate virum clarissimum. *Cat.*

2 *Parem calculum.*] Par munus reddere. Tracta similitudine à calculatoribus, qui parem calculum, id est, parem rationem ascribunt. *Idem.*

3 *Nec ullis copiis ex Laurentino.*] Cum ibi nihil præter tectum & arenas statim possideret, ut alibi refert: nullæ ergo erant in Laurentino copiæ. Plures legunt, *nec urbis copiis ex Laurentino*, id est, ex urbanis copiis, quas jussi exportari in Laurentinum, sed durior dicendi modus. *Idem.* *Nec ullis, &c.*] Pal. & vett. edd. ad unam omnes, *nec urbis copiis.* Dixi in suspicionibus, legendum videri, *nec ruris copiis*, & id adhuc habuerim pro vero. *Gruter.* *Nec ullis copiis ex Laurentino.*] In Veteribus libris & MSS. etiam constanter fuit *urbis:* ex quo præclare Gruterus, *ruris* legendum conjiciebat. Nam sicut mox *maris*, ita hîc *ruris copias* dixit. Et infra lib. VI. Ep. XXVIII. utrumque genus, *urbanas* juxta & *rusticas copias* habet. *Buchner.*

4 *Nec maris tam turbidis tempestatibus.*] Poterat pro avibus pisciculos mittere: sed neque horum copiam esse, per tempestates, quibus in præsenti mare æstuet, significat. Tum enim nulla capturæ opportunitas: per tempestates enim maxime latent pisces. *Idem.*

5 *Solertiam Diomedis.*] Nullo quantulocunque munere dignantes. In VI. Iliados rapsodia tradit Homerus Glaucum & Diomedem post congressum inter se mutasse arma: Glaucum aurea, quæ centum bobus, Diomedem ferrea, quæ novem tantum æstimabantur, dedisse. Hujus rei memoriam insuper Plinius lib. XXXIII. cap. I. & Gellius lib. II. c. XXIII. & Martialis libro IX. expressit. Homeri carmen M. Tullius ad Atticum lib. VI. recitat, Habes, inquit, ad omnia non ut postulasti, χρύσεα χαλκείων, sed paria paribus respondimus. Et proverbium inde ortum in sagaces: χρύσεα ἀντὶ χαλκείων διαμείβεσθαι νοεῖς, id est, *aurea pro aereis permutare nosti.* Catan.

1 Minuti.]

III. C. PLINIUS ARISTONI SUO S.

Dum legerentur Secundi epigrammata apud Aristonem præsentibus multis, quidam laudarunt, alii damnarunt, quod vir tantus lasciva talia publicaret, quibus ab Aristone cognitis scribit Secundus se honestas animi laxationes sequi, præsertim in versiculis, nec id facere sine multorum ac maximorum exemplo, quos plurimos commemorat: deinde cur epigrammata recitet, prudenter explicat.

CUM plurima officia tua mihi grata & jucunda sunt, tum vel maxime quod me celandum non putasti, fuisse apud te de versiculis meis multum copiosumque sermonem, eumque diversitate judiciorum longius processisse: extitisse etiam quosdam, qui scripta quidem ipsa non improbarent, me tamen amice simpliciterque reprehenderent, quod hæc scriberem recitaremque. Quibus ego, ut augeam meam culpam, ita respondeo. Facio nonnunquam versiculos severos parum, facio comœdias, & audio & specto [1] mimos, & lyricos lego, & [2] Sotadicos intel-

1 *Mimos.*] Omnium gesticulatores, unde & Pantomimi appellati. Eos, qui spectassent, Apulejo tradente, ridere opus erat. Mimographi autem mimorum scriptores, è quibus Laberius palmam tulit. *Idem.* *Mimos.*] Sidonius meminit alicujus Philistionis mimi lib. II. epist. I. γελωτοποιῶ, ridiculi, imo ipso in risu mortui, ut refert Suidas. Eusebius in Chron. sub Tib. Philistio mimographus Romæ clarus habebatur. Hunc Mimorum inventorem facit Cassiodorus lib. IV. Var. Vide & Epiphan. de Manichæis. Conf. Sirmond ad Sidon. Imprimis Cl. Salm. not. ad Fl. Vopisc. pag. m. 487.

2 *Satyricos.*] Qui turpia versu notant & carpunt. Non displicet *sotadicos* scilicet versus, de quibus alibi. Qui *socraticos* legunt, videntur respicere Socratis amatorios sermones, cum tamen fere alibi Socratici sermones pro sapientibus & moralibus accipiantur. *Catan.* *Et sotadicos.*] Omnino altera lectio *& Socraticos intelligo*, videtur indicare veram lectionem esse *Sotadicos*, quod & Eruditiss. Catanæo venisse in mentem video. *Casaubonus.* *Et sotadicos.*] Video doctos non abhorrere ab ista lectione, & vero ei proxime accedit scriptura librorum, in quibus *Socraticos*, quibus & accedit Palat. noster. Nam ceteræ edd. *& Satyricos intelligo.* Gruter. *Et sotadicos.*] Rutgersius, nollem, ait, Casaubonum secutum esse Catanæum. Nam & Martialis lib. IX. Ep. XLVIII. in quendam Pannicum scribit:

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas
Quicquid & hirsutis squallet imaginibus.

[1] intelligo: aliquando praeterea rideo, jocor, ludo; utque omnia innoxiae remissionis genera breviter amplectar, homo sum. Nec vero moleste fero hanc esse de moribus meis existimationem: ut, qui nesciunt talia doctissimos, gravissimos, sanctissimos homines scriptitasse, me scribere mirentur. Ab illis autem, quibus notum est, quos quantosque auctores sequar, facile impetrari posse confido, ut errare me, sed cum illis sinant, quorum non seria modo, verum etiam lusus exprimere, laudabile est. An ego verear (neminem viventium, ne quam in speciem adulationis incidam, nominabo) sed ego verear, ne me non satis deceat, quod decuit [2] M. Tullium, Cajum Calvum, [3] Asinium Pollionem, [4] Marcum Messalam, [5] Q. Hortensium,

Ubi Satyricum innuit. Et Juvenal. Satyr. II.

— Castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinaedos.

Quo loco, quod homo eruditiss. Paulus Leopardus contendat *sitadicos* legendum esse, satis confutant, quae dixi. *Rutgers. lib.* VI. *Variar. Lection.* c. XIII.

1 *Intelligo.*] Dixit sic, non tam propter difficultatem, & figuratum dicendi genus, quod illis peculiare est, quam propter turpia. Intelligo igitur *lego*. Catan.

2 *M. Tullium.*] Quem idem lib. VII. testatur lascivos versus composuisse, & ad exemplum ejus commotum, ut similes pangeret. *Idem.*

3 *Asinium Pollionem.*] Longum esset recensere omnia, quae ab historicis de istis scriptoribus referuntur, quare contenti erimus allegare, quibus probentur fuisse summi & oratores & poëtae. Pollio igitur vir consularis, orator ac historicus insignis, & secundum aliquos declamator philosophusque. Nam temporibus Pompeii Magni declamavit in urbe, & Timagenis scholae successor fuit. LXXX. aetatis suae anno in villa Tusculana moritur. Eum Sen. poëtam appellat. Nam tragoedias composuisse Tacitus & Horatius meminere, & illius carmen mirum in modum Vergilius in Bucolicis extollit. Scripsit autem multa, quorum aliqua recitantur à Suida. *Idem.*

4 *Marcum Messalam.*] Hic patre M. Messala natus iisdem Coss. quibus T. Livius historicus, minor natu, quam Cic. orator, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minime incautus patronus, in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae, multarumque causarum. Fuit ingenio exactissimo & Latini sermonis diligentissimus observator: unde totos libellos non de rebus modo singulis, sed etiam de literis edidit. Illi vertere Graeca in Latinum placuit, multaeque fuerunt ad hunc modum scriptae orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderit. *Idem.*

5 *Q. Hortensium.*] Hic Consularis vir clarus & humanus Praetor Pompejanus partes secutus in Macedoniam. *Idem.*

tensium, [1] M. Brutum, [2] L. Syllam, [3] Quintum Catulum, [4] Quintum Scævolam, [5] Servium Sulpitium, Varro-

1 *M. Brutum.*] Orator plurimum actione valens, cujus rei fides est, quod ejus scripta tantum intra famam fuerunt. Diu oratorum princeps, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est, novissime quoad vixit Secundus. Nam omnibus fermè ætatis suæ oratoribus, nisi M. Tullio clarior. Fuit multa cum munditia indutus amictuque, piscinarum & pavonum amator. Cicero de Claris Oratoribus, & Valerius Maximus lib. VIII. plurimum actione valuisse tradunt. In Brutum etiam edita carmina prodit Seneca, lib. IV. controverſ. M. Bruti vita luculentissime à Plutarcho describitur. *Catan.*

2 *L. Syllam.*] *Sullam* quidam legunt, quod facilis sit transitus ab *y* in *u*. Syllam à colore nomen traxisse credit Plutarchus: alii, ut Macrobius, dictum quasi Sibyllam. L. igitur Sylla cognomento Fœlix, salibus & scommate oblectatus commentarios rerum suarum reliquit, post captas Athenas allatam Apelliconis bibliothecam in urbem transtulit, in qua fuerant Aristotelis & Theophrasti libri, qui publicati multum Romanis ad philosophiam contulerunt. Fuit enim Sylla literis Græcis & Latinis pariter doctissime eruditus, facundus ac ingenio incredibili, ut in historiis memorat Salustius. *Idem.*

3 *Q. Catulum.*] Q. Catulus Luctatius Consul cum Mario de Cimbris triumphavit. Censuram cum Crasso gessit, civilibus negociis, quam rei militari commodior, Syllanæ factionis aliquando princeps, in summo honore apud optimates & multitudini non invisus, omnium vero Romanorum mansuetissimus, auctoritatis, integritatis, æquitatis primus, post dedicatum à se Capitolium, qui somniavit Jovem in gremium suum Augustum puerum reposuisse, atque Reipub. signum, quod manu gestaret, in sinum ejus collocasse. Catulo non solum nos Latini, sed etiam Græci ipsi (Cicero refert) solent suæ linguæ subtilitatem elegantiamque concedere. Epigrammata lusisse Gellius auctor est. *Idem.*

4 *Q. Scævolam.*] Q. Mutius Scævola, P. filius, & L. Crassi socer, princeps Romæ in ædilitate sua leonum simul plurium pugnam dedit, collega Crasso oratori in Consulatu, & iterum cum L. Cæcilio Metello, cum uterque de Dalmatis triumphavit, pontifex Max. Romanorum unus & ingenio & industria præstantissimus. Nam fuit orator ac Jurisconsultus insignis, qui Ciceronem in jure civili instituit. Unde merito Q. Scævolam lib. I. de Oratore vocat omnium doctissimum, & disciplina Juris civilis eruditissimum, & ingenio prudentiaque acutissimum, & oratione maxime limatum: subtilem, & Jurisperitorum eloquentium Jurisperitum eloquentissimum. Plura lege apud eundem in libro de Claris Oratoribus. *Idem.*

5 *Servium Sulpitium.*] Servius Sulpitius vir princeps, qui interrex Pompejum unicum Consulem creavit, in adolescentia verbis redundantibus, & effervescentibus: post Lucii Crassi auditor magnificum illud dicendi genus expressit: tantam facultatem assecutus, ut non æqualibus suis solum anteponeretur, sed cum majoribus natu compararetur. Nemo enim nec motu corporis, nec ipso habitu, atque forma fuit aptior, nec voce plenior, aut suavior, cujus tanta erat in dicendo gravitas, tanta jucunditas, tanta brevitas, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, dicendo perficere. Reliquit prope centum & octoginta libros, au-

[1] Varronem, [2] Torquatum, immo Torquatos, [3] C.Memmium,

ctore Pomponio: hoc solo exercitationis genere se exercere solebat in componendis carminibus. Nam & sublimis spiritus attollere orationem poterat, & verba poëtica libertate audaciora præsumunt eandem dicendi facultatem. Quare Ovidius, secundo Tristium monstrat Servium, aliquando versibus lasciviſſe. *Catan.*

1 *Varronem.*] Marcus Terentius Varro secundum Sidonium alius ab eo, qui natus in vico Attace Narbonensis provinciæ [ille] xxxv. agens annum literas Græcas summo studio edidicit: in Latinis præceptorem habuit Lælium virum doctum, & socerum C. Fundanium, vir ingenio omnique doctrina præstans. L. Ælium equitem eruditissimum, & Græcis literis & Latinis, antiquitatisque nostræ penitus literatum imitatus: eam scientiam per sese etiam auctam pluribus & illustrioribus literis explicuit: quem sensum voluit, optime expressit: omnium Rom. doctissimum, linguæ Latinæ peritissimum, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum, nostrarumque, testantur Seneca & Fabius. *Idem.*

Varronem.] Macrobius hunc in omnibus imitatorem Homeri, A. Gellius vero doctrinarum multiformium, variarumque artium, quibus humanitas erudita est, culmen habuisse tradunt. Multa scripta reliquit, quorum hic mentionem facere, longum foret. Ex iis unicum indicasse sufficiat, quod Argonautica conscripserit, ut colligi licet ex II. Tristium Ovidii:

Is quoque Phasiacas Argon, qui duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere sua.

Quibus M. Varronis Argonautica & Epigrammata monstrasse, cuivis liquet. Triumviratum & Tribunatum gessit, in quibus valde claruit. Quam in rem confer *Aul. Gellium* in Noct. Attic. diversis in locis.

2 *Torquatum, immo Torquatos.*] Primum Torquato cognomentum indidisse accepimus torquem ex auro hostis Galli, quem singulari certamine provocatus occiderat, & torquem detractum collo suo imposuerat, inde cognomen in familiam receptum. Igitur Torquatos eloquentes adducit: quorum primus L. Torquatus, M. Tullio referente, elegans in dicendo, in æstimando admodum prudens orator, quem non tam cito Rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut Græci dicunt politicon: verum in eo erant plurimæ literæ, nec vulgares, sed interiores quædam, & reconditæ: divina memoria, summa verborum & gravitas, & elegantia: atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas & integritas. *Catan.*

3 *C. Memmium.*] C. Memmius, L. filius, perfectus literis, sed Græcis: fastidiosus sane Latinarum: argutus orator, verbisque dulcis: sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem: tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriæ. Hæc Cicero de claris Oratoribus, & quæ sequuntur. Tum etiam C. & L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non sæpe dixerunt. Nam C.Memmius Tribunus plebis, Marcum Luculli fratrem reum fecit, & cum judicium Marcus evasisset, convertit accusationem in L. Lucullum, sed conspiratione nobilium defensus est. Hic est ille Memmius, qui dixit Catonem totas noctes ebrium esse, & orationibus asperrimis insectatus est Julium Cæsarem, à quo non minore acerbitate repressus, sed mox Cæsar in petitione Consulatus Memmio suffragator fuit. Memmii dura epigrammata notat Gellius, Ovidius Latina lib. II. Trist.

Quid

mium, [1] Lentulum, [2] Gætulicum, [3] Annæum Senecam, [4] Lucejum, & proxime Virginium Rufum: & si non suffi-

Quid referam Tindæ? quid Memmi carmen? apud quos
Nomen adest rebus, nominibusque pudor.

Ubi tamen quidam pro Tindæ legunt Ticidæ. *Catan.*

1 *C. Lentulum.*] C. Lentulus Marcellinus Censorinus, nec unquam indisertus, & in Consulatu pereloquens visus est: non tardus sententiis, non inops verbis. Legitur etiam, Cn. Lentulus, qui testimonio M. Tullii multo majorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: non peracutus, quanquam & ex facie & ex vultu videbatur: nec abundans verbis, & si fallebat in eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi & canora, admirando irridebat: calebat agendo, ut ea, quæ deerant non desiderarentur. *Idem.*

2 *Gætulicum.*] Cum Cajo Gætulico inimicitias gessisse, lib. IV. natur. quæst. affirmat Seneca: apud alium quempiam nihil adhuc de illo comperi, præter unum Martialem, qui in præfat. libri primi asserit Gætulicum epigrammata scripsisse. *Idem. Gætulicum.*] Ejus epigrammata Græca exstant in Anthologia. Conjuncte fere legunt *Lentulus Gætulicus*, ut apud Sidon. lib. II. Epist. X. & in excusator. ad Felicem. vide *Sirmond.*

3 *Annæum Senecam.*] Lucius Annæus Seneca Cordubensis, cujus si singula exequi vellem, formam interpretis excederem, Cyrum Maryllium Esserninum rhetorem præceptorem, & condiscipulum Portium Latronem declamatorem habuit: & Phocionem Stoïcum in philosophia audivit, & Attalum. Supervixit ad multum ætatis, ut potuerit, ipso contestante, M. Tullium audivisse. Plurimum studii in eo fuit, multarumque rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Natus ingenio amœno, & temporis illius auribus accommodato. Tractavit omnium fere studiorum materiam: nam plura scripsit, quam nunc extent. In dicendo copiam præ se tulit: at in philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator: multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Sane fractum dicendi genus habuit, ac ab antiquis deflexit. Potiores se nimium incessit. Lege Gellium lib. XII. cap. II. Poëmata Fabio prodente scripsit. Moriens sibi hoc epitaphium condidit:

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores
Ite, alias post hac solicitate animas.
Me procul à vobis Deus evocat, illicet actis
Rebus terrenis, hospita terra, vale.
Corpus avara tamen solemnibus accipe saxis
Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.

Sidonius Apollinaris hendecasyllabo ad Felicem ex professo docet tragœdias ab altero Seneca scriptas. Vitam & mores, fortunam, mortis causas & genus cum uxore Paulina, si quis requirit, legat Tacitum, Dionem & D. Hieronymum à prioribus dissentientem. *Catan.*

4 *Lucejum.*] Annæus Lucanus conjuravit in Neronem, quod famam ejus carminum Imperator vanus ostentatione premebat, prohibueratque ostentare. Scriptor in dicendo ardens, & concitatus, & sententiis clarissimus. Quintiliano judice magis oratoribus, quam poëtis connumerandus: Martiale secus sentiente, & libro decimo attestante lusisse interdum epigrammate. *Idem.*

1 Priva-

sufficiunt exempla [1] privata, Divum [2] Julium, Divum [3] Augustum, Divum [4] Nervam, [5] T. Cæsarem? [6] Neronem enim transeo, quamvis sciam, non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam à malis, sed honesta manere, quæ sæpius à bonis fiunt. Inter quos vel præcipue numerandus est P. Vergilius, Corn. Nepos, & prius Ennius, [7] Actiusque. Non quidem [8] hi Senatores, sed sancti-

1 *Privata.*] Respectu Imperatorum. Sic usurpat in panegyrico. Nam alias omnes jam nominati fuerant in magistratu. *Catan.*

2 *Julium.*] C. Julius Cæsar Dictator poëma reliquit, cui titulus, *iter, puer, & adolescentulus*: quædam scripserat, ut laudes Herculis, Oedipi tragœdiam, dicta collectanea. Tacitus asserit eum fecisse carmina & in bibliothecas reposuisse, apud quem & Ciceronem, Hircium, Fabium, Tranquil. Plut. Gellium multa de illius eloquentia, & ingenio disseruntur. *Idem.*

3 *Augustum.*] Augustus Cæsar jocos affectavit, salvo tamen majestatis pudorisque respectu, nec ut caderet in scurram. Fuit poëticæ studiosus Horatii testimonio musas alloquentis,

Vos Cæsarem altum militia simul
Fessas cohortes addidit oppidis,
Finire quærentem labores
Pierio recreatis antro. Idem.

De carminibus Augusti vide Sueton. August. cap. LXXXV, ibique Beroald. Adde imprimis Rutgers. lib II. Variar. Lection. cap. XIX.

4 *Nervam.*] Coccejus Nerva, qui post Domitianum imperavit, & nunquam visus est ridere, neque ludere inter amicos, epigrammata scripsit, & ad eum Nero opus suum misit, ac Tibullum alterum appellavit. Lib. IX. scripsit Mart. carmen ad Nervam. *Catanæus.*

5 *Titum Cæsarem?*] Amor ac deliciæ generis humani Titus Cæsar Latinæ Græcæque linguæ, vel in orando vel in fingendis poëmatibus ad extemporalitatem usque promptus & facilis: quod præter Tranquillum Suetonium, Plinius senior in præfatione naturalis historiæ tetigit. *Idem.*

6 *Neronem.*] Domitius Nero puerilibus statim annis aliquando carminibus pangendis animum exercuit, ita ut inesse sibi elementa doctrinæ ostenderet. Imperator quoque carminum studium affectavit. Contracti sunt quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis ætatis, qui considere simul, vel allatos, vel ibidem repertos versus connectere solebant, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere. Philostratus lib. IV. scriptum reliquit Neronem hymnos scripsisse, & multas tragœdias transtulisse. Suetonius Neronis carmina in theatro recitata, tanta universorum lætitia, ut supplicatio decerneretur, atque pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata sit, refert. *Idem.*

7 *Actius.*] L. Actius, sive Accius (nam utraque lectio frequens circumfertur) poëta tragicus Pacuvio junior, iisdem tamen temporibus: quorum congressum Tarenti enarrat Gellius lib XIII. cap. II. utrique scriptores clarissimi gravitate sententiarum, verborumque pondere, auctoritate personarum. *Idem.*

8 *Hi.*] P. Virg. & reliqui non fuerunt Senatores, ut, qui Senatum ingrediendi & sententias dicendi jus haberent; quidam tamen autumant Pacuvium & Corn. Nepotem fuisse Senatores. *Idem.*

1 Ordi-

ſanctitas morum non diſtat [1] ordinibus. Recito tamen, quod an illi fecerint, [2] neſcio etiam, ſed illi judicio ſuo poterant eſſe contenti: mihi modeſtior [3] conſtantia eſt, quam ut ſatis abſolutum putem, quod à me probetur. Itaque has recitandi cauſas ſequor. primum, quod ipſe qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis ſuis auditorum reverentia [4] intendit: deinde, quod, de quibus dubitat, quaſi [5] ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam à multis admonetur, & ſi non admoneatur, quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quæ ſatis apertis notis judicium [6] ab humanitate diſcernunt. Atque adeo, ſi cui forte eorum, qui interfuerunt, curæ fuerit eadem illa legere, intelliget me quædam aut commutaſſe, aut præteriſſe, fortaſſe etiam ex ſuo judicio, quamvis ipſe nihil dixerit mihi. [7] Atque hæc ita diſputo, quaſi populum in auditorium, non in cubiculum amicos advocarim, quos plures habere, multis glorioſum, reprehenſioni nemini fuit. *Vale.*

IV. C. PLI-

1 *Ordinibus.*] Illis, qui geſſerunt magiſtratus certo ordine dari ſolitos. Proprie tamen in dignitatibus ordo equeſtris, & Senatorius dicitur, ut in militia primipilatus. *Idem.* *Sanctitas morum non diſtat ordinibus.*] Non detrahit morum ſanctitati imparitas ordinis & æque omnibus miranda ac æſtimanda virtus eſt. *Buchner.*

2 *Neſcio etiam, ſed.*] Placet fere, quod eſt in exemplari Palatino, *neſcio; etiamſi illi judicio.* Idem præterea habet, *quem ante fecerint neſcio*; adeo ut videatur ſcribendum, *quod an & fecerint neſcio, etiamſi illi judicio, &c.* Gruter.

3 *Conſtantia.*] Fiducia. *Cat.* *Conſtantia.*] Lego *conſcientia.* Caſaubon. *Conſtant.*] Sic hoc eodem libro Ep. 1. *Sed jam nunc memento, non defuturam mihi conſtantiam.* Gruter.

4 *Intendit: &c.*] Diligentius ſcripta ſua examinat, quia reveretur auditores. Nam auditorum reverentiam paſſive accipi volo, quod magis placet, quam quod recitando facit auditores magis revereri ſcripta ſua. *Catan.*

5 *Ex conſilii ſententia.*] Ex certa auditorum ſententia, quos adhibuerat in conſilium. Legimus etiam *ex conſiliariorum ſententia.* *Idem.*

6 *Ab humanitate.*] Ab hominibus. Sicut dicimus antiquitatem pro antiquis, mortalitatem pro morte: ita humanitatem pro hominibus, quod dicendi genus probat Quintilianus in ſuis inſtitutionibus. *Idem.*

7 *Atque hæc ita diſputo.*] Palat. & edd. vett. Ante Aldum: *Atque ita hæc diſputo.* Gruter.

IV. C. PLINIUS [1] VALERIANO SUO S.

Thuscilli Nominati & avaritiam fœdam & inconstantiam notat, qui cum à Vicentinis pro advocatione pecuniam accepisset, fidem fefellit.

RES parva, sed initium non parvum. Solers vir prætorius à Senatu petiit, ut sibi instituere in agris suis [2] nundinas permitteretur. Contradixerunt [3] Vicentinorum legati: adfuit Thuscillus Nominatus: dilata causa est. alio Senatu Vicentini sine advocato intraverunt: [4] Dixerunt *se deceptos*, lapsine verbo, an quia ita sentiebant? Interrogati à Nepote Prætore, [5] *quem docuissent*: responderunt, *quem prius*. Interrogati, *an tunc gratis adfuisset*:

1 *Valeriano.*] Valeriano scribitur epistola: invenio Valerianum Servilianum, Valeriamum Pollionem, Valerianum ducem militum prætorianorum, ac ejusdem nominis Imperatores duos recentiores. *Catan.*

2 *Nundinas.*] Nona die Romani fora, quas nundinas vocant, constituere, quarum conventus manifesta ratio, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ: inde Nundina Romanorum Dea à nono die nascentium, qui lustricus appellatur, nuncupata. Priscis enim temporibus proceres civitatis in agris morabantur: & cum consilium publicum desiderabatur in Senatum à villis accersebantur. Plut. tradit nundinas Saturno consecratas, quod custos & fœlicitatis causa ille Deus esset, & nihil aliud esse, nisi conventum ex agro in urbem emendi, vendendive gratia, quem mercatum vulgo nominant. Nundinarum institutum alii ad Romulum referunt: alii exactis jam regibus celebrari cœpisse, quia plerique de plebe repetita Servii Tullii memoria parentarent ei nundinis, quas primum instituisse Servium Tullium regem prodiderunt, ut octo quidem diebus rustici operas facerent, nono autem intermisso jure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, & ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita à singulis & universis facile noscebantur; unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die auctore Dionysio promulgarentur. *Idem.*

3 *Vicentinorum legati.*] Vicentia in regione Venetiæ municipium à Gallis conditum, prius pulsis Ethruscis à veteri sede. olim parvum, deinde sub Veneto Imperio ut cætera nobile & illustre, ubi tamen ortus Cæcinna Vitelliani exercitus dux: & Q. Rhemmius Palæmon grammaticus summus testimonio Tranquilli in libello de Grammaticis. *Idem.*

4 *Dixerunt se deceptos.*] Distingue: *Dixerunt se deceptos: lapsine verbo, an quia ita sentiebant.* Casaub.

5 *Quem docuissent.*] Cui advocato causam suam exposuissent: unde M. Tullius inquit, advocatos totam causam solitos à clientibus discere. *Catanaus.*

1 *Postu-*

fuisset : respondерunt, *Sex millibus nummûm.* an rursus aliquid dedissent: dixerunt, *mille denarios.* Nepos [1] postulavit, ut Nominatus induceretur. Hactenus illo die. Sed, quantum auguror, longius res procedet. Nam pleraque tacita tantum [2] ex minimo commota, latissime [3] serpunt. [4] Erexi aures tuas, quamdiu nunc oportet: quam blande roges ut reliqua cognoscas, si tamen non ante ob hæc ipsa veneris Romam, spectatorque malueris esse, quam lector. *Vale.*

V. C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

Fannii obitum luget in sinu Maximi ob amicitiam, ingenium, &c. & quod testamento reliquerat hæredes suos inimicos, quodque imperfectis libris, quos de Neronis sceleribus inchoaverat, decesserat.

NUnciatum mihi est, C. Fannium decessisse: qui nuncius gravi me dolore confudit. Primum, quod amavi hominem elegantem, & disertum: deinde, quod judicio ejus uti solebam. Erat enim natura acutus, usu exercitatus, varietate promptissimus. Angit me super ista casus ipsius. Decessit veteri testamento. Omisit, quos maxime diligebat: prosecutus est, [5] quibus

1 *Postulavit.*] Coss. petivit. Ulpianus autem de damno infecto, *Postulare*, inquit, *dicitur pro tribunali petere, non alibi.* Latius tamen. ff. tertio declaraverat, quid esset Postulare, scilicet est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. *Catan.*

2 *Ex minimo commota.*] Id est, ex causa levi detecta, ut respiciatur ad illud Livianum, *Parva scintilla plerumque incendium ingens exsuscitat.* Idem. *Ex minimo, &c.*] Pal. & edd. vett. *& omnino commota.* Satisfacit mihi hæc vel illa lectio. *Gruter.*

3 *Serpunt.*] Paulatim extenduntur, diffunduntur, augentur. *Catan.*

4 *Erexi aures tuas.*] Te intentum ad futura reddidi. Translatio à brutis, quæ intentionem dirigentes intendunt aures. Virgilius:

— *Arrectisque auribus astant.* Idem.

Erexi aures tuas, quamdiu.] Et hæc interpunctione laborant. Scribe: *Erexi aures tuas: quamdiu nunc oportet quam blande roges, ut reliqua cognoscas.* Casaubonus.

5 *Quibus offensior erat.*] Quos tum maxime oderat. Nam dum scripsit testamentum, hæredes instituerat sibi amicos, sed postea invisus prioribus, alios

bus offenſior erat. Sed hoc utcunque tolerabile: gravius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quamvis enim agendis cauſis diſtringeretur, ſcribebat tamen exitus [1] occiſorum, aut relegatorum à Nerone: & jam tres libros abſolverat ſubtiles, & diligentes, & Latinos, atque [2] inter ſermonem hiſtoriamque medios. Ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur. Mihi autem videtur acerba ſemper & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quaſi [3] in diem vivunt, [4] vivendi cauſas quotidie finiunt: qui vero poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat. Cajus quidem Fannius, quod accidit, multo ante præſenſit. Viſus eſt ſibi per nocturnam quietem

alios ſibi comparaverat amicos, verum non timens mortem, neque ideo teſtamentum vetus mutans hæredes reliquit inimicos. *Catan.*

1 *Occiſorum, aut relegatorum à Nerone.*] Qui Claudii Imperatoris necis conſcius, Germanici fratris Agrippinæ parentis, amitæ Lepidæ, Octaviæ, Poppeiæ Sabinæque uxorum, auctor extitit: præterea Antoniæ Claudii, Attici Veſtini Conſulis, Auli Plautii privigni, Rufi Criſpini, Tuſci nutricis filii, Senecæ præceptoris, Lucani, & multorum: quorum nomina apud Tranquill. & Tacitum referuntur. Præſertim conjuratione Piſoniana, & Vinciana, in quibus etiam damnatorum liberi urbe pulſi, & enecti ſunt veneno aut fame. *Idem.*

2 *Inter ſermonem hiſtoriamque medios.*] Styli neque grandioris, neque infimi. Eſt autem ſermo (quod jam prædiximus) oratio remiſſa & finitima quotidianæ locutioni: hiſtoria minor quidem oratione: ſed major ſermone. *Idem.* *Inter ſermonem hiſtoriamque.*] Huc ſpectat pedeſtris ſermo, quo Fl. Vopiſc. Veget. & alii ſe uſos fuiſſe dicunt. Vide ex Philoſtrato *Caſaub. in Trebell. Poll.* 20.

3 *In diem.*] Ad præſens & inſtans commodum, nulla habita ratione futurorum. quod Columella lib. IV. aperte declarat, *Fructum*, inquit, *plerique quam uberrimum præſentem conſectantur, nec provident futuro tempori, ſed quaſi plane in diem vivant.* Catan.

4 *Vivendi cauſas quotidie finiunt.*] Faciunt ea, per quæ quotidie morte digni ſint, id eſt voluptatibus involuti nullam habent juſtam vivendi cauſam, *Idem.* *Vivendi cauſas quotidie finiunt.*] Has Ælian. Lampridius *fructum vitæ* vocat. Noſter etiam lib. I. ep. XII. *bonam conſcientiam.* Marcus Antoninus lib. VI. ΕΙΣ ΚΑΡΠΟΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΕΙΟΥ ΖΩΗΣ ΔΙΑΘΕΣΙΣ ΟΣΙΑ: UNUS FRUCTUS EST VITÆ, QUAM IN TERRIS AGIMUS, ANIMUS SANCTUS.

1 *In*

tem jacere [1] in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se [2] scrinium ([3] ita ut solebat.) Mox imaginatus est venisse Neronem, [4] in toro resedisse: prompsisse primum librum, quem de sceleribus ejus ediderat, eumque ad extremum revolvisse: idem in secundo ac tertio fecisse, tum abiisse. Expavit, & sic interpretatus est, tanquam idem sibi futurus esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi: & fuit idem. Quod me recordantem miseratio subit, quantum vigiliarum, quantum laboris exhauserit frustra. Occursant animo mea mortalitas, mea scripta. Nec dubito, te quoque eadem cogitatione terreri pro [5] istis, quæ inter manus habes. Proinde dum suppetit vita, enitamur, ut mors quam paucissima, quæ abolere possit, inveniat. *Vale.*

VI. C. PLI-

1 *In lectulo suo compositus, &c.*] Multum discumbendo studuisse veteres nemo mirabitur, qui novit ea de caussa peculiares, atque à dormitoriis distinctos, lectos habuisse, quos ex re *lucubratorios* appellarunt. Sueton. Aug. cap. LXXVIII. *A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat ibi, donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius, cum plurimum, quam septem horas dormiebat.* Ad quem locum plura de hac veterum consuetudine Summus Vir Isaacus Casaubonus observavit. Sed quod Spartianus de Ælio Vero prodidit, *Ovidii Amorum libros in lecto semper habuisse*, id non tam ad lucubratorios istos, quam dormitorios, vel tricliniares etiam, quibus ad mensam discumbebant, lectos referendum existimo. Nam & inter cœnandum legebant veteres: & noctu cubantes insomnium hac ratione solabantur. Quo autem quisque delectatur maxime, hoc legit quoque præcipue, & secum semper habet. Ita & Alexander M. Homeri Iliada, plurimi æstimabat, ut semper sub pulvino cum pugione habuerit, quod ex Onesicrito Plutarchus refert. *Buchner.*

2 *Scrinium.*] Capsam librorum, & armarium scriptorum. Theophrastus, *Taxus tenuiter secta, conglutinamenta capsis, scriniis, subselliis: atque in totum similibus præstat.* Catan. Vide, quæ supra hac de re observavimus.

3 *Ita ut solebat.*] Hæc est scriptura Palat. & vett. edd. posteriores enim pessime omiserant voculam *ut*. Gruterus.

4 *In toro resedisse.*] Ita & MSS. noster, neque aliter edd. vett. aut membranæ, quas excussit Modius. *Idem.*

5 *Istis.*] Libris, quos in Blatteram componebat. Nam lib. VIII. inquit, *Sæpe te monui, ut libros quos vel pro te in Blatteram: immo pro te & in illum composuisti, quam maturissime emitteres.* Catanæus.

VI. C. PLINIUS APOLLINARI SUO S.

Apollinaris intellexerat Secundum in Thusculanum suum secessurum: quare studio motus amicitiæ, quum audivisset oram Thuscorum esse pestiferam, admonuerat literis, ut periculum fugeret: inde Secundus scribendi oblata materia opportuna, & regionis in qua rus erat, salubritatem & villam universam per membra describit.

AMavi curam & solicitudinem tuam, qui cum audisses me æstate Thuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres. Est sane gravis, & pestilens ora Thuscorum, quæ [1] per littus extenditur: Sed hi procul à mari recesserunt, quinetiam [2] Apennino saluberrimo montium subjacent. Atque adeo, ut omnem pro me metum ponas, accipe temperiem cœli, regionis situm, villæ amœnitatem, quæ & tibi auditu, & mihi relatu jucunda erunt. Cœlum est hyeme frigidum, & [3] gelidum. [4] myrtos, oleas, quæque alia assiduo tepore

1 *Per littus extenditur.*] A Macra fluvio usque ad Tyberim. Placet potius intelligere maritimam Umbriam, quæ secundum antiquorum descriptionem inter Thuscos recensebatur sicut Bononia. Nam illa ora ad Picenum etiam tunc insalubris. *Catan.*

2 *Apenninus.*] A transitu Pœnorum dictum quidam opinantur Apenninum, quod confutat Livius, ab uno vel acri incola jugi ejus cognomentum inditum asserens. Est autem mons Italiæ amplissimus perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum. de quo præter Stephanum Claudianus in laudibus Honorii. Strabo lib. III. Per ipsam Italiæ extenditur in longitudinem mons Apenninus ad septem usque stadiorum millia Latitudo vero ejus inæqualis. Ad Genuam Liguſticum emporium rupes Apenini conjunguntur Alpibus eodem auctore lib. V. Hic vero saluberrimus fuit, propter ventum Boream, qui cæteris purior, & sanior est, teste Plinio. *Idem.*

3 *Gelidum.*] Plus est, quam frigidum: nam gelu aquas sistit. *Idem. Gelidum.*] Hinc est *Egelidum* significationis diversæ, nempe quod neque est calidum neque frigidum, (præpositio E enim sæpe privationem notat) quanquam Servius pro valde frigido exposuerit.

4 *Myrtos.*] Hanc arborem gaudere littoribus satis constat. Servii testimonio. Habet autem natura præcipuam admirationem succorum in myrto: quando ex una omnium olei vinique bina genera fiant. Græcum ei nomen remanet, quo peregrinam esse apparet. Lege plura apud Plin. lib. XIV. cap.

pore lætantur, aspernatur ac respuit: laurum tamen patitur, [1] atque etiam viridissimam profert interdum: sed non sæpius, quam sub [2] urbe nostra, necat. Æstatis mira clementia. [3] Semper aër spiritu aliquo movetur, frequentius tamen auras, quam ventos habet. hinc senes multos videas avos, proavosque [4] jam juvenum. Audias fabulas veteres, sermonesque majorum: cumque veneris illo, putes alio te seculo natum. Regionis forma pulcherrima, imaginare [5] Amphitheatrum aliquod immensum, & [6] quale sola rerum natura possit effingere. Lata & diffusa planities montibus cingitur: montes summa sui parte procera

cap.xix. ubi Hermolaus Barbarus, vir alias doctissimus, cum tria myrti genera prodidisse Catonem citat Plinius, candidam, nigram, conjugalem: conjugulum non conjugalem apud Catonem scriptum tradit observasse. Nos tamen in vetusto Catonis codice conjugalem, non conjugulum legimus. Hinc Plinius statim repetit, Conjugalem existimo nunc nostratem dici. Vid. & Columell. l. x. iii. *Catan.*

1 *Atque etiam viridissimam profert interdum, &c.*] Mutasse distinctionem, & in omnibus, quas vidi editionibus vitiosam: *atque etiam viridissimam profert. Interdum, sed non sæpius quam sub urbe nostra necat.* Casaub.

2 *Urbe nostra.*] Aut Como, aut Roma. Nam merito se Romanum facit, & in Aventino Lauretum fuit. De quo Plinius lib. xvi. cap. xxx. Scimus per urbis appellationem sine additione alterius verbi intelligi Romam. Quare non video cur addiderit, *nostra*, si de Roma loquitur, nisi tollatur *nostra*, quod etiam in uno codice MS. sublatum vidimus. *Cat.*

3 *Semper aër spiritu.*] Ita Palat. & vett. edd. male novissimæ *semper ac spiritu.* Gruter.

4 *Jam juvenum audias fabulas veteres.*] Juvenes narrabunt tibi veteres fabulas, quas à majoribus suis audiverunt. quomodo quidam rerum scriptores putant historias traditas posterioribus ante inventum literarum. *Cat.* *Jam juvenum, &c.*] Ita merito interpunge: *senes multos videas avos, proavosque jam juvenum.* (Prius enim sic: *hinc senes multos videas avos, proavosque. Jam juvenum, &c.* quomodo & legisse Catanæum constat.) Cujus lectionis argutia pro longiori confirmatione erit. *Casaub.*

5 *Amphitheatrum.*] Dion in rebus Cæsaris, Amphitheatrum appellatum est, quia circumquaque sedilia habet sine scena, ædificium sane compactum circum circa, quod indicat ipsius verbi interpretatio. & Secundus expresse monstrat, & Suidas refert Amphitheatrum dici locum undique speculas habentem. Theatrum pariter fuisse semirotundum indicat Vitruvius lib. v. Hanc autem autumo differentiam inter theatrum & amphitheatrum, quod hoc habebat illo amplius circulum exteriorem, qualem cernimus fuisse Veronensi arenæ, adhuc aliqua ex parte superstitem, quam incolæ alam vocitant. *Catan.*

6 *Quale.*] An hoc verbum respicit variam montium & sylvarum faciem, an ad immensam amplitudinem caveæ? & tunc necesse erit, quale proquantum usurpatum fuisse. *Idem.*

procera nemora & antiqua habent. Frequens ibi & varia venatio: Inde cæduæ [1] ſylvæ cum ipſo monte deſcendunt: has inter pingues, terrenique colles, (neque enim facile uſquam ſaxum, etiam ſi quæratur, occurrit,) planiſſimis campis fertilitate non cedunt, opimamque meſſem ſerius tantum, ſed non minus percoquunt. Sub his per latus omne vineæ porriguntur, unamque [2] faciem longe lateque contexunt. Quarum à fine, imoque quaſi margine, [3] arbuſta naſcuntur: prata inde, campique. campi, quos nonniſi ingentes boves & fortiſſima aratra perfringunt: tantis glebis tenaciſſimum ſolum, [4] cum primum proſecatur, aſſurgit, ut [5] nono demum ſulco perdometur. Prata florida & [6] gemmea, trifolium, aliaſque herbas, teneras ſemper & molles, & quaſi novas alunt. Cuncta enim perennibus rivis nutriuntur. Sed ubi aquæ plurimum, [7] palus nulla: quia devexa terra quicquid

1 *Sylva.*] Minorum arborum. Servat ad unguem præcepta deſcribendorum locorum, quæ jubent primum attingenda extrinſeca, & circumvicina: deinde id quod intendimus, ut præcipit *Aphthonius in progymnaſmate arcis Alexandrinæ.* Catan.

2 *Faciem.*] Aſpectum, apparentiam. Nam etiam de rebus inanimis dicitur: ut Virg. de mari,

— *Quibus aſpera quondam*
Viſa maris facies. —

Et Tacitus lib.xv. *Aliam fere littoris faciem.* Marcellus tamen exemplis nititur monſtrare, faciem eſſe oris ſpeciem: & Cornel. Celſus ita faciem terminavit, Facies fulturam habet maximam, quæ à tempore incipiens per medios oculos nareſque tranſverſa pervenit ad alterum tempus. *Idem.*

3 *Arbuſta.*] Parvæ arbores maritandis vitibus opportunæ. Apulejus in re ruſtica commemorat arbuſta, quæ locis aquoſis lætantur, & quæ aridis. *Idem.*

4 *Cum primum proſecatur.*] Cum primum rumpitur, quod fit æquinoctio verno in frigidioribus locis denſa terra quam ſoluta, pingui quam macra. Plinius lib. XVIII. cap XIX. monet altum & grave ſolum etiam moveri hyeme. Legitur alias, *proſcinditur.* Nam Columella, Plinius, Palladius, cum primum campus aratro rumpitur, proſcindi appellant. *Idem.*

5 *Nono demum ſulco.*] Nona aratione. *Idem. Nono demum, &c.*] Jam ſeculum fere legebamus, *ut novo demum,* contra MſS. edd. vett. ipſamque experientiam. Diſerte enim Plin. lib. XVIII. cap. XX. *Spiſſius ſolum, ſicut &c.* Gruterus.

6 *Gemmea.*] Lucida propter flores, an propter interlabentes rivulos, quibus numerare lapillos poſſes? *Catan.*

7 *Palus nulla.*] Campus ubi pratum fieri libet, neque concavæ poſitionis, neque collis prærupti eſſe debet, ille ne collectam diutius contineat aquam, hic ne ſtatim præcipitem fundat: poteſt tamen mediocriter acclivis, ſi aut pinguis eſt, aut riguus ager, pratum fieri.

quid liquoris accepit: nec absorbuit, effundit in [1] Tyberim. Medios ille agros secat: navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem, hyeme duntaxat, & vere. Æstate summittitur, immensique fluminis nomen arenti alveo deserit, autumno [2] resumit. Magnam capies voluptatem, si hunc regionis situm ex monte prospexeris. Neque enim terras tibi, sed formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam videberis cernere. Ea varietate, ea descriptione, quocunque inciderint oculi, reficientur. [3] Villa in colle imo sita prospicit [4] quasi ex summo, ita leviter & sensim clivo fallente consurgit, ut cum ascendere te non putes, sentias ascendisse. A tergo Apenninum, sed [5] longius habet. Accipit ab hoc auras quamlibet sereno & placido die, non tamen acres, & immodicas, sed spatio ipso lassas & infractas, magna sui parte meridiem spectat, æstivumque solem ab hora sexta, hybernum aliquanto maturius, quasi invitat in porticum latam, & pro [6] modo longam. Multa in hac membra: atrium etiam ex more veterum, ante porticum [7] xystus

fieri. at planicies maxime talis probatur, quæ exigue prona non patitur diutius imbres, aut influentes rivos immorari: quippe aquarum abundantia atque penuria graminibus æque est exitio. *Columella.*

1 *Tyberim.*] Tyberis fluvius cæterorum omnium princeps & Imperator à solis ortu maxime Thuscos alluens: ex Apennino autem defluit, pluribus vero augetur amnibus, partimque per Etruriam excurrit: deinceps ipsam disterminans primum ab illa dividit Umbriam, postea Sabinos & Latinos Romæ ad littus usque finitimos. Hæc Strabo & Dionysius, sed longe melius & latius senior Plin. lib. III. cap. V. *Catan.*

2 *Resumit.*] Iterum dicitur flumen *resumere*, cum incipit fluere plenius. *Id.*

3 *Villa.*] Nunc accedit ad tertiam propositionis partem. Supra enim pollicitus se descripturum villæ amœnitatem. *Idem.*

4 *Quasi ex summo.*] Villa ædificanda est in edito, ut totus fundus prospectari possit, & sic melius sit sub tutela. *Cato.*

5 *Longius.*] Non tergo imminentem, sed procul: comparativum pro positivo, quod subinde apud idoneos reperitur. *Catan.*

6 *Modo.*] Mensura, proportione latitudinis. In exemplari vetusto non est *& pro modo longam*, sed *& prominulam*, ut porticus illa aliquantulum promineret. *Idem.*

7 *Xystus.*] Locus consitus arboribus in plurimas species, non animalium modo, sed navium & aliarum rerum distinctus concisusque. *Idem.* Conf. Gronov. ad Senec. l. III. de ira cap. XIX. & quæ supra diximus ad Epist. XVII. lib. II. p. 135. b.

stus concisus in plurimas species, distinctusque [1] buxo, demissus inde, pronusque [2] pulvinus, cui bestiarum effigies invicem adversas buxus inscripsit. [3] Acanthus in plano mollis, & pene dixerim liquidus. ambit hunc [4] ambulatio, pressis varieque tonsis [5] viridibus inclusa: ab his gestatio [6] in modum circi, quæ buxum multiformem, humi-

1 *Buxo.*] Buxus magnitudine non excellit, folio myrto similis: nascitur secundum Theophrastum, locis algentibus, atque asperis. Plinio auctore amat frigida & aprica: quippe Olympus Macedonicus frigidus est, & in eo gignitur: maxima autem pulcherri maque in Corsica est, procera enim est, crassitudineque cæteris longe præstantior. *Catan.*

2 *Pulvinus.*] Sed mollis. Fiebat autem pulvinus ex terra tumulus, sive saxo, vel ramento, vel pluma, aut tomento, postremis tela vel corio circumsitis. Nam Varro in re rustica scribit necesse fieri pulvinos in violariis: & Palladius inquit, caulis clivis delectatur, & ideo ponendæ sunt plantæ per pulvinos, id est eminentes tumulos arearum. Columella lib. XII. Pulvinis positæ allii spicæ minus infestantur hyemis aquis: & VI. pro eminentiore parte arearum: in I. vero, pro instrumento, quo parietum & soli juncturæ fibulantur. Tranquillus scribit pulvino injecto spiritum Tiberio interclusum. Hujus diminutivo *pulvillo* pro lecto & cervicali utitur Apulejus. *Idem.*

3 *Acanthus.*] Acanthus est topiaria & urbana herba, elato longoque folio, crepidines marginum adsurgentiumque pulvinorum toros vestiens. Duo genera ejus sunt, aculeatum & crispum, quod brevius: alterum lene, quod aliqui pedærota vocant, alii melamphyllum. *Plinius senior.*

4 *Ambulatio.*] Locus ad spatiandum constructus, qui, Juliano tradente, arboribus infœcundis fere vestiebatur. Nam ff VII. inquit, Si forte voluptuarium fuerit prædium, viridia, vel gestationes, vel deambulationes, arboribus infructuosis opacas, atque amœnas habens non debet dejicere. Columella libro primo, Ambulationes meridionali æquinoctiali subjectæ sint, ut & hyeme plurimum solis, & æstate minimum recipiant. Amplissimas & ornatissimas ambulationes sub dio collocari præcipit Vitruvius, & modum lib. V. explicat. Dictæ sunt quasi circuitiones. *Catan.*

5 *Viridibus.*] Arboribus semper virentibus. Viridia cum pro adjectivo accipiuntur, genitivum in *ium* faciunt, ut viridium pratorum: cum vero ipsam loci viriditatem significare volumus, viridiorum dicimus, ut formosa facies viridiorum. *Macrobius lib.* I.

6 *In modum circi.*] Ad similitudinem & formam Circi, qui erat locus spatii oblongi muris septus hinc inde extructis gradibus: in ejus principio carceres & meta, unde signo dato emittebantur equi, qui, cum ad summum perveniffent, circumacti metam, recurrebant ad priorem. hic erat finis cursus. Circum Maximum Tarquinius inter Aventinum & Pallantium extruxit, in longitudinem trium stadiorum, in latitudinem vero quatuor jugerum, Dionysio lib. III. suarum antiquitatum referente, ubi latius & melius, quam usquam viderim Circi forma describitur. Priora sumpsimus ex Livio, Varrone & Juvenale. *Catan.*

1 *Operit.*]

humileſque, & retentas manu arbuſculas circummit. omnia maceria muniuntur: hanc gradata buxus [1] operit & abſcondit. Pratum inde non minus natura, quam ſuperiora illa, arte viſendum. Campi deinde, porro multaque alia prata & arbuſta. A capite porticus triclinium excurrit, valvis xyſtum deſinentem, & protinus pratum, multumque ruris [2] videt feneſtris. Hac latus xyſti & quod proſilit villæ, ac adjacentis [3] hippodromi nemus, comaſque proſpectat. Contra mediam fere porticum [4] diæta paulum

1 *Operit.*] Recentiores *aperit*, ſed nolentibus editionibus exoletis, quibus adhæret quoque Palat. *Gruter.*

2 *Videt.*] Triclinium. Tanta gratia fuiſſe diſpoſita monſtrat omnia domus membra, ut ſingulis ſenſum videndi præbeat. *Catan.*

3 *Hippodromi.*] Cujus formam mox Secundus exprimit. Erat autem locus rectus, qui intrantibus ſtatim ſe offerebat, hinc inde arboribus conſitus, ad curſum & agitationem equorum inſtructus: ſicut ipſa vocabuli interpretatio oſtendit. De quo Sidonius lib. II. & Hom. XXIV. plura, quædam Philoſtratus V. Hippodromi Mart. lib. XII. meminit:

Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit.

Pollux hippodromon inter publica ædificia recenſet. At Peridromus fiebat in ædificiis ſuperne in circuitu, ut legimus apud Herodianum peridromum pleno amphitheatro exædificatum Commodo fuiſſe: per quem decurrere in orbem poſſet, ne comminus cum beſtiis pugnans periclitaretur: ſed ſuperne ac de tuto loco tela jaciendo jaculandi potius ſcientiam, quam fortitudinem oſtentaret. Proinde apud Pollucem, Peridromus eſt funiculus in extrema & ſuperiori parte retis impoſitus, qui contrahit & extendit retia. *Idem. Hypodromi.*] Hippodromum inepte legi pro Hypodromo notat Jac. Sirmond ad locum Sidonii lib. II. Et ratio ibi allegata huc pertinet, cum Sidonius haud dubie hanc vocem à Plinio mutuatus ſit. Non enim, *ait*, circum intelligit, qui quorſum in ædium veſtibulo, aut quid habet cum Cryptoporticu commune? ſed rectam longitudinem & clauſum undequaque deambulacrum: qualia ſunt in Veſtibulis magnatum, aut qualia, quæ ſtadia opaca vocat *Tertull. in l. ad Martyres.* Hypodromus vero ex eo dictus, quod ſub eo incedatur, ſicut Peridromus in xyſto hypæthra ambulatio à circumitu, & Diadromus à tranſitu, balnei membrum in Hippia Luciani. Non latuit ea vox Angelum Decembrium, qui lib. V. Hypodromum diſtinguit ab Hippodromo: nec ſeculi ſui eruditiſſimum Aldelmum; apud quem in lib. de Virginit. Babylas Martyr *ad palatinas ducitur zetas, & Imperialis veſtibuli hypodromum.* Vid. *Jac. Sirmond. l. d.*

4 *Diæta.*] Super qua dictione obſervo, diætas calefieri igne ſolitas, auctore Ulpiano lib ff. XXXII. Lignis, inquit, legatis, quod comburendi cauſa paratum eſt, ſive ad balinei calefactionem, ſive diætarum hypocauſtorum contineri ſcripſit Offilius. *Cat. Diæta.*] Zetas ego Diætas interpretor. Ut enim pro Διάπλυτος, ζάπλυτος dicitur, ſic pro *Diæta*, *zeta.* Reperio in Antonini itinerario *Hipponem zarrhytum* pro *Diarrhyto*, & apud Cyprian. *zabolum* pro *diabolo.* Eſt autem

paulum recedit; cingit [1] areolam, quæ quatuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo [2] labro aqua exundat, circumjectasque platanos, & [3] subjecta platanis leni aspergine [4] fovet. Est in hac diæta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem, sonumque excludit: [5] junctaque quotidiana amicorum cœnatio. Areolam illam porticus alia, eademque omnia, quæ porticus aspicit. Est & aliud cubiculum à proxima platano, viride & umbrosum, marmore exsculptum [6] podio tenus: [7] nec cedit gratiæ marmoris, ramos, insidentesque ramis [8] aves imitata

ζετα vel *diæta* ædificium vel membrum domus, cœnationem & cubiculum habens. *Turneb. advers. lib.* XXIV. *capite* IV.

1 *Areolam.*] Spatium terrenum, ut plurimum quadratum sub dio. In eo sæpe sunt Platani. *Catan.*

2 *Labro.*] Vase. Papinius in descriptione balinei Ethrusci:

— *Argento fœlix propellitur unda,*
Argentoque cadit labiisque nitentibus instat.

Cato labrum vinarium & aquarium dixit, & Vitruvius labrum in balineis sub lumine faciundum præcipit. Columella diminutivo utens, quod etiam vulgo usurpant, censet in labello mustum de seria sumi, qui lib. decimotertio, capite de oleo conficiendo, labrorum plures species describit. Nam aliud rotundum, aliud quadratum & plumbeum, aliud fictile, tresque labrorum ordines in cella vinaria locat, ut unus sit primæ notæ, alter secundæ, tertius tertiæ. *Idem.*

3 *Subjecta platanis leni aspergine.*] Recentiores vulgati, *subjecta platanis gramina levi*, sed non adnuentibus MSS. nostris aut edit. veteri, ne Aldina quidem. *Gruter.*

4 *Fovet.*] Alit. Fistulæ & canales & crateres & si qua sunt alia ad aquas salientes necessaria, magis domus portio secundum Ulp. quam domus instrumenta sunt. *Catan.*

5 *Junctaque quotidiana amicorum cœnatio.*] Non aliter iidem codices (Pal. & vett. edd.) Nam Aldina cæteræque edd. *junctaque ei quotidiana amicorumque cœnatio.* Gruter.

6 *Podio tenus.*] Præpositio tenus postponitur casui suo, & genitivo, interdum accusativo, & pro majori parte ablativo construitur. Podium autem locus extra ædificium porrectus: unde spectamus, si quid foris fiat. Hujus crebra mentio apud Vitruvium. Nam lib. II. podium circa ædem faciendum & VI. columnas in podio positas scrib. Spart. victoriam ictam decidisse de podio, & humi prostratam: sed præcipuus locus erat in theatro, cui inhærebat Imperator, vel senatores ludos spectantes. quare nobiles indicare volens satyricus dixit: omnibus ad podium spectantibus. *Cat.*

7 *Nec cedit.*] Ordo: nec pictura imitata ramos & aves insidentes ramis cedit gratiæ marmoris, id est, tantam elegantiam habet & dignitatem, quantam imagines marmoreæ. Nam utraque res laudabilis erat. *Idem.*

8 *Aves imitata pictura; cui subest fonticulus: &c.*] Aliquid latet vitii. Quippe Palat. & vett. edd. nec non Aldina *aves imitata pictura fonticulus in hoc fonte.* Gruter.

1 *Siphun-*

imitata pictura; cui subeft fonticulus: In hoc fonte crater, circa [1] fiphunculi plures mifcent jucundiffimum murmur. In cornu porticus ampliffimum cubiculum à triclinio occurrit: aliis feneftris xyftum, [2] aliis defpicit pratum, fed ante pifcinam; quæ feneftris fervit ac fubjacet, ftrepitu vifuque jucunda. Nam ex edito defiliens aqua, fufcepta marmore albefcit. Idem cubiculum hyeme tepidiffimum, quia plurimo fole perfunditur. Cohæret [3] hypocauftum, & fi dies nubilus, immiffo vapore, folis vicem fupplet. Inde [4] apodyterium balinei laxum & hilare excipit cella [5] frigidaria, in qua baptifterium amplum atque opacum. Si natare latius aut tepidius velis, in area pifcina eft, in proximo puteus, ex quo poffis rurfus [6] aftringi, fi pœniteat teporis. Frigidariæ cellæ connectitur [7] media, cui fol benigniffime præfto eft, calda-

1 *Siphunculi.*] Canales, fiftulæ æreæ, five ex alia materia, per quas aqua effluit à cratere. Mox enim dicet aquam è fiphunculis exilire, fiphones alii appellant, ut Celfus. & Plin. lib. 11. *Catan.* Vide infra pluribus.

2 *Aliis defpicit pratum, fed ante pifcinam.*] Ita interpungendum duxi, quod legeretur in Pal. & edd. vett. *pifcinam*, non ut in vulgatioribus, *pifcina*. Gruterus.

3 *Hypocauftum.*] Locus concameratus ante præfurnium, per quem cubicula hodie quoque calefieri folent. *Catan.*

4 *Apodyterium.*] In quo loturi veftes deponebant. Nam ἀποδύω fignificat exuo. M. Tullius ad Quintum fratrem, *Inde apodyterio nihil altius, nihil mufcofius.* Et alibi, *In balneariis hypocaufta in alterum apodyterii angulum promovi.* Latine Spoliatorium dici folet. Lucianus, dum Hippiæ balineum laudat, membra refert fuiffe quibus loturi fpoliabantur: ficut frigidarii & caldarii fitum magis in eo commendat. Apodyterii etiam Plato meminit. *Idem.*

5 *Frigidaria.*] Aquæ frigidæ, qua reftringebantur corpora. Jam notavimus (Ep. XVII. l. II.) in balneo fuiffe tres cellas, frigidariam, tepidariam, caldariam. *Idem.* *Frigidaria.*] In hac tot fellas effe oportebat, quot perfonis locus erat in calcaria. In balneis enim, qui lavabant, à cella caldaria, ejufque folio tranfibant ad frigidariam, ibique in fellis confidebant. Vide *Jac. Sirmond ad Sidon.* *Frigidaria.*] Frigidariam cellam ψυχρὸν οἶκον & ψυχροδόχον οἶκον appellat Lucian. in Dial. Ἱππίας ἢ βαλανεῖον. ὁ γὰρ σοφὸς ὡς ἀληθῶς Ἱππίας τὸν ψυχροδόχον οἶκον εἰς βοῤῥᾶν ἀποκεχωρηκότα ἐποίησε. *Salm. in Fl. Vopifc.*

6 *Aftringi.*] Refrigerari. nam calore laxantur corpora, frigore contrahuntur. *Catan.* *Aftringi.*] Legitur & *abftergi.* Boxhorn.

7 *Media.*] Tepidaria cella, quæ media erat inter frigidariam & caldariam, & fitu & qualitate. *Cat.*

caldariæ magis. prominet enim. in hac tres [1] descensiones: duæ in sole, [2] tertia à sole longius, à luce non longius. Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Nec procul à balineo scalæ, quæ in cryptoporticum ferunt, prius ad diætas tres. harum alia areolæ illi, in qua platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet, diversasque cœli partes, ac prospectus habet. In summa cryptoporticu cubiculum, ex ipsa cryptoporticu excisum, quod hippodromum, vineas, montes intuetur. Jungitur cubiculum obvium soli maxime hyberno. hinc oritur diæta, quæ villæ hippodromum [3] adnectit. hæc [4] facies, hic visus à fronte, à latere æstiva cryptoporticus in edito posita, quæ non aspicere vineas, sed tangere videtur. In media triclinium saluberrimum afflatum ex Apenninis vallibus recipit. Post latissimis fenestris vineas, valuis æque vineas, sed per cryptoporticum quasi admittit, à latere triclinii, quod fenestris caret, scalæ convivio utilia, [5] secretiore ambitu suggerunt. In fine cubiculum, cui non minus jucundum prospectum cryptoporticus ipsa, quam vineæ præbent. Subest cryptoporticus subterraneæ similis, æstate incluso frigore riget: contentaque aëre suo nec desiderat auras nec admittit. Post utramque cryptoporticum, unde triclinium desinit, incipit porticus: ante medium diem, hyberna: inclinato die,

1 *Descensiones.*] Has ἐμβάσεις id est, *alveos* vel *solia* dicunt, & Lucianus πυέλους. ἔμβασις enim est πύελος, *solium*. Vide *Salmas. ex Dioscor. de Asfiolapide in Solin.* & *not. in Fl. Vopiscum p. m.* 487. & *in Jul. Capitolin. p.* 159. *Edit. Paris.*

2 *Tertia.*] Discessio non est in sole: tamen non in obscuro. *Catanaus.* Discessionem vocat Catanæus, quam alii *descensionem*. Utriusque enim lectio circumfertur.

3 *Adnectit.*] Copulat. Nisi enim fuisset hæc diæta, hippodromus videbatur disjunctus à villa & ædificiis. *Catan.*

4 *Facies.*] Est, scilicet cryptoporticui hybernæ. Nam sequitur, *Æstiva structa ad arcendos æstus:* & ideo in edito posita, ut facile possit auras recipere & transmittere. *Idem.*

5 *Secretiore aditu.*] Legitur etiam *ambitu*, quod non displicet, ut instar cochleæ fuisse intelligamus eas scalas, quales nunc interdum videmus construi. *Idem.*

1 Ant

die, æstiva: hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, ut circuit sol, [1] aut sole utuntur, aut umbra. Hanc dispositionem, amœnitatemque tectorum [2] longe præcedit hippodromus, [3] medius patescit, statimque intrantium oculis totus offertur. Platanis circuitur: illæ hedera vestiuntur, utque [4] summæ suis, ita imæ alienis frondibus virent. Hedera truncum & ramos pererrat, vicinasque platanos transitu suo copulat. Has buxus interjacet. Exteriores buxos circumvenit Laurus, umbræque platanorum suam confert. Rectus hic hippodromi limes in extrema parte [5] hemicyclo frangitur, mutatque faciem: cupressis ambitur, & tegitur, densiore umbra opacior, nigriorque: interioribus circulis (sunt enim plures) [6] purissimum diem recipit. Inde etiam rosas offert, umbrarumque frigus non ingrato sole distinguit. Finito vario illo, multiplicique

1 *Aut sole.*] Alia cubicula modo sole, alia umbra utebantur, prout sol se revolvebat: verbi causa, quæ erant exposita orienti, solem matutinum excipiebant, quæ austro, meridianum, quæ occidenti, occiduum. *Catan.*

2 *Longe præcedit.*] Editiones recentiores: *Longe lateque*, sed sic nulla editio ante Aldinam, quæ tamen habet *longe lateque.* haud etiam visitur in Palatino nostro. *Gruterus.*

3 *Medius patescit.*] A lateribus arboribus septus viam patentem in medio ostendit. *Catan.*

4 *Summa.*] In cacumine & ramis. Nam platanum scribit Cicero comparatam ad opacandum locum ramis patulis. *Idem.* Est enim arbor late spargentibus ramis. Petron. Arbiter:

Nobilis æstivas Platanus diffuderat umbras.

Vide Plin. lib. XII. cap. II. Diosc. lib. I. cap. 109.

5 *Hemicyclo.*] Semicirculo circa reflexum metarum. Hemicyclium Pollux in scena vocat locum juxta orchestram à forma nominis, cujus usus, ut significet locum aliquem procul ab urbe, aut in mari natantes. Idem lib. VI. hemicyclia sedes vocat. *Catan.*

Hemicyclo.] Vulgo à principibus grammaticis exponi video *Hemicyclum*, cathedram, quod sit semicirculi forma, in illo Ciceronis de Amicitia: *Cum sæpe multa, tum memini domi in hemicyclo sedentem, &c.* Sed potest quis domi sedere in conclavi, neque protinus conclave cathedra erit. Existimo igitur formam quandam esse, vel porticus, vel conclavis semirotudi, ubi sedentes solerent colloqui. Nam non ignoramus rotundam formam ad colloquia esse accommodatiorem, quam directo rigore porrectam. Hoc Ἡμικύκλιον videtur vocasse Plutarchus, quem, sis, vide apud *Turneb. Adversar. lib.* XXVIII.

6 *Purissimum diem.*] Lucidissimam lucem, quia interiores circuli constabant rosariis, per quæ facile sol admittitur. Sequitur enim, *inde rosas offert.* Catan.

1 *Domini.*]

cique curvamine, recto limiti redditur, nec huic uni. Nam viæ plures intercedentibus buxis, dividuntur, alibi pratulum, alibi ipsa buxus intervenit in formas mille descripta, literis interdum, quæ modo nomen [1] Domini dicunt, modo artificis: alternis metulæ surgunt, alternis inserta sunt [2] poma: & in opere urbanissimo, subita velut illati ruris imitatio, medium in spatium [3] brevioribus utrinque platanis adornatur. Post has, acanthus hinc inde lubricus & flexuosus, deinde plures [4] figuræ, pluraque nomina. in capite [5] stibadium candido marmore, vite protegitur. vitem quatuor columellæ [6] Carystiæ subeunt. E stiba-

1 *Domini.*] Trajani, cum in epistolis eundem Dominum appellet Secundus. An domini, id est Secundi? Nam Tranquillus in Tiberio possessores insularum dominos dicit. *Catan.*

2 *Poma.*] In neutro pro arboribus nusquam alibi annotavimus: sicut pomaria contra grammaticorum præcepta apud Columellam, Palladium Martialem, Statium. Pro locis consitis pomis legimus subinde. *Idem.*

3 *Brevioribus.*] Respectu illarum, quibus hippodromus in ingressu vestiebatur. *Idem.*

4 *Figuræ.*] Ambiguum ex acantho, an buxo, an magis quæ erant stibadio inscriptæ? de quo Mart.

Accipe lunata scriptum testudine sigma
Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Idem.

5 *Stibadium.*] Mensa, torus. Sic interpretatur Suidas, stibades esse toros humi positos, & lignis ramisque structos. Athen. lib. VII. *Primum,* inquit, *scenas faciebant, & in his stibades ex herba: super quas dapes struebant, & illis invitati vescebantur: nec solum municipes, sed etiam peregrinos hospites convivio admittebant.* & l. XIII. testatur discumbentes in stibadibus vesci. & Proverbium in parcos ortum refert Suidas: *Stibades Phormionis.* Fuit enim hic Phormio miles parcus? quin etiam in militia humi solent discumbere & recumbere. Servius negat antiquos habuisse stibadia. Theocritus tamen in Adonidis epitaphio dixerat:

Ἔστ' ἀγαθὰ στιβάς, ἐστὶν Ἀδώνιδι στιβὰς ἑτοίμα.

Animadvertendum apud Græcos dici ἡ στιβάς, τὸ στιβάδιον, apud nos, hoc stibadium. Nam Sidonius lib. II. stibadium & abacum in cœnatiuncula ponit. & fieri interdum ex marmore verba Secundi monstrant. *Idem.* Confer hanc in rem Zosim. l. III. & Jac. Sirmond ad Sidonii l. I. Ep. I. & II. Ep. II. &c.

6 *Carystiæ.*] Ex Carysto oppido Euboiæ si Ptolomæo credimus. Ad Carystum vero lapis nascitur quem pectunt, nent, texunt: inde mantilia conficiuntur egregie contexta. Ea ubi sordescunt, in flammas projecta non secus emundantur, quam si maculas elueris. Hæc Strabo & eum secutus Stephanus, qui tamen in hoc dissentit, Carystum scilicet urbem scribens sub monte Ocho Eubœæ, & Carystum locum Ægyos juxta Arcadiam, à quo Carystium vinum, cujus gentile Carystius. Et in eo lapidicinas carystiarum columnarum. Verum Strabo protulit Carystium etiam in Laconica fuisse, unde vinum Carystium ab Alcmane celebratum. Straboni libentius crediderim.

E stibadio aqua, velut expressa cubantium pondere, [1] sipunculis effluit, cavato lapide suscipitur, [2] gracili marmore continetur, atque ita occulte temperatur, ut impleat, nec redundet. [3] Gustatorium graviorque cœnatio margini imponitur, [4] levior navicularum & avium figuris innatans circuit: contra fons egerit aquam & recipit. nam expulsa in altum in se cadit, junctisque hiatibus & absorbetur & tollitur. E regione stibadii adversum cubiculum tantum stibadio reddit [5] ornatus, quantum accipit ab illo. A marmore splendet, valvis in viridia [6] prominet, & exit: alia viridia superioribus inferioribusque fenestris suspicit, despicitque. Mox [7] zothecula [8] refugit quasi in cubiculum idem atque aliud. [9] Lectulus hîc & undique fenestræ, & tamen lumen obscurum umbra premente. Nam [10] lætissima vitis per omne tectum in culmen

derim. Addam Plinium Caryston locare in sinu Ægeo, & civitatem ex adverso Eubœæ. Eam si Diodoro fidem præstamus, Dryopes pulsi ad Eubœam condidere. *Catan.*

1 *Sipunculis.*] Canaliculis, fistulis. *Idem.*

2 *Gracili marmore.*] Alio labello subtiliter ex marmore elaborato, sed latente. Nam duo erant vasa, alterum sub stibadio, unde aqua defluebat, alterum in quo confluebat. *Idem.*

3 *Gustatorium.*] Mensa contecta putaminibus testudinum, quam primus Carbilius Pollio prodigi ac sagacis ingenii ad instrumenta luxuriæ fertur excogitasse. Quare epigrammaticus poëta deinceps post stibadium in distichis gustatorium locavit. Diodorus & Plinius scribunt in mari Indico testudines inveniri tantæ magnitudinis, ut singularum superficie habitabiles casæ contegantur. *Idem.* Conf. Cl. Salmas. in Flav. Vopisc. p. m. 419. Editionis Paris.

4 *Levior navicularum, &c.*] Tessellata & vermiculato pavimento, in quo variæ erant figuræ navicularum & avium. Sicut hodie diversorum piscium Romæ in ædibus saxorum cernimus, ita ut imposita aquæ innatare videantur. *Catan.*

5 *Ornatus.*] Tanto ornamento cubiculum est stibadio, quanto stibadium cubiculo. Nam invicem se exornant. *Idem.*

6 *Prominet, & exit.*] Sic proxime Palat. & vett. edd. nempe *prominet texit alia.* Aldina nostrum istud repræsentat; ea juniores exhibuerant nobis, *prominet & texit. Deinde alia viridia, &c.* Gruter.

7 *Zothecula.*] Vide notata nostra ad lib. 11. ep. 17. ex Sirmondo.

8 *Refugit.*] Latet, reducitur. Hic mirum architecti ingenium commendatur. *Catan.*

9 *Lectulus hîc &c.*] Ita Pal. & edd. vett. nisi quod omnes, *hinc.* Novitiæ edd. *Lectus hîc.* Gruter.

10 *Lætissima.*] Multiplici palmite, maxima. Vites enim quoque apud priscos inter arbores numerabantur. Jovis simulacrum in urbe Populonia ex una

[1] culmen nititur & aſcendit. Non ſecus ibi, quam in nemore jaceas: imbrem tantum tanquam in nemore non ſentias. Hîc quoque fons naſcitur, ſimulque ſubducitur. Sunt locis pluribus diſpoſita [2] ſedilia è marmore, quæ ambulatione feſſos, ut cubiculum ipſum juvant. Fonticuli ſedilibus adjacent, per totum hippodromum inductis fiſtulis ſtrepunt rivi, & qua manus duxit, ſequuntur. His nunc illa viridia, nunc hæc, interdum ſimul omnia [3] lavantur. Vitaſſem jamdudum, ne viderer argutior, niſi propoſuiſſem omnes angulos tecum epiſtola circumire. Neque enim verebar, ne laborioſum eſſet legenti tibi, quod viſenti non fuiſſet: præſertim cum interquieſcere ſi liberet, depoſitaque epiſtola, quaſi reſidere ſæpius poſſes. Præterea indulſi amori meo. Amo enim, quæ maxima ex parte ipſe inchoavi, aut inchoata percolui. In ſumma (cur enim non aperiam tibi vel judicium meum vel [4] errorem?) primum ego officium ſcriptoris exiſtimo, ut titulum ſuum legat, atque identidem interroget ſe, quid cœperit ſcribere: ſciatque, ſi materiæ immoratur, non eſſe longum: longiſſimum, ſi aliquid acceſſit atque attrahit. Vides, quot verſibus [5] Homerus, quot Virgilius arma, hic Æneæ, Achillis ille, deſcribat: brevis tamen uterque eſt, quia facit quod inſtituit. Vides,

una conſpectum vite tot ævis incorruptum. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis ſtetit. Tectum Epheſiæ Dianæ ſcalis ſcandebatur vite una cypria. *Plinius.*

1 *Culmen.*] Culmen in eo diſtinguitur à tecto, quod culmis tegatur. Antiquis enim culmina dicta ſunt tecta, quia ædificia de culmo, id eſt, paleis è meſſibus contegebant. Virg. Eccl. 1.

Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

2 *Sedilia.*] Sedes diſpoſitæ: quales ſcribit Cicero fuiſſe ſub platanis. *Catanæus.*

3 *Lavantur.*] Irrigantur. Non improbo *juvantur*, ſcilicet ad retinendam viriditatem ſuam in æſtu, quamvis pontificius codex habeat *lavantur.* Id.

Lavantur.] Hæc eſt ſcriptura Pal. & edd. veterum, non *lætantur*, aut *juvantur*; quod invaſit edd. poſteriores. *Gruterus.*

4 *Errorem?*] Si deceptus ſum, neque recte judicavi. Extenuat enim facultatem ſuam, per correctionem, ut modeſtiæ laudem conſequatur. *Catan.*

5 *Homerus.*] Qui lib. XVIII. Iliados pluribus Achillis arma deſcribit, cujus exemplo Virgilius pariter lib. VIII. præſertim in deſcribendo Æneæ ſcuto multis immoratur. *Idem.*

1 *Aratus.*]

Vides, ut [1] Aratus minutiſſima etiam ſidera conſectetur & colligat, modum tamen ſervat. Non enim excurſus hic ejus, ſed opus ipſum eſt. Similiter nos, [2] ut parva magnis, cum totam villam oculis tuis ſubjicere conamur, ſi nihil inductum & quaſi devium loquimur, non epiſtola, quæ deſcribit, ſed villa, quæ deſcribitur magna eſt. Verum illuc, unde cœpi; ne ſecundum legem meam jure reprehendar, ſi longior fuero in hoc, quod exceſſi. Habes cauſas, cur ego Thuſcos meos [3] Thuſculanis, Tyburtinis, Præneſtiniſque meis præponam. Nam ſuper illa, quæ retuli, altius ibi ocium, & pinguius, eoque ſecurius: [4] nulla neceſſitas togæ, nemo

1 *Aratus.*] Hic Athenodore patre genitus, ſecundum alios Mnaſea & matre Lenodora. Magna de præceptoribus inter Suidam, & eum, qui Arati vitam conſcripſit, diſſenſio. Conſtat tamen viguiſſe Ptolomæi Philadelphi temporibus, & claruiſſe apud Antigonum cognomento Gonatam Macedonum regem. Patriam habuit Solos Ciliciæ: plura literarum monumenta reliquit, tradente Suida, inter quæ Phænomena ſcilicet lucentes ſtellas: quod opus ad noſtros tranſtulit M. Tullius. Utrumque extat: ſed Latinum detruncatum. Initium habet admirabile, & totum Homero ſimile. Sunt tamen, qui ſentiant magis Heſiodum ſecutum. Illum Cicer. I. de Oratore aſſerit fuiſſe ignarum aſtrologiæ, verum ornatiſſimis atque optimis verſibus de cœlo ſtelliſque dixiſſe. Fabius materiam Arati motu carere judicat, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla perſona, nec cujuſquam ſit oratio: ſufficere tamen operi, cui ſe parem credidit vel æqualem. *Idem.*

2 *Ut parva &c.*] Editiones Aldina poſteriores: *magnis conferramus cum*; ſed contra Pal. & impreſſiones exoletas. *Gruter.*

3 *Thuſculanis.*] Villis, quas in Thuſculano agro habeo, & Tyburtino, & Præneſtino. Thuſculum civitas in conſpectu Romæ eſt egregiis ornamentis inſignis, eam vinea coronant tectaque magnifica: præſertim ea regione, quæ in Romanum deſcendit aſpectum, videre licet villas variis decoratas apparatibus. A Thuſcia Thuſcus, à Thuſculo Thuſculanus deducitur. Præneſte & Tybur pariter in conſpectu urbis fuere. *Strabo.*

4 *Nulla neceßitas togæ.*] Sumendæ videlicet togæ, & obeundi officii urbani; ut ſunt, ſalutare amicos, deducere, comitari: ſponſalibus, nuptiis, teſtamentis, funeribus & aliis iſtiuſmodi rebus intereſſe, iiſque commodare præſentiam: tum in foro ac curia agere partes. Quæ obituri cum proderent domo togas ſumebant. Unde illud Martialis lib. I. Epigr. LV.

Vivat & urbanis albus in officiis.

Albus, id eſt, togatus. Nam hic togarum color erat. Nec alia cauſa operam, quæ in ejuſmodi officiis ponebatur, *togatam* appellavit idem Poëta lib. III. Epigr. XLVI. ſicut & homines ipſos, qui eam navabant, alibi *togatulos*; alibi *togatam turbam*. Nec alii illi *togati ac urbani* ſunt, quos noſter infra lib. VI. Ep. XXX. nominat. Extra urbem, & ruri maxime, tunicati erant. Ex quo apud Martialem eleganter ſane *tunicata* quies

[1] nemo accersitor ex proximo. Placida omnia & quiescentia, [2] quod ipsum salubritate regionis, ut purius cœlum, ut aër liquidior accedit: ibi animo, ibi corpore maxime valeo. Nam studiis animum, venatu co... exerceo. Mei quoque nusquam salubrius degunt, usque adhuc certe neminem ex iis, quos eduxeram mecum ([3] venia sit dicto)

quies de secessu dicitur lib. x. Ep. LII. Ac adeo rarus extra urbem togæ usus erat, ut nonnulli ne tota vita sumerent. Juvenalis Sat. III.

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

Sic infra noster lib. VII. Epist. III. *nusquam togam* in secessu esse scribit. *Buchnerus.*

1 *Nemo accersitor ex proximo.*] Significat subductiorem hunc secessum fuisse: nec coluisse in proximo, qui aut vocarent ad se, atque accerserent, aut se venturos nunciarent misso cursore. Et hoc est aliud *altius otium*, quod paulo ante prædicavit. Tale aliud Materni Quinctilianumve an Tacitum, elegantissimo Dialogo de causis corruptæ Eloq. cap. XIII. felicitatem secessus sui attollentis; *non me*, inquit, *fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet, &c.* Idem.

2 *Quod ipsum, &c.*] Accidit, ut omnia quiescant. Ordo est, quod ipsum accidit salubritate regionis, quia cœlum purius & magis serenum, quam in aliis locis sit. *Cat. Quod ipsum, &c.*] Ita Palat. & vett. edd. omnes, non ut neotericæ *accidit:* quod hic ferri nequit. Planior esset sententia, si adhuc, litera una mutata, scriberetur *salubritati.* Grut. *Quod ipsum, &c.*] Ita ex Palatino restituit Gruterus: qui planiorem sensum futurum existimabat, si scriberetur, *salubritati.* Atque profecto, nisi ita legimus, non modo non planus sensus erit, sed omnino nullus. Neque enim Plinium adducor ut credam archaismo usum, & *salubritate* pro *salubritati* dixisse. Sed neque sic satis consultum tamen huic loco erit. Nam quid faciemus iis, quæ proxime verbum hoc antecedunt, *ut purius cœlum, ut aër liquidior?* Neque enim hæc accedunt ad salubritatem ipsam, sed salubritatem ipsam faciunt. Quod si pro *ut* reponamus *ubi*; nihil difficultatis amplius manebit. *Buchnerus.*

3 *Venia sit dicto.*] Modus dicendi, qualis, malum absit omen, ne scilicet excitaret Nemesin adversum se, quæ petulantes & superbos ulcisci solet, & elatum cervice premit. Nam tradunt Nemesin implacabilem admodum contumacibus, & pennatam, quia celeriter delinquentes consequitur. Inde proverbium Νέμεσις δέ γε παρὰ πόδας βαίνει, id est, Nemesis quidem ad pedes graditur. Nam prædicit brachio & freno, ne immensa facias, neque effrenata dicas: unde illud distichum lib. IV. Græcorum epigrammatum,

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχει τῷ τε χαλινῷ,
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν,

Nemesis prædicit brachio & freno, neque immensum quid facere, neque effrenata dicere. Item aliud ad idem,

Ἡ Νέμεσις πῆχυν κατέχω. τίνος εἵνεκα; λέξεις,
Πᾶσι παραγγέλλω μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον.

Nemesis brachium teneo. cujus causa dices? omnibus prænuncio, nihil supra mensuram. Ibidem alia leguntur de Nemesi: & apud Ausonium tetrastichon, & quædam ex primo Ausoniæ, sed plura apud Suidam. *Catan. Venia sit dicto.*] Hoc deprecandi fascini causa, Deorumque

dicto) ibi amisi. Dii modo in posterum hoc mihi gaudium, hanc gloriam loco servent. *Vale.*

VII. C. PLINIUS CALVISIO SUO S.

Pompejus Saturninus Secundum hæredem reliquerat ex dodrante, Remp. Comensium ex quadrante: & quia tunc secundum leges Resp. non poterat institui hæres, scribit Secundus, se tamen velle ut voluntas Saturnini rata sit, nec infringatur.

NEC hæredem institui, nec percipere posse [1] Rempubl. constat: Saturninus autem, qui nos reliquit hæredes, [2] quadrantem Reipubl. nostræ, deinde [3] pro quadrante præceptionem quadringentorum millium dedit. Hoc, si jus aspicias, irritum: si [4] defuncti voluntatem,

rumque invidiæ interponit, quæ ulcisci felicium paulo elatius dicta credebatur. Quæ ipsa Nemesis antiquorum est. Unde illud Poëtæ:

——— Mitibus audi
Auribus hoc Nemesis, ferat & fortuna jocantem.

Veteres & *Præfiscini* sive *Præfiscine*, in simili causa dicebant, de quo ad Festum Scaliger & Muretus lib. IX. Variar. Lection. cap. III. *Buchner.*

1 *Remp.*] Nec posse institui hæredem, aut jus istud municipale fuit, aut leges, quibus tunc utebantur, postea sunt abrogatæ. Nam hodie omnes J. Consulti intendunt utilitati Reipub. ut Marcellus. ff. XXX. de legatis & fideicommissis: *Siquid*, inquit, *relictum sit civitatibus omne valet, sive in distributionem relinquatur, sive in opus, sive in alimenta, vel in eruditionem puerorum, sive in quid aliud.* Et Paulus ibidem latius. An dicamus de legatis tantum loqui, non de hæreditatibus? an ut scribit Ulpianus XXVIII. ff. quia resp. incerta res est: hæres autem institui nemo potest, nisi ut certus demonstretur? an quia litis causa & calumniæ non possumus Imperatorem, nec Remp. hæredem instituere Paulo libro XXVIII. titulo de hæredibus instituendis asserente? Nam & Ulpianus XXVIII. refert nos hoc jure uti, ut in rebus publicis, cum de donatione quæritur, illud solum spectandum, utrum ob causam aliquam justam Reip. promittat quis, vel polliceatur, an non? *Catan.*

2 *Quadrantem.*] Quartem patrimonii partem, quæ erat CCCC. millium. *Idem.*

3 *Pro quadrante præceptionem.*] Si standum est vett. edd. & Pal. restituendum fuerit, *deinde quadrantem præceptionem.* Gruter.

4 *Defuncti voluntat.*] Omnino puto servandam defunctorum voluntatem, etiamsi lege prohiberemur: neque enim stricte illorum voluntates interpretandæ sunt, Ulpiano respondente. Nam idem lib. XXVIII. titulo de hæredibus instituendis, asserit imprimis testatoris voluntatem inspiciendam. Et Justinianus constituit, se cupere, defunctorum voluntates validiores esse, & non verbis, sed volun-

tem, ratum & firmum eſt. Mihi autem defuncti voluntas ([1] vereor quam in partem Juriſconſulti, quod ſum dicturus, accipiant) [2] antiquior jure eſt, utique in eo quod ad communem patriam voluit pervenire. An cui de meo ſeſtertium [3] undecies contuli, [4] huic quadringentorum millium paulo amplius tertiam partem [5] ex adventitio denegem? Scio te quoque à judicio meo non abhorrere, cum eandem Remp. ut civis optimus diligas. Velim ergo cum proxime decuriones contrahentur, quid ſit juris indices, parce tamen & modeſte: deinde ſubjungas, nos quadringenta millia offerre, ſicut [6] præcepit Saturninus. Illius hoc munus, illius liberalitas,

tatibus eorum favere: quinimmo voluntas militis teſtamentum eſt, quod ſola perficitur voluntate. Papinianus auctor. *Catan.*

1 *Vereor quam in partem.*] Senſus eſt: timeo ne Juriſconſulti meam ſententiam reprehendant, cum in univerſum dixerim extremas voluntates non infringendas: ſed intelligo in rebus honeſtis. Nam ſtatim ſubdit, utique in eo quod ad communem patriam voluit pertinere, cenſeo ſervandam Saturnini voluntatem. *Idem.*

2 *Antiquior.*] Venerabilior, ſanctior, charior. Livius ſecundo ab urbe condita, *Id antiquius conſuli fuit.* Tranquillus in Vitellio, *Coëgit jurare cæteros, nihil ſibi antiquius quiete publica fore.* Et in Veſpaſiano, *Nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantémque Remp. ſtabilire.* Idem.

3 *Undecies.*] Centum ſeſtertium. Nam cum pollicitus eſſet quingenta Seſtertia in alimenta ingenuorum Novocomenſium, agrum de ſuis precii mille centum ſeſtertiorum longe pluris quam promiſerat, actori publico mancipavit: eundem impoſito vectigali recepit, daturus in id munus tricena millia annua pro fœnore. Hanc rem latius tractat lib. VII. ad Caninium. Legitur in aliis exemplaribus *ſeſtertium ſedecies contuli.* Idem.

4 *Huic quadringentorum, &c.*] Lege ut in quibuſdam codicibus, *huic quadringenta millia paulo amplius tertiam partem, ex adventitio denegem?* Appellat quadraginta ſeſtertiûm millia, paulo amplius tertiam partem ſeſtertii undecies, & cum de ſuo patriæ hanc ſummam contulerit, non gravate eidem ex adventitio illam quoque ſe ait collaturum. quod autem in quibuſdam libris *ſedecies* ſcribitur, falſum manifeſto eſt. *Seſtertium* vero non *ſeſtertium* ſcribendum ex uſu auctorum ejus ſeculi. *Caſaub.*

5 *Ex adventitio.*] Ex eo, quod ad me pervenit ex hæreditate Saturnini. Senſus eſt: ſi de meo peculio Reip. obtuli undecies centum ſeſtertiûm, quanto magis concedere debeo, ut habeat quadraginta, quæ jure hæreditario mihi debebantur, cum ea ſint ex peculio adventitio, & non jure agnationis? Eſt enim adventitia pecunia, quæ non accedit, & relinquitur ſucceſſionis cauſa, ſed ab extraneis & inſperato. adventoria autem res ut epiſtola, quæ amico advenienti occurrit. *Catan.*

6 *Præcepit.*] Propria locutio Juriſconſultorum. Nam veterum teſtamenta imperativis referta ſunt verbis. *Idem*

Præce-

tas, nostrum tantum [1] obsequium vocetur. Hæc ego scribere publice supersedi: Primum, quod memineram pro necessitudine amicitiæ nostræ, pro facultate prudentiæ tuæ, & debere te & posse, perinde meis, ac tuis partibus fungi: deinde, quia verebar ne modum, quem tibi in sermone custodire facile est, tenuisse in epistola non viderer. Nam sermonem vultus, gestus, vox ipsa moderatur: epistola, omnibus commendationibus destituta, [2] malignati interpretantiam exponitur. *Vale.*

VIII. C. PLINIUS [3] CAPITONI SUO S.

Capitoni ut historiam scriberet suadenti, rescribit idem cupere: & causas, quibus ad hoc incitaretur, quibusque retardaretur, enumerat: ubi pleraque multa, quid historia ab oratione differat, breviter tractat.

SUades, ut historiam scribam, & suades non solus: multi hoc me sæpe monuerunt, & ego volo. non quia commode facturum esse confido (id enim temere credas, nisi expertus) sed quia mihi pulchrum imprimis videtur, non pati [4] occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam [5] cum sua extendere. Me autem nihil æque, ac diuturnitatis amor & cupido solicitat: res homine dignissima, præsertim qui nullius sibi conscius

Præcepit.] Haud aliter Palat. & edd. vett. *præceperit*, nuper cusi. *Gruterus.*

1 *Obsequium.*] Beneficium, lenitas. nam obsecuti sumus Reip. cum jure possemus contendere. *Cat.*

2 *Malignitati interpretantium.*] Subjacet epistola, neque se defendet ab his, qui eam maligne interpretari velint. *Idem.*

3 *Capitoli.*] Sidonius Apoll. lib. IV. voluit hanc epistolam non Capitoni, sed Tacito scriptam. *Nam*, inquit, *Et antiquitus cum C. Cornelius Tacitus C. Plinio Secundo ut historiam scriberet, suasisset: & ipse postremo quod injunxit, arripuit.* Idem.

4 *Occidere.*] Aboleri nomen illorum, & facta interire. (Pro *non pati occidere*, fuit in vetusto codice *posteris tradere.*) Idem.

5 *Cum sua extendere.*] *Juvabit rerum gestarum memoriæ Principis populi, pro virili parte & me ipsum consuluisse. etsi in tanta scriptorum turba, mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me consoler.* Liv. in Præfat.

ſcius culpæ, [1] poſteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito,

—— Si qua me quoque poſſim
Tollere humo. ——

Id enim voto meo ſufficit: illud ſupra votum,

—— Victorque virum volitare per ora.
[2] *Quanquam ô! ——*

Sed hoc ſatis eſt, quod prope ſola hiſtoria polliceri videtur. orationi enim [3] & carmini parva gratia, niſi eloquentia ſit ſumma: hiſtoria [4] quoquo modo ſcripta delectat. Sunt enim homines natura curioſi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui ſermunculis etiam fabellisque ducantur. Me vero ad hoc ſtudium impellit domeſticum quoque exemplum. [5] Avunculus meus, idemque [6] per adoptionem pater, hiſtorias, & quidem reli-

1 *Poſteritatis memoriam.*] Ut de ſe poſteri male loquantur: nam qui recte vixerunt, non timent, ut poſteri ſua reprehendant. *Catan.*

2 *Quanquam ô!*] Optat tamen ſuis ſcriptis illuſtrari & excellere, ſumens initium ex v. Æneid. ubi Mneſtheus hortatur ſocios ad remigandum in navali certamine. prius vero eſt ex III. Georgicorum. *Idem.*

3 *Et carmini parva gratia.*] Recentiſſimæ edd. *carmini eſt parva gratia,* ſed nuſquam ea vocula in vett. aut etiam Palatino. *Grut.*

4 *Quoquo modo.*] Etiam ſine eloquentia, & tantum res nudas commemorans. Inde ad Lucejum M. Tullius, *Ipſe*, inquit, *etiam annalium ordo nos mediocriter retinet, quaſi enumeratione faſtorum: & de finibus, quod hiſtoria delectet, quam ſolemus perſequi uſque ad extremum, prætermiſſa repetimus, inchoata perſequimur.* Catan.

5 *Avunculus meus.*] C. Plinius Secundus frater matris meæ. Quidam opinantur avunculum traxiſſe appellationem ab eo, quod æque tertius à matre, ut avus eſt, ſed non ejuſdem juris, ideoque vocabuli factam diminutionem. ſive avunculus appellatur, quod avi locum obtineat, & proximitate tueatur ſororis filium. *Idem.*

6 *Per adoptionem pater.*] Jus adoptionis eſt, ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos poſſit: & cum potuerit, ſit expertus, & adoptatus ſit minor adoptante, legitimo & pontificio jure procedat adoptatio, & ita fiat, ut ne quid aut de dignitate, aut de ſacrorum religione minuatur: in primis, ne qua calumnia, ne quis dolus adhibeatur. Evenit autem ſecundum JC. ut is qui in adoptione datus eſt, tam in familia naturalis patris jura cognationis retineat, quam in familia adoptiva nanciſcatur: ſed eorum tantum cognationem in adoptiva familia nanciſcitur, quibus fit agnatus, in naturali autem omnium pertinebit. Paulus ff. primo, Per adoptionem dignitas non minuitur, ſed augetur: unde Senator, ſi à plebeio adoptatus eſt manet & Senator. ſimiliter & Senatoris filius in familia adoptantis manet, niſi manci-

religiosissime, scripsit. Invenio autem apud sapientes honestissimum esse: majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint. Cur ergo cunctor? Egi magnas & graves causas. Has (etiamsi mihi tenuis ex eis spes) destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studii addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quicquid non est peractum, [1] pro non inchoato est. Dices, *Potes simul & rescribere actiones, & componere historiam.* Utinam! Sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. [2] Undevicesimo ætatis anno dicere in foro cœpi, & nunc demum, quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video. Quid, si huic oneri novum accesserit? Habet quidem oratio & historia [3] multa communia, sed [4] plura diversa in his ipsis, quæ com-

mancipetur. De adoptione multa Jurisconsulti scribunt, ut Justinianus in Institut. & Codice de adoptionibus, Diocletianus, & Max. Imperat. Ulp. ff. primo, & Modestinus ib. Longe tamen plura Gellius lib. v. Tantum addam, quæ à Cajo traduntur: Quod generalis adoptio duobus modis fiat, aut principis auctoritate, aut magistratus imperio: principis auctoritate adoptamus eos, qui sui juris sunt: quæ species adoptionis dicitur Arrogatio, quia & is qui adoptat rogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse, & is qui adoptatus interrogatur, an id fieri patiatur. Imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt, sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia: sive inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis. Apud Barbaros mos fuerat in adoptionibus lectum ascendere, & adoptandum sumptum juxta ab adoptaturo per vestes, inferius in terram demittere, ut verum partum imitaretur. *Catan.*

1 *Pro non inchoato est.*] Tanquam si nunquam incœpisses. nam imperfecta negliguntur, & cito intereunt. *Idem.*

2 *Undevicesimo.*] Decimonono, dempto uno de vicesimo, sicut duodevicesimo, decimo octavo: demptis duobus de vicesimo: sic undetrigesimo, & duodetrigesimo, ac deinceps usitato & eleganti dicendi genere. *Idem*

Undevicesimo anno.] Eadem ætate forum ingressus Lucius Crassus est, cum C. Narbonem accusaret. Auctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ cap. XXXIV. *Nono decimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem; uno & vicesimo Cæsar Dolobellam, altero & vicesimo Asinius Pollio C. Catonem; non multa ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.* Buchner.

3 *Multa communia.*] Ut delectet, afficiat, auditores rerum novitate attentos reddat, exemplis instruat, & moveat digressionibus opportunis, utatur exornationibus fere omnibus quibus orator, & elegantia & flumine orationis, & varietate. *Catan.*

4 *Plura diversa.*] Diversa est historicorum ratio scribendi ab oratoribus,

communia videntur. Narrat ſane illa, narrat hæc, ſed [1] aliter. Huic pleraque [2] humilia & ſordida, & [3] ex medio petita: illi omnia recondita, ſplendida, excelſa, conveniunt. Hanc [4] ſæpius [5] oſſa, muſculi, nervi: illam [6] tori quidam & quaſi [7] jubæ decent. Hæc vel maxime vi, amaritudine, [8] inſtantia: illa tractu

bus. Hiſtorici enim ordinem rei ſervant, & materia præparata utuntur: oratores vero multa invertunt & fingunt. Procemium hiſtoricorum, duabus tantum rebus, attentione & docilitate conſtare debet, omiſſa benevolentia, quam in primis orator captat. *Lucianus in lib. ſcribendæ hiſtoriæ.*

1 *Aliter.*] Scribitur enim hiſtoria ad narrandum, non ad probandum, & inter ſpecies narrationum à Fabio numeratur, at quæ oratori convenit narratio interdum ſubtrahenda, neque ſemper procemio ſubſtituenda: ſed pro conditione cauſarum mutanda. namque non in hoc reperta eſt, ut tantum cognoſcat judex, ſed aliquanto magis ut conſentiat, neque neceſſe eſt narrationem in oratore eſſe veram, ſed veriſimilem, in qua aliqua neganda, aliqua adjicienda, aliqua mutanda, ſicut aliqua etiam tacenda, quæ omnia ab hiſtorico reſpuuntur. *Catan.*

2 *Humilia & ſordida.*] Omnia in quibus hiſtoria verſatur complecti rerum ſcriptores decet: tum vero maxime, quomodo quæque res ſigillatim deſcribendæ ſint, cura videtur ſuſcipienda. *Diodor. l.* VI. Exemplo eſt Liv. qui obſcura bella etiam ſine exemplis recenſet.

3 *Petita ex medio.*] Trita, vulgaria, communia: poſſumus iſta etiam referre ad verba. Nam auctore Luciano, hiſtoria coloranda eſt dictione clara. Inde ſæpius invenies apud rerum ſcriptores de medio petita vocabula: qualia ſunt carrus, induratus, caſtellanus, ferraria, lignatum, aquatum, rebellatum, & ſimilia: exiſtimo tamen de rebus hic loqui, cum ſequantur mox alia verba. *Catan.*

4 *Sæpius.*] Interdum ex præcepto Luciani vim eloquentiæ licet oſtentare, ubi copia rerum exigit: laudare tamen & vituperare parce. *Idem.*

5 *Oſſa, muſculi, &c.*] A corpore ad hiſtoriam hæc commode tranſlata. Sunt autem muſculi ex nervis & cartilagine condenſati, quibus robur oſtenditur ſicut nervis. Licet igitur hiſtorico vires oſtendere, quod Quintilianus permittit in declamat. quibus ſimilis eſt hiſtoria: Oſtendenda, inquit, *oſſa & nervi* controverſiæ ac declamationis: at oratori ſecus faciendum. nam vires diſſimulandæ, & illius præcipuum artificium, cum ex arte loquatur, ne ars ulla videatur. *Idem.*

6 *Tori.*] Pulpæ. Oratio ſicut corpus hominis alicujus, ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ, nec oſſa numerantur: ſed temperatus & bonus ſanguis implet membra & exurgit toris, ipſos quoque nervos robur tegit, & decor commendat. *Tacitus.*

7 *Jubæ.*] Exultantia & decor orationis per jubas monſtratur, ſicut per toros plenitudo & ubertas. Quanquam Fabius moneat orationi non debere ineſſe athletarum toros, ſed militum lacertos: nec verſicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, veſtem bene ad forenſem pulverem facere. Verum aliud eſt poſteritati conſulere, aliud utilitati præſenti. In alia lectione fuit *tubæ*, id eſt eminentiæ. *Catan.*

8 *Inſtantia.*] Rerum frequentia, brevitate, quam Secundus in Saturnino commendat, qualis Thucydides & Tacitus, ut verborum prope numerum

[1]tractu & suavitate, atque etiam dulcedine placet. Postremo [2] alia verba, alius [3] sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, [4] κτῆμα sit, an ἀγώνισμα; quorum alterum oratio, [5] alterum historia. His

rum sententiarum numero sequuntur. Nam uterque historiæ gravissimus auctor. *Catan.*

1 *Tractu.*] Amplificatione: cum inter alias oratoris virtutes hæc non minima sit, parva augere, magna minuere, & immorari diutius ubi opus sit, ut melius animis auditorum infigatur. *Idem.*

2 *Alia verba.*] Diversa sunt quædam historicorum verba ab oratore. Nam illis peculiare est dicere, *palare, facere impressionem, canere receptui, centuriare, lapidare, castrametari, expedire aciem, antesignanos, vicanos, classiarios, suppetias*, & alia multa, quibus orator nunquam nisi per translationem utitur. *Idem.*

3 *Sonus.*] Historico præterquam in concionibus unus & perpetuus debet esse sonus: oratori secus. Nam si lugubria tractat verbis & voce querula, si læta lætis, si gravia gravibus utetur, & exornationibus ac clausulis ad rem accommodatis, &c. *Idem.*

4 *Κτῆμα sit, an ἀγώνισμα.*] *Possessio* sit, an *concertatio*. Hæc est sana lectio, quam in omnibus, quos vidimus codicibus mancam & inversam restituimus in integrum, sumptam ex procemio Thucydidis κτῆμα μᾶλλον ἐς αἰεὶ ἤπερ ἐς τὸ παραχρῆμα ἀγώνισμα, id est, *monumentum potius in perpetuum quam ad præsens tempus pugna*. Hæc reperit ad verbum Lucianus in præceptis scribendæ historiæ. *Id.* Κτῆμα, *&c.*] Monumentum, an certamen. Fabius hujus loci sensum pulcherrime expressit lib. x. *Totum historiæ opus non ad intuitum rei pugnamque præsentem, sed ad memoriam posteritatis & ingenii famam, componitur.* Stephan.

5 *Alterum.*] Historia exigit, ut posteris placeat. Si legis *historia est*, interpretaberis, ut sit perpetua possessio. M. Tullius de legibus quod Plin. orationi tribuit, id poëticæ dat. *Intelligo*, inquit, *alias in hist. leges servandas, alias in poëmate: quod in illa ad veritatem referantur, in hac ad delectationem pleraque.* Catan. *Alterum, &c.*] Orationem & Historiam sic contulit inter se Plinius hactenus, ut primo de illa, & post de ista verba faceret. Quare & hic videri poterat eum ordinem observasse, & κτῆμα, quod primo ponit, Orationem, Historiam ἀγώνισμα, quod sequitur, accipiendam significasse. Atqui Thucydides Historiam, κτῆμα volebat, non ἀγώνισμα. Et Lucianus cum de scribenda Historia præciperet idem ex eo iterum iterumque inculcavit. καὶ ὅλως, πῆχυς, inquit, εἷς καὶ μέτρον ἀκριβὲς, ἀποβλέπειν μὴ εἰς τοὺς νῦν ἀκούοντας, ἀλλ' εἰς τοὺς μετὰ ταῦτα συνεσομένους τοῖς συγγράμμασιν: *Et in summa, ulna una ac mensura certa est aspicere non ad præsentes auditores, sed ad eos, qui in posterum in his scriptis legendis versabuntur.* Nec aliud sensit, opinor Plinius ipse, cum lib. VII. Epist. XVII. scriberet *Historiam non ostentationi, sed fidei & veritati componi.* Quare nec hîc putandus ἀγώνισμα statuisse historiam, sed κτῆμα potius, & commutasse itaque ordinem, quem servaverat hactenus, quod non tam infrequenter solent auctores. Agit de orationibus forensibus, & quæ, ut alibi ait, *exemplaria actionum* sunt: quales Verrinæ & aliæ Ciceronis. Quæ ut contentione constant, ita illa ipsa altercatio, ἀγὼν Græcis appellabatur. Vid. Cicer. lib. I. ad Atticum Epist. XIII. Quare ἀγώνισμα non de historia, sed de oratione

His ex causis non adducor, ut duo dissimilia, & hoc ipso diversa, quod maxima, confundam, misceamque: ne tanta quasi colluvione turbatus, ibi faciam, quod hîc debeo. [1] Ideoque interim veniam, (ne à forensibus verbis recedam,) advocandi peto. Tu tamen jam nunc cogita, quæ potissimum [2] tempora aggrediamur. [3] Vetera & scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio; [4] intacta & nova? [5] graves offensæ, levis gratia. [6] Nam præ-

tione interpretandum. Quemadmodum & Quinctilianus in Thucydidis verbis accepit. Quæ respexit pariter & interpretatus quodammodo est, cum lib. x. cap. I. scriberet *Historia ad narrandum, &c. Res*, negotium forense est, de quo disceptatio est. Sive *lis*, ut Ausonius interpretatur in illo de triplici hujus vocis significatione:

Imperium, litem, Venerem cur una notat res.

Actus rei & pugna, actio ipsa seu disceptatio rei est, sive *ἀγὼν* ille, quem Græci vocabant. *Pugnam certaminis* noster appellat lib. VI. Epist. XIII. qua Urso suo de Bithynorum in Varenum actione nonnihil exponit. Et ita *pugnacem ac contentiosam orationem* ante dixerat lib. II. Epist. XIX. Eaque de causa & Aristoteles cum lib. III. Rhet. cap. XII. de convenienti elocutione ageret, illud genus, quod judicialibus ac deliberativis causis proprium facit, *ἀγωνιστικὸν* appellavit. Neque enim in judiciis tantum, verum in curia etiam contentio est, cum suadet alius & alius dissuadet. Quare *κτῆμα* omnino Historia, *ἀγώνισμα* vero oratio erit. *Buchnerus.*

1 *Ideoque interim.*] Lectio minus sana, si modo non mentiuntur edd. priscæ & Pal. in iis etiam concorditer, *debeo: qua interim veniet, ne à, &c.* altera illa scriptura nata in officina Aldi. *Gruterus.*

2 *Tempora.*] Quorum temporum historias scribendas aggrediamur. *Cat.*

3 *Vetera & scripta aliis.*] Totus locus ita concipi debet: *Vetera & scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio, intacta & nova? graves offensæ, levis gratia.* Sic amat loqui Cicero, sic Plinius, vel vide Epist. XVIII. lib. VII. *Casaubonus.*

4 *Intacta.*] Tempora non descripta ab ullo, qualia erant Vespasianorum, Nervæ, & Trajani. Nondum enim Tacitus & Tranquillus suas historias conscripserant, cum hæc destinaret Secundus. *Catan.*

5 *Graves offensæ.*] Sunt futuræ molestæ inimicitiæ scripturo. Arduum videtur, refert Sallustius, res gestas scribere, primum quod facta dictis exæquanda sunt: deinde quia plerique delicta, quæ reprehenderis, malevolentia & invidia dicta putant. *Idem.*

6 *Nam præterii quod.*] Turbat doctos viros hic locus. Tu lege, *Nam præter id, quod, &c.* Nihil jam planius. *Casaub. Nam præterii quod.*] Nec hæc scriptura sincera. Palat. enim: *Hæc præterea quod*, nec aliter Mediolanensis editio. Anonyma autem illa, *Ac præterea, &c.* Dixi in suspicionum libellis, legendum videri *levis gratia. præterea quod in tantis, &c.* neque adhuc muto sententiam. Certe diversitas vocis præcedentis falsitatem suam eo ipso satis prodit. *Grut. Nam præterii.*] Gruterus inducta particula *i. Præterea, quod in tantis, &c.* Mox pro *tum si laudaveris*, malim; *cura, si laudaveris, parcus, &c.* Buchner.

1 In

præterii, quod [1] in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt, quam laudanda: tum si laudaveris, parcus: si culpaveris, nimius fuisse dicaris: [2] quamvis illud plenissime, hoc restrictissime, feceris. Sed hæc me non retardant: est enim mihi pro fide satis animi. Illud peto præstruas, ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi, jam scribere parato, alia rursus cunctationis & moræ justa ratio nascatur. *Vale.*

IX. C. PLINIUS SATURNINO SUO S.

Dolet Julium Valentem graviter jacere, sed molestius fert, quod Avitus decesserit.

VArie me [3] affecerunt literæ tuæ: nam partim læta, partim tristia continebant. Læta, quod te in urbe teneri nunciabant. [4] Nollem, inquis: sed ego volo, propterea quod recitaturum statim ut ego venissem, pollicebantur. Ago gratias: quod expector. Triste illud, quod Julius Valens graviter jacet: quanquam ne hoc quidem triste, si illius utilitatibus æstimetur, cujus interest quam maturissime [5] inexplicabili morbo liberari. Illud plane non triste solum, verum etiam luctuosum, quod Julius [6] Avitus decessit, dum ex quæstura redit. Decessit autem

1 *In tantis vitiis.*] Quibus versamur nostris temporibus. Nam tunc omne in præcipiti vitium steterat, si Juvenali credimus; potuit tamen respexisse mala Domitiani tempora. *Catan.*

2 *Quamvis illud plenissime.*] Non parce ac maligne laudaveris; sed plene: nec nimius & iniquus in culpando fueris, sed justus, & integer iræ ac odii causas veritati postponens. Nam rectum est, quod regulæ quadrat, nec excedit. *Buchner.*

3 *Affecerunt.*] Si alicui fuisset ambiguum, afficere esse affectus movere tam lætos; quam tristes, hic omnino tollitur dubium. *Catan.*

4 *Nollem.*] Sc. *esse in urbe*, occurrit enim his, quæ dici poterant à Saturnino. *Idem.*

5 *Inexplicabili.*] Id est, incurabili. Alias id significat, quod explicari nequit. Sic Plin. sen. lib. XXIII. cap. 2. *De generibus singulis dicere, immensum & inexplicabile est.* Et lib. V. cap. 5. *Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit.*

6 *Avitus.*] Alius à Junio Avito, cujus interitum lib. VIII. lugubriter dolet. *Catan.*

tem in navi procul à fratre amantissimo, procul à matre, à sororibus. Nihil ista ad mortuum pertinent, sed pertinuerunt, quum moreretur. Pertinent ad hos, qui supersunt. [1] Jam, quod in flore primo tantæ indolis juvenis extinctus est, summa consecuturus, si virtutes ejus [2] maturuissent. Quo ille studiorum amore flagrabat? quantum legit? quantum etiam scripsit? quæ nunc omnia cum ipso [3] sine fructu posteritatis aruerunt. Sed quid ego indulgeo dolori? cui si frenos remittas, nulla materia non maxima est. Finem epistolæ faciam, ut facere possim etiam lacrymis, quas epistola expressit. *Vale.*

X. C. PLINIUS ANTONINO SUO S.

Jambos Antonini tantum admiratur, ut sibi imitabiles neget: & hortatur ad similes identidem emittendos.

CUM versus tuos æmulor, tum maxime, quam sint boni, experior. Ut enim pictores pulchram, absolutamque faciem raro, nisi [4] in pejus effingunt: ita ego ab hoc archetypo [5] laboro & decido. Quo magis hortor, ut quamplurima proferas, quæ imitari omnes concupiscant, nemo aut paucissimi possint. *Vale.*

XI. C. PLI-

1 *Jam quod in flore primo.*] Revocavi scripturam Palatini, & Neustetteri codd. confirmatam editionibus primis, Aldina inverit, *Jam quidem in fl.* sed ex illa profecto officina tam multa fere mala prodierunt, quam bona; dum nimium sibi tribuunt Correctores, neque tamen asteriscis locum mutilum insigniendum putant operæ suæ pretium. *Gruter.*

2 *Maturuissent.*] Si vixisset diutius. In pontificio codice, cujus copiam nobis fecit Philippus Beroaldus, est ista lectio: *maxima consecuturus. Amabam virtutes ejus maturitatemque. Catan.*

3 *Sine fructu posteritatis.*] Quia nullam utilitatem capient posteri ex studio illius immaturo. *Idem. Aruerunt.*] Sic Neustetterus, sic edd. vett. Nam recentiores *abierunt*, pessime. *Gruterus.*

4 *In pejus fingunt.*] Deficiunt ab exemplari. *Catan. In pejus fingunt.*] Eodem loquendi genere usus est noster quoque supra, Epist. XXVIII. L. IV. *A qua rogo, ut artificem, quem elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare.*

5 *Laboro.*] Inferior sum, ait, quod non improbo, *archetypo labore*, à tuis primum elaboratis carminibus: vel magis, ut est in antiquo exemplari, *ab hoc archetypo labor & decido.* Nitor scilicet assequi majestatem tuorum carminum, sed frustra. *Catan.*

1 Appel-

XI. C. PLINIUS TRANQVILLO SUO S.

Secundus hendecasyllabo pollicitus fuerat amicis Tranquillum emissurum quadam: qua cum diutius is contineret, &, amici indies promissa repeterent, eundem monet, ut publicet: sin minus, comminatur in illum versus convitiosos.

LIbera tandem hendecasyllaborum meorum fidem, qui scripta tua communibus amicis spoponderunt, [1] appellantur quotidie & flagitantur: ac jam periculum est, ne cogantur ad exhibendum [2] formulam accipere. Sum & ipse in edendo hæsitator: tu tamen meam quoque cunctationem tarditatemque vicisti. Proinde aut rumpe jam moras, aut cave ne eosdem illos libellos, quos tibi hendecasyllabi nostri blanditiis elicere non possunt, convicio [3] scazontes extorqueant. Perfectum opus,

1 *Appellantur.*] Expetuntur, vocantur tanquam debita. Seneca de beneficiis, *Nec avarus exactor ad horam & diem debitorem appellat.* Interdum salutare significat, ut apud Apulejum *appellata Byrrhena.* Sæpe provocare, à quo appellatio provocatio, ut ff. IX. titulo de appellationibus. *Catan.*

2 *Formulam.*] Libellum, & formam procedendi post litem contestatam. Tranquill. in Claudio, *Et iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent restituit actiones.* Fabius, *Neque ignoro multa transferri, cum in omnibus fere causis, in quibus cecidisse quis formula dicitur: ha sint quastiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere.* Idem.

3 *Scazontes.*] Jambi. Sed quia legem Jambi non servant, merito scazontes, id est claudicantes, dicuntur. Ausonius appellavit, ἀπὸ τοῦ σκάζειν, id est claudico. Diomedes, *Qui in ultima, inquit, oratiuncula vel syllaba claudantur, vel tempore deficiunt, Graece scazontes vocantur.* Ephæstion Græcus, quem in multis sequitur idem Diomedes, Jambus ait claudus notandus in fine: quem alii Hipponactem, alii Ananium excogitasse ferunt. *Idem. Scazontes.*] Quippequi huic rei facti. Nam Dionys. Halicarnass. auctor est Hipponacten mutasse Archilochios trimetros, & ultima regione pro Jambo, Spondæum substituisse, ut fortius infestaretur hostes, quod Spondæus duabus longis gravius feriret, & velut ferrum in vulnere relinqueret. Quanquam universa Poësis Jambica iracundiæ, indignationi, vindictæ atque conviciis maxime serviat. Est enim ille pes

Virilis, acer, & raptim citus:

quod Terentianus de eo pronunciat. Auctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ cap. x. *Ego vero omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras puto: nec solum cothurnum vestrum, sed Lyricorum quoque jucunditatem, & Elegorum lascivias, & jamborum amaritudinem.* *Amaritudo* maledicentia est, quæ ex tertio quodam iræ genere oritur, quod vim suam verborum acerbitate consumit, *lingua venenum & lingua amaritudinem* Tertullianus appellat.

opus, abſolutumque eſt, nec jam ſplendeſcit lima, [1] ſed atteritur. Patere me videre titulum tuum, patere audire, deſcribi, legi, vænire volumina Tranquilli mei. Æquum eſt, nos in amore tam mutuo eandem percipere ex te voluptatem, qua tu perfrueris ex nobis. *Vale.*

XII. C. PLINIUS FABATO PROSOCERO SUO S.

Quia Fabatus Proſocer porticum extruxerat, & in ornatum portarum pecuniam promiſerat: ideo Secundus munificentiam illius commendat.

ACcepi literas tuas, ex quibus cognovi ſpecioſiſſimam te porticum ſub tuo [2] filiique tui nomine dedicaſſe, ſequenti die in portarum ornatum pecuniam promiſiſſe, [3] ut initium liberalitatis eſſet [4] conſummatio prioris. Gaudeo primum tua gloria, cujus ad me pars aliqua pro neceſſitudine noſtra redundat: deinde quod memoriam Soceri mei pulcherrimis operibus video proferri.

pellat. Nam primum genus *reſtricti animi* vocat; cum intus premitur ira occaſionem ulciſcendi operiens: alterum *petulantium manus*; quando in ultionem ſcilicet verberaque erumpit. Vide eruditiſſimum Patrem, ſi lubet, de Patientiâ cap. VI. Noſter infra lib. VI. Epiſt. VIII. *Velim attendas, ne in bilem aut amaritudinem vertat injuria.* Buchner.

1 *Sed atteritur.*] Noſter infra lib. IX. Epiſt. XXXV. *Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo. eſt tamen aliquis modus. primum quod nimia cura deterit magis quam emendat, &c.* Quinctilianus lib. X. c. IV. cum de emendatione & modo ei ſtatuendo præcipit, *Sit igitur*, inquit, *aliquando quod placeat, aut certe quod ſufficiat, ut opus poliat lima, non atterat.* Vere itaque Statius Thebaida ſuam *multa lima cruciatum* dixit Lyrico ad Maximum Junium, cui emendandæ annos duodecim dederat, ut ipſe extremo opere teſtatur. Plutarchus nimium iſtiusmodi emendandi ac poliendi ſtudium, ſophiſticam puſillanimitatem dicit ſine libri, quem de Athenienſium gloriâ dedit. *Idem.*

2 *Filii.*] Soceri Secundi. Nam ejus filiam duxerat: verum cum hæc ſcriberet, jam vita functus erat. *Catanæus.*

3 *Ut initium liberalitatis eſſet.*] Secutus ſum Palat. & vett. edd. deinceps eum, *ut initium novæ liberalitatis*, vel *ut initium ſequentis liberalitatis.* Sed ex ſupervacuo. *Gruter.*

4 *Conſummatio.*] Finis. Senſus eſt: ut finita priore liberalitate extruendæ porticus, ſtatim ſine intermiſſione initium à promiſſione pecuniæ ad ornandas portas ſumeres. quod erat ſecundæ liberalitatis principium. *Catan.*

1 Quid

ferri. Postremo quod patria nostra florescit, quam mihi à quocunque excoli jucundum, à te vero lætissimum est. Quod superest, Deos precor, ut animum istum tibi, animo isti tempus quam longissimum tribuant. Nam liquet mihi futurum, ut peracto, [1] quod maxime promisisti, inchoes aliud. Nescit enim semel incitata liberalitas stare, cujus pulchritudinem usus ipse commendat. *Vale.*

XIII. C. PLINIUS [2] SCAURO SUO S.

Orationem, quam apud municipes suos habuerat, paucis amicis recitatam judicio Scauri subdit.

Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, advocavi aliquos, ut vererer: paucos, ut [3] verum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi: una, ut [4] solicitudine incendar: altera, ut admonear, si quid forte me, [5] ut meum, fallat. Tuli quod petebam: inveni, qui mihi copiam consilii sui facerent. Ipse præterea quædam emendanda annotavi. Emendavi librum, quem misi tibi. Materiam ex titulo cognosces, cætera liber explicabit: quem jam nunc [6] oportet ita consuescere, ut sine præfatione intelligatur. Tu velim, quid de universo, quid de

1 *Quod maxime promisisti.*] Ita Pal. & vett. edd. neque aliter legit Catanæus. Aldina & seqq. *quod proxime promisisti*; non male, si id etiam libri confirmarent. *Gruter.*

2 *Scauro.*] Colligimus ex lib. VI. Attilium Scaurum amicitia Secundo conjunctum, & Gellio tradente, de Cæsellii erroribus plura composuisse. Seneca lib. I. suasoriarum asserit in Scauro Mamerco Scaurorum familiam extinctam. *Catan.*

3 *Verum.*] Judicium illorum, *an bona, an mala esset.* Idem.

4 *Solicitudine incendar.*] Intendam animum, cum sim solicitus, ne amici male de meis judicent scriptis: nam securitas facit hominem negligentem. *Idem. Incendar.*] *Accendar*, ut *videtur ante sollicitudine desiderare.* Boxhorn.

5 *Ut meum.*] Quia nostra solemus amare, & unusquisque suæ inventioni favet, meliusque de alienis, quam de suis judicat. In secunda lectione fuit *ut mecum*, id est per meipsum, & sine alieno judicio: longe tamen melior, *ut meum.* Catan.

6 *Oportet ita consuescere.*] In Palat. & vett. edd. Recentiores enim, *oportet ibi consuescere.* Aldina neutram voculam expressit. *Gruter.*

1 Pro-

de partibus ſentias, ſcribas mihi. Ero enim vel cautior in continendo, vel conſtantior in edendo, ſi huc vel illuc auctoritas tua acceſſerit. *Vale.*

XIV. C. Plinius Valeriano Suo S.

Notum argumentum præcedente jam epiſtola ad Valerianum, qua illum incitaverat audire, quid futurum eſſet de accuſatione Thuſcilli Nominati: quo advocato uſi fuerant Vicentini contra Solertem.

ET tu rogas, & ego [1] promiſi, ſi rogaſſes, ſcripturum me tibi, quem habuiſſet eventum poſtulatio Nepotis circa Thuſcillum Nominatum. Inductus eſt Nominatus, egit ipſe pro ſe nullo accuſante. Etenim legati Vicentinorum non modo non preſſerunt eum, verum etiam ſublevaverunt. Summa defenſionis, *non fidem ſibi in advocatione, ſed conſtantiam defuiſſe: deſcendiſſe ut acturum, atque etiam in curia viſum: deinde ſermonibus amicorum perterritum, receſſiſſe. monitum enim, ne deſiderio* [2] *Senatoris non jam quaſi de nundinis, ſed quaſi de gratia, fama, dignitate certantis, tam pertinaciter, præſertim in Senatu repugnaret: alioqui majorem invidiam,* [3] *quam proxime paſſurus.* Erat

1 *Promiſi.*] Jocatus fuerat cum eo, dicens quamdiu nunc oportet, quam blande roges, ut reliqua cognoſcas. promiſerat ſe ſcripturum, niſi hac conditione, ut rogaret. *Catan.*

2 *Senatoris.*] Solertis, qui jus ingrediendi Senatum & ſententiam dicendi habebat. *Idem.*

3 *Quam proxime paſſurus, &c.*] Vereor ne & iſta lectio mendoſa. Nam Palat. accedit veteribus edd. in quibus: *proxime paſſurus erat. Sane prius tamen paucis acclamatum exeuntis ſubjunxit preces.* Quam propoſui ſcripturam, eruit eſt Membranis Neuſtetterianis Modius noſter. *Gruter.* *Erat ſane verum tamen à paucis acclamatum eſt.*] Merito diffidit Modio Gruterus. A diſtinctione potiſſimum vetus ſcriptura laborat. *Monitum enim* (refert Plinius) *ne deſiderio ſenatoris, &c. tam pertinaciter, præſertim in ſenatu, repugnaret: alioqui majorem invidiam, quam proxime, paſſurus. (Erat ſane prius, tamen à paucis, acclamatum exeunti.) ſubjunxit preces multumque lacrimarum.* Alioqui (nempe dicebat Tuſcillus Nominatus ſe monitum) niſi ſcilicet deſiſteret repugnare Senatori, & ſi rurſus auderet agendi animo ſenatum introire, fore, ut multo majore convicio verberaretur & probris gravioribus inceſſeretur,

Erat ſane verum: tamen à paucis acclamatum eſt. Inde ſubjunxit preces, multumque lacrymarum: quinetiam tota actione homo in dicendo exercitatus operam dedit, ut deprecari magis (id enim & favorabilius & tutius) quam defendi videretur. Abſolutus eſt ſententia deſignati Conſulis [1] Afranii Dextri, cujus hæc ſumma: *Melius quidem Nominatum fuiſſe facturum, ſi cauſam Vicentinorum eodem animo quo ſuſceperat, pertuliſſet; quia tamen in hoc genus culpa non fraude incidiſſet, nihilque dignum animadverſione admiſiſſe convinceretur, liberandum,* [2] *ita tamen ut Vicen-*

ſeretur, quam nuper, quum Vicentinis adfuiſſet. Hæc eſt illa *invidia*, quam paſſus erat Tuſcillus. Ut quod de Catilina Salluſtius: *obſtrepere omnes, hoſtem atque parricidam* vocare. Ut apud Tacitum Piſo *ſenatum rurſus ingreditur, redintegratamque accuſationem, infenſas patrum voces, adverſa & ſæva cuncta perpeſſus* III. Annal. Etſi pro rerum magnitudine hæc paulo atrociora. Hanc autem *invidiam* ſeſe intelligere ne ignoraretur, Plinius ἐν παρενθέσει (nam priora verba pars erant orationis, qua ſeſe Nominatus ibat excuſatum) interpoſuit congeſta fuiſſe dicta nonnullorum acerba in exeuntem è ſenatu, quibus ei fieret invidia, & oneraretur hominis pudor. Dein redit ad continuandam narrationem defenſionis, qua poſtremum erat in ſenatu uſus. Hinc apparet, quam longe ſit à vero devius Franc. Modius, quum explicat paucos tamen (fortean gratia collegæ, vel alia cauſa ſilentium tenentibus cæteris) acclamatione & aſſenſu ſuo dicentis orationem comprobaſſe, cum ſubito ille à purgatione ad deprecationem, utpote favorabiliorem, ideoque ſibi conducibiliorem converſus ſit, nuſquam quoquam, ut augentur editores, qui exeuntem illum nobis faciant, digrediens. Etenim ἐκβοήσεις iſtæ non erant faventium Nominato, ſed huic quidem infeſtorum & iratorum, collegæ autem Senatori gratificantium. Deinde nectit ἀσύσκλωστα. non enim quum clamaretur, ille ſubito à purgatione ad deprecationem ſe convertit: ſed illud convicium factum eſt primo ſenatu, quo Vicentinorum contradictio per Truſcillum audita eſt: interceſſit alius ſenatus, quum Truſcillus Vicentinos deſtituit, ſupra Ep. 4. hoc demum tertio ſenatu revocatus idem Truſcillus, poſtquam expoſuiſſet *ne ſibi fidem, &c.* tum *monitum ſe &c. alioqui majorem invidiam quam proximè paſſurus*; his, inquam, expoſitis *ſubjunxit preces multumque lacrimarum*. Atque hoc tertio ſenatu ſane hactenus nuſquam digreſſus narratur: ſed primo ſenatu, poſtquam pro Vincentinis contra virum prætorium dixiſſet, exeunti acclamatum & invidiam factam monſtrat Plinius. Videtur autem ſcripſiſſe, *paſſurum*. Gronov.

1 *Afranii Dextri.*] Cum Dextro habuiſſe amicitiam Mart. VII. teſtatur. Hic poſtea in Conſulatu ſuo, incertum ſua, an ſuorum manu, ſcelere an obſequio peremptus eſt. id quod Plin. lib. I. refert. & Spartianus Severum Imperatorem urbi præfeciſſe Domitium Dextrum, & Caſſio Dextro reſcripſiſſe divum Pium. Ulpian. ff. XL. *Summa* fuit. *Catan.*

2 *Ita tamen ut Vicentinis.*] Sic diſerte in vett. edd. illud *tamen* abeſt vulgatis, ut & Palatino, qui ne ſequens

Vicentinis, quod acceperat, redderet. Assenserunt omnes, [1] præter Flavium Aprum. Is interdicendum ei advocationibus in quinquennium censuit: & quamvis neminem auctoritate traxisset, constanter in sententia mansit: quinetiam Dextrum, qui primus diversum censuerat, [2] prolata lege de Senatu habendo, jurare coëgit è Rep. esse, quod censuisset: cui, quanquam legitimæ postulationi, à quibusdam reclamatum est. exprobrare enim censenti ambitionem videbatur. Sed priusquam sententiæ dicerentur, [3] Nigrinus, Tribunus plebis, recitavit libellum disertum & gravem, quo questus est [4] vænire advo-

quens quidem *ut* agnoscit: unde fit ut suspicer scriptum initio *liberandum: Vicentinis quod &c*, excluso adhuc illo *ita.* nisi forte fuit, *liberandum, dum Vicentinis quod &c.* idque verosimilius videtur. *Gruterus.*

1 *Præter Flavium Aprum.*] Flavios multos nominat Tacitus. Apri grammatici Antonini Philosophi mentio fit per Julium Capitolium: item Apri Trib. mil. per Spartianum, ut præteream, quos Mart. suo sale aspergit. Alii legunt, *præterquam Licinius* (Licinius Nepos prætor, à quo postulatus fuerat Thuscillus.) *Idem.* *Præter Flavium Aprum, is interd. &c.*] Sic quidem Aldina editio. Prior omnis *præter Licinium.* is interd. & Palatin. noster habet, *præter lacrimis interdicendum, &c.* Idem.

2 *Prolata lege de Senatu habendo.*] Cn. Pompejus Consulatum primo cum M. Crassio initurus, quoniam per militiæ tempora Senatus habendi consulendique rerum humanarum expers fuit, M. Varronem rogavit, ut commentarium introductorium faceret, ex quo disceret, quid facere diceréque deberet, cum Senatum consuleret: sed is liber adhuc vivente Varrone intercidit: unde multa ad eam rem pertinentia in literis ad Oppianum docuit. primum qui fuerint, per quos majorum Senatus haberi soleret, Dictatorem scilicet, Consules, Prætores, Tribunos pleb. Interregem, præfectum urbi. Igitur qui Senatum haberet, poterat jurejurando Senatores adigere quicquid censuissent è Rep. censuisse. Unde Licinius Prætor cum Senatum habuisset, jure coëgit Dextrum jurare quicquid censuerat è Rep. censuisse. *Prolata lege.*] Non nunc primum proposita, sed allegata, & in rem suam producta. *Catan.* *Prolata.*] Ita Aldina: melius, quam ut aliæ edd. *perlata.* Gruterus.

3 *Nigrinus.*] Hic inter Optimates postea tantum potuit apud Adrianum, ut sibimet successorem Imperator destinasset, nisi insidias cum multis sacrificanti parasset. Quare Faventiæ interficitur invito Adriano, ut ipse in vita sua dixit, quod videtur credibile. Nam Cejonium Commodum Nigrini generum Adrianus adoptavit, auctores hujus rei sunt Spartianus, & Dion. *Catan.*

4 *Vænire advocationes.*] Causas agi precio, & advocatos pecunia duci. Fabius laudat, qui sine mercede agebant. Cn. Titius legem tulit, qua cavebatur antiquitus, ne quis ob causam orandam, donum, pecuniamve acciperet: sed lex ista jam exoleverat, & in desuetudinem venerat: quanquam sæpius revocata. *Idem.*

1 *Status.*]

advocationes, vænire etiam prævaricationes: in lites coiri: & gloriæ loco poni ex spoliis civium magnos & [1] statos reditus. Recitavit capita legum, admonuit Senatusconsultorum: in fine dixit petendum ab optimo Principe, ut quia leges, quia Senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis mederetur. Pauci dies, & [2] liber Principis severus, & tamen moderatus. leges ipsum, est in [3] publicis actis. Quam me juvat, quod in causis agendis non modo pactione, [4] dono, munere, verum etiam [5] xeniis semper abstinui! Oportet quidem, quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare: Jucundum tamen si prohiberi publice videas, quod nunquam tibi ipse permiseris. Erit fortasse, immo non dubie, hujus propositi mei & minor laus, & obscurior fama, cum omnes ex necessitate facient, quod ego

1 *Statos.*] Certos, annuos. Hodie quoque nonnulli præstant salaria annua causidicis. *Catan.*

2 *Liber.*] Decretum contra vænales advocatos exivit. Hoc decretum vocat *severum & tamen moderatum*, id est, non usque quaque summum jus persequens, sed veterem illam legem interdum molliens. *Idem.*

3 *Publicis actis.*] Senatusconsulta coram patribus scribebantur, & ab iisdem subscribebantur, & cum Tribunus plebis sedens ad fores Senatus T. litteram subscripsisset, deferebantur ad ærarium, ubi in libris elephantinis ad id institutis scripta conservabantur. Acta igitur pro libris & tabulis continentibus publica civitatis acta, id est negotia, quæ & pro legibus plerumque intelliguntur, & acta Cæsaris Dictatoris non rescissa legimus apud Tranquill. *Idem.*

4 *Dono, munere.*] Donum ad brevissimum tempus, munus ad multos dies. Secundum Jurisconsultum munus tribus modis dicitur. Uno donum; & inde munera dici dari mittive. Altero onus, quod cum remittitur, vacationem militiæ munerisque præstat, unde immunitatem appellari. Tertio officium, unde munera militaria & quosdam milites munificos vocari. Paulus de verbor. signif. inter donum & munus distinguit ut inter genus & speciem. Nam genus esse donum Labeo ait: munus speciem. Ex verbis Taciti lib. XVII. colligi potest, quod donemus nostra, largiamur aliena. *Idem.*

5 *Xeniis.*] Amicorum donis, quæ mittebantur amicis, & ab amicis. Vitruvius lib. VI. Græci hospitibus postero die mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res agrestes: ideo pistores ea quæ mittebantur picturis imitantes xenia appellarunt, ξένος enim amicus & hospes. Suidas tantum interpretatur xenium donum ab amicis datum, ξένιον, inquit, δῶρον τὸ ξένοις διδόμενον. Apulejus secundo sui asini: Mittit mihi Byrrhena xeniola, porcum optimum, & quinque gallinulas, & vini cadum in ætate preciosi. *Idem.*

ego ſponte faciebam. Interim fruor voluptate, cum alii divinum me, alii meis rapinis, meæ avaritiæ [1] occurſum, [2] per ludum ac jocum dictitant. *Vale.*

XV. C. Plinius [3] Pontio Suo S.

Lætatur curam viæ Æmiliæ demandatam Cornuto Tertullo amiciſſimo & optimo viro, cum quo præfecturam ærarii, deinde Conſulatum geſſerat: nec minus exultat temporum fœlicitate, qua boni dignitates conſequantur: demum enarrat quibuſcum fuiſſet in municipio ſuo, cum intellexit hanc novam dignitatem Tertullo traditam.

SEceſſeram in municipium, cum mihi nunciatum eſt, Cornutum Tertullum accepiſſe [4] Æmiliæ viæ curam. Exprimere non poſſum, quanto ſim gaudio affectus, & ipſius & meo nomine. Ipſius, quod ſit licet, ſicut eſt, ab omni ambitione longe remotus, debet tamen ei jucundus eſſe honor ultro datus. Meo, quod aliquanto magis

gis

1 *Occurſum.*] Lege proviſum. *Cat.*

2 *Per ludum.*] *Acceptum* addunt, id eſt, joci cauſa, quod pro ludo accipitur: ſic enim mecum jocantur amici, cum norint me à rapinis abſtinentiſſimum, & integrum. ad idem tendit ſi legas *per ludum ac jocum dictitant.* Idem. *Per ludum ac jocum.*] Pal. & edd. vett. *per ludum acceptum dictitant*, ut videtur illud *acceptum*, eſſe ex gloſſa, ut & alterum *ac locum*, niſi forte etiam inde manaverit *per ludum.* Gruterus.

3 *Pontio.*] Ad Pontium alibi ſcribit Secundus, & fatetur ejus nomine munera accepiſſe. Scevino Pontio nobili adoleſcentulo ab Othone redditum locum ſenatorium teſtatur Cornelius Tacitus Pontio Proconſuli reſcripſit divus Pius, auctor Ulpian. ff. XLVIII. titulo de accuſationibus: & ff. XXXIII. legitur Imperatorem Severum reſcripſiſſe Pontio Luciano. *Catan.*

4 *Æmiliæ viæ.*] Æmilius Scaurus, qui ſubegit Ligures, viam à Placentia, ut Flamminiæ committeret, Ariminum perduxit, deductis ex Pado uſque in Parmenſium agrum foſſis, navigationibus commodis. Paludes ipſas exſiccavit è campis per Placentiam, ſiquidem Trebia Padum influens, aliique item complures ante fluvii ultra modum ſtagnabant. Hæc Livius & Strabo, apud quem inſuper lib. V. plura. *Idem.* *Æmiliæ viæ curam.*] Curatores viarum primum Auguſtus dedit: qui hoc & alia nova officia invenit, quo plures partem adminiſtrandæ Reip. caperent, Suetonius lib. II. cap. XXXVII. Plura de hoc officii genere Lipſius ad III. Annalium Taciti: quanta ejus dignitas fuerit, ex eo poteſt intelligi, quod viris Conſularibus ſoleret dari: ut Cornuto Tertullo, quem Coſ. ante fuiſſe, ipſe Plinius hac Epiſtolâ infra teſtatur. Nec mirum: nam & cenſura ante, cujus pars olim

viarum

gis me delectat, [1] mandatum mihi officium, postquam par Cornuto datum video. Neque enim augeri dignitate, quam æquari bonis gratius. Cornuto autem quid melius? quid sanctius? quid in omni genere laudis [2] ad exemplar antiquitatis expressius? quod mihi cognitum est non fama, qua alioqui optima & meritissima fruitur, sed longis magnisque experimentis. Una diligimus, una dileximus [3] omnes fere, quos ætas nostra in utroque sexu æmulandos tulit: quæ societas amicitiarum arctissima nos familiaritate conjunxit. Accessit vinculum [4] necessitudi-

viarum cura, non nisi post Consulatum contingebat. *Buchner.*

1 *Mandatum mihi officium.*] Cura viæ Æmiliæ ab Imperatore mihi commissa. *Par.*] Id est, eadem cura. *Cat.* *Officium, postquam par Cornuto datum.*] Catanæus τὸ *par*, idem interpretatur, & Plinium ipsum Æmiliæ quoque viæ curatorem fuisse putat. Quod & in vita de eo tradit. Atqui *par*, idem non est: τὸ αὐτὸ; sed ἴσον, ὅμοιον: simile & æquiparandum. Deinde nec Plinius ipse de se, nec ulli de ipso alii hæc prodiderunt. Exstant nonnullæ Inscriptiones veteres honori Plinii datæ, in quibus plures Pliniani officii partes recensentur, sed de Æmiliæ viæ curâ altum silentium est. Itaque hîc eruditissimus Vir humani aliquid passus est. Sed quo officio Plinius tum fungebatur, quod curæ Æmiliæ par erat, si non administratione, honore tamen & dignitate? CURA ALVEI TIBERIS AC RIPARUM, quam tres lapides ipsi diserte tribuunt, quarum Ἐπιγραφὰς apud Gruterum, & hîc in limine libri legere licet. Parem honore & dignitate VIARUM, & ALVEI TIBERIS fuisse CURAM, ex eo fit verisimile, quod utraque inter partes censuræ veteris fuit. Cicero lib. III. de Legibus ex XII. Tabb. *Censores urbis, templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor.* Nam *urbis aquarum* nomine & Tiberis intelliguntur. Quare & Augustus cum sublata censura veteri magistratus ejus partes singulis distribuisset singulas, novaque officia instituisset, cum *curatoribus viarum, aquarum* quoque *& alvei Tiberis* constituit auctore Tranquillo citato loco. *Aquarum officium* Julius Frontinus vocat: ac semper per Principes viros Romanæ civitatis administratum Præfatione lib. I. de aquæ ductibus scribit. Itaque dignitate par viarum curæ; cui vel Consulares, ut modo notabamus, præponebantur: *Buchner.*

2 *Ad exemplar antiquitatis.*] Ut in omnibus antiquos sequatur virtute præstantes & repræsentet. Festus, inquit, Exemplum est quod sequamur, aut vitemus, exemplar à quo simile faciamus, illud animo æstimatur, istud oculis conspicitur. Lib. VI. de Romano Secundus comœdiam dixit ad exemplum veteris comœdiæ scriptam, ut esse quandoque possit exemplar. *Catan.*

3 *Omnes.*] Inter quos Senecionem, Rusticum, Helvidium, Mauricum, Gratillam, Arriam, Fanniam, supra lib. IV. ad Genitorem enumerat in eandem sententiam. De se, & Tertullo loquitur in panegyrica oratione, *Iisdem*, inquit, *amicis gloriabamur, eosdem amissos lugebamus.* Idem.

4 *Necessitudinis publicæ.*] Conjunctionis in gerendis simul publicis honoribus. *Idem.*

 1 *Vita.*]

ſitudinis publicæ. Idem enim mihi, (ut ſcis) collega quaſi voto petitus in præfectura ærarii fuit: fuit & in Conſulatu. Tum ego qui vir, & quantus eſſet, altiſſime inſpexi, cum ſequerer ut magiſtrum, ut parentem vererer: quod non tam ætatis maturitate, quam [1] vitæ merebatur. His ex cauſis, ut illi, ſic mihi gratulor, nec privatim magis quam publice, quod tandem homines [2] non ad pericula, ut prius, verum ad honores virtute perveniunt. In infinitum epiſtolam extendam, ſi gaudio meo indulgeam. Prævertor ad ea, quæ me agentem hic nuncius deprehendit. Eram cum proſocero meo, eram cum amita uxoris, eram cum amicis diu deſideratis, circumibam agellos, audiebam multum ruſticarum querelarum: rationes legebam [3] invitus & curſim (aliis enim chartis, aliis ſum literis [4] initiatus) cœperam etiam itineri me præparare: nam includor anguſtiis commeatus, eoque ipſo, quod delegatum Cornuto audio officium, mei admoneor. Cupio te quoque ſub idem tempus Campania tua remittat, ne quis, cum in urbem rediero, contubernio noſtro dies pereat. *Vale.*

XVI.

1 *Vita.*] Morum integritate & perfectione. Maturitas ſi ad ætatem refertur, pro longo vitæ ſpatio ſumi debet; ſi ad mores, pro ſanctitate, & perfectione. *Catan.*

2 *Non ad pericula, ut prius.*] Sub Nerone, Domitiano: ſub quibus periculoſum erat, virtutibus inclareſcere, & ita ad magiſtratus honoreſque aſpirare. Itaque ſecedere, latere, inertia ipſa denique atque ſegnities, ſapientia habebatur. De quo non uno loco Tacitus. Lege Noſtrum Paneg. cap. XLIV. XLV. & XC. extremo. *Buchnerus.*

3 *Invitus & curſim.*] Senſus eſt, coactus tanquam & propere legebam rationes (calculos expenſarum & redituum) rerum ruſticarum: nam cum ſint inepte ſcriptæ, & (ut ita dicam) vernaculis literis confectæ, eas faſtidiebat Secundus, qui elegantioribus oratorum literis aſſuetus erat. *Nam,* inquit, *inſtitutus ſum floridis ſcriptis, non peſſimis & laniariis,* quibus utuntur calculatores, & qui rationes conficiunt. *Catan.*

4 *Initiatus.*] Inſtitutus. Pariter per translationem Fabius dixit, Neque enim ſanctius eſſe ſacris iiſdem, quam ſtudiis *initiari.* quod eſt introduci in aliquam rem. proprie tamen de ſacris dicitur. Varro præcipit *initiari* pueros Eduliæ & Potulicæ & Cubæ, Deabus edendi, & potandi, & cubandi. Præterea legimus in inſula Samothracum certo tempore pueros *initiari.* Quomodo autem quis ſacris initiaretur, Apulejus XI. pluribus perſequitur. *Idem.*

1 *Anilis*

XVI. C. PLINIUS MARCELLINO SUO S.

E duabus, quas habebat Fundanus filias, minor obierat: puella supra ætatem omni virtute prædita. Quare monet amicum Marcellinum, ut si quas ad Fundanum literas consolatorias scribit, potius mitiget eum, quam castiget, cum impatienter novum vulnus ferat.

TRistissimus hæc tibi scribo. Fundani nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil unquam festivius, amabilius, nec modo longiore vita, sed prope immortalitate dignius vidi. Nondum annos quatuordecim impleverat, & jam illi [1] anilis prudentia, matronalis gravitas erat: & tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia. Ut illa patris cervicibus inhærebat! ut nos amicos paternos & amanter & modeste complectebatur! ut nutrices & pædagogos, ut præceptores, [2] pro suo quemque officio diligebat! quam studiose, quam intelligenter lectitabat! ut parce custoditeque ludebat! qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia novissimam valetudinem tulit! medicis obsequebatur, sororem, patrem adhortabatur, ipsamque se destitutam corporis sui viribus, vigore animi sustinebat: duravit hic illi usque ad extremum, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est, quo plures gravioresque nobis causas relinqueret, & desiderii & doloris. O triste plane, acerbumque funus! ô morte ipsa mortis tempus indignius! Jam [3] destinata erat egregio juveni, jam electus

1 *Anilis prudentia.*] Qualis solet contingere interdum grandævis matronis. Nam in juvene non dicitur inveniri, cum sit rerum bonarum, & malarum scientia, quarum videtur juniorem ætatem non posse temporis angustia experientiam & cognitionem habuisse. *Catan.*

2 *Pro suo officio.*] Ut pertinebat ad officium uniuscujusque: magis enim diligendi sunt literarum præceptores, quam cantus & lyræ. *Idem.*

3 *Destinata.*] Id est, designata in matrimonium. *Destinare* enim valde ambiguum: sic *destinare scopum* est designare, quem petas. Livius: *Non capita*

electus nuptiarum dies, jam nos [1] vocati. Quod gaudium, quo mœrore mutatum est? Non possum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim, cum audivi, Fundanum ipsum (ut multa luctuosa dolor invenit) præcipientem, quod in vestes, [2] margaritas, gemmas fuerat erogaturus, hoc in thura & [3] unguenta, & odores impenderetur. Est quidem ille eruditus & sapiens, ut qui se ab ineunte ætate altioribus studiis artibusque dediderit: sed nunc omnia, quæ audiit, quærit: sæpe quæ [4] dixit, aspernatur, expulsisque virtutibus aliis, [5] pietatis est totus. Et talis est pietas, cui ignoscas: laudabis etiam, si cogitaveris quid amiserit. Amisit enim filiam quæ non minus mores ejus, quam os vultumque referebat, totumque patrem mira similitudine exscripserat. Proinde si quas ad eundem de dolore tam justo literas mittes, memento adhibere solatium, non quasi [6] castigatorium & nimis forte, sed molle & humanum. Quod ut facilius

pita solum hostium vulnerabant, sed quem locum destinassent oris. Est &, quod petis attingere, & prendere. Cæsar lib. VII. bell. Gal. *Nam laqueis falces avertebant, quas cum destinaverant, tormenta retrorsus reducebant.* Hinc *destinatum* sæpe scopum vocant, ut Seneca: *Quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo ratio omnis totius orationis conspiratur.*

1 *Vocati.*] Invitati ad nuptias. Aliter *advocati*, eodem sensu. *Catanæus.*

2 *Margaritas.*] Uniones. Dicitur margarita, margaritum, & margaris pro majori parte. Invenitur in mari Indico & Rubri littoribus auctore Curtio. Culmen omnium rerum precii margaritæ tenent Plinio prodente, qui libro nono, cap. XXXV. plura super his scripsit. *Idem.*

3 *Unguenta & odores.*] Quibus mortui respergebantur. Quem usum Ausonius indicat:

Sparge mero cineres & odoro perlue nardo
Hospes, & adde rosis balsama puniceis.

Ac deinceps. *Idem.*

4 *Dixit.*] Monuerat observanda. Nam quamvis recordetur, constantiam in adversis servandam, patientiam retinendam: tamen dolore superatur, & affectui indulget repulsis aliis virtutibus, & sola pietate servata. *Idem.*

5 *Pietatis est totus. & talis est pietas, cui ignoscas: laudabis.*] Sic membranæ Neustetteri, neque nimium abibant Pal. aut edd. antiquatæ. Recentioribus enim tantum erat: *pietatis est totus. Ignosces, laudabis &c.* Gruter.

6 *Castigatorium.*] Non quod sit ejus generis, ut qui castiget, & reprehendat tanquam nimium dolori indulgentem, sed quod demulceat & leniat. Si legatur *castigatorum* ad idem tendit. *Catan.*

1 *Medii.*]

cilius admittat, multum faciet [1] medii temporis ſpatium. Ut enim [2] crudum adhuc vulnus, medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: ſic recens animi dolor conſolationes rejicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis acquieſcit. *Vale.*

XVII. C. PLINIUS SPURINNÆ SUO S.

Calphurnii Piſonis opus de amoribus in auditorio frequenti recitatum, non vulgari laude commendat apud Spurinnam, utraque lingua eruditum; deinde fratris Calphurnii pietatem probat, optatque tempora ſua illuſtrari ingeniorum claritudine.

SCio quantopere bonis artibus faveas, quantum gaudium capias, ſi nobiles juvenes dignum aliquid majoribus ſuis faciant: quo [3] feſtinantius nuncio tibi fuiſſe me hodie in [4] auditorio Calphurnii Piſonis. Recitabat [5] ἐρωτοπαίγνιον, eruditam ſane luculentamque materiam ſcri-

1 *Medii temporis ſpatium.*] Longum intervallum à morte filiæ. Nullus enim dolor ſecundum Sulpitium eſt, qui longitudine temporis non minuatur & molliatur. *Catan.* Notum quoque eſt hanc in rem illud Terentii: *Dies adimit ægritudinem hominibus.*

2 *Crudum.*] Recens vulnus: tranſlative refertur ad dolorem, ut apud Papinium in Sylvis:

-- *Abruptis etiam nunc flebile venis*
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ. Catan.

Ut enim crudum adhuc vulnus.] Infra Epiſt. v. lib. VIII. *Ero ſuſpenſus pro homine amiciſſimo, dum admittere avocamenta, & cicatricem pati poßit; quam nihil æque ac neceßitas ipſa, & dies longa & ſatietas doloris inducit.* Buchner.

3 *Feſtinantius.*] Cupide, & per id miſſo tabellario propere: neque dilatare in craſtinum. *Catan.*

4 *Auditorio Calphurnii Piſonis.*] In eo loco, quo auditores convenerant, ut audirent Calphurnium Piſonem. *Idem.*

5 *Ἐρωτοπαίγνιον.*] Ad hæc legitur, *περὶ νόμων*, id eſt de legibus, quod facit cum Ariſtotele, qui refert *ποιημάτων νόμον* inter genera poëticæ, ac cum Julio Polluce, ubi de poëmatibus libro tertio mentionem facit, *νόμον* & *παρονόμια* inter poëmata recenſens. & Tranquillus ſcribit Neronem non deſtitiſſe cantare etiam concuſſo motu terræ theatro, quam inchoatum abſolveret nomum. *νόμον* Suid. melodiæ modum citharœdicum interpretatur complexum harmoniam ordinatam & rhythmum definitum. & Terpandrum *νόμους* inveniſſe Plutarchus in libro muſicæ refert. ubi etiam plura leges [*περὶ νόμων.*] Legitur etiam appoſite, *ἐρωτοπαίγνιον*, opus ſcilicet de

[1] scripta elegis erat fluentibus, & teneris, & [2] enodibus, sublimibus etiam verbis, ut poscit locus. Alte enim & varie nunc attollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, severis jucunda mutabat: omnia ingenio pari. Commendabat hæc voce suavissima, [3] vocem verecundia, [4] multum sanguinis, multum solicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis. Etenim nescio, quo pacto magis in studiis homines [5] timor, quam fiducia decet. Ne plura, (quanquam libet plura, quo sunt pulchriora de juvene, [6] rariora de nobili) recitatione finita, mul-

de ludo amoris. ἔρως enim *amor*, & παίγνιον *ludus*: an potius amoris festum? Nam ἡ παιγνία Suida interprete festum significat: & Aratum scripsisse τὰ παίγνια retulit. Idem Athenæus tradit eadem Mnaseam composuisse, apud quem Nymphodorus Lesbiam Salpen fuisse dicit, quæ παίγνια monumentis mandavit, sed Alcimus testatur Botryn cognomento Salpen inventricem τῶν παιγνίων. Idem Athenæus Gnesippum παίγνια γράφειν memorat. Ausonius prodidit Lælium antiquissimum poëtam conscripsisse erotopægnia. *Idem.* *Recitabat* ἐρωτοπαίγνιον, &c.] Pal. *Recitabat tacta pigmon*, vett. edd. *tacte pigmon*, ex quo natum Aldi κατασπεισομένων. *Grut.* Ἐρωτοπαίγνιον.] Ludicrum de amore poëma, vel joculare de rebus amatoriis poëma seu carmen. Catan. vertit: Opus de ludo amoris. Lectio autem margini ascripta manifeste est mendosa: & mutato accentu scribendum esset κατασπεισομῶν, si ullum habere locum posset. *Steph.*

1 *Scripta elegis.*] Constabat versu elego, qui paulatim à rebus lugubribus transit ad amores. *Catan.*

2 *Enodibus.*] Mollibus, dulcibus. nodosa enim sunt aspera, enodia vero lenia & levigata. *Idem.*

3 *Vocem verecundia.*] Sc. commendabat. Legitur & *Voce verecunda*. Id. *Vocem verecundia.*] Verecundum os dicebatur veteribus, quibus rubebat, vid. lib. I. Ep. 14. Quibus vero os rubebat, pro modestis ac ingenuis habebantur, & *oris probi* dicebantur. Sic Sallustius de Pompejo dixit, illum oris probi fuisse, & inverecundi animi. Vide prolixe *Cl. Salmas. in Ælium Spartianum p. 148. edit. Paris.*

4 *Multum sanguinis, multum solicitudinis in ore.*] Quam paulo ante *verecundiam* dixerat, hîc ex signo ostendit. Ex multo sanguine oris rubor est, rubor autem pudoris ac verecundiæ index. Qui & *verecundus color* Horatio dictus in illo:

Fugit juventus & verecundus color.

Noster supra lib. I. Epist. XIV. *Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa. Verecundiam oris* Suetonius Domitiano dixit. *Buchner.*

5 *Timor.*] Ut timeant, ne sua scripta improbentur, tanquam non satis absoluta. *Catan.*

6 *Rariora de nobili.*] Raro similia nostris temporibus contingunt nobilibus, qui se pro majore parte voluptatibus dedunt. An honestius est scripta Pisonis extollere, quam nostra? Legitur etiam in quibusdam exemplaribus pro, *rariora de nobili*, *denique*, ut cum sequentibus sic conjungatur, *denique recitatione finita*, quæ quidem lectio clarior est. *Idem.*

1 Maje-

multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi, *pergeret, qua cœpisset, lumenque quod sibi* [1] *majores sui prætulissent,* [2] *posteris ipsis præferret.* Gratulatus sum optimæ matri, gratulatus & fratri, qui ex auditorio illo non minorem pietatis gloriam, quam [3] ille alter eloquentiæ tulit. tam notabiliter pro fratre recitante primum metus ejus, mox gaudium eminuit. Dii faciant, ut talia tibi sæpius nunciem. Faveo enim seculo, ne sit sterile & effœtum: mireque cupio, ne nobiles nostri nihil in domibus suis pulchrum, nisi imagines habeant: quæ nunc mihi hos adolescentes tacite laudare, adhortari, & quod amborum gloriæ satis magnum est, agnoscere videntur. *Vale.*

XVIII. C. PLINIUS [4] MACRO SUO S.

Macro congratulatur quod in secessu Tarentino multis fruatur commoditatibus, se vero in Thuscis scribit vel venari, vel studere.

BEne est mihi, quia tibi bene est. Habes uxorem tecum, habes filium. Frueris mari, fontibus, [5] viridibus, agro, villa amœnissima. neque enim dubito esse amœnissimam, in qua se composuerat homo, [6] felicior ante,

1 *Majores sui prætulissent.*] Fuit Calphurnia domus virorum gestis mirum in modum celebris. Nam C. Piso Calphurnio genere ortus, ac multas insignesque familia paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutis similes: namque facundiam tuendis civibus exercebat. Hæc Tacitus lib. xv. Fuit & Calphurnius Piso victis in Sicilia fugitivis præclarus, ut super Calphurniæ domus splendore omittamus Livium, Plutarchum ac alios. *Cat.*

2 *Posteris ipsis præferret.*] Scribe, *ipse.* Casaubonus. *Posteris præferret.*] In aliis: *posteris ipsis præferret.* Rectum puto; *posteris ipse præferret.* Nam ita omnia membra orationis sibi invicem respondent. Quin & Casaubonus ipse ita rescribendum putabat. *Buchner.*

3 *Ille alter.*] Calphurnius Piso. Vulgaris locutio *ille alter*, qua Secundus alibi est usus, *illam alteram* dicens, quod expostulat stilus epistolaris. *Cat.*

4 *Macro.*] In uno vetustissimo exemplari non *Macro*, sed *Spurrinæ* fuit epistola scripta, ut cum uxore sua Coccia & filio Coccio. *Idem.*

5 *Viridibus.*] Alii *ruribus*, *vitibus* alii, alii *amnibus*, forte *fontibus viridibus*, melius. *Boxhorn.*

6 *Felicior.*] Nerva, quem cum Orphitus & Rufus ad imperium vocari dicerent,

ante, quam feliciſſimus fieret. Ego in Thuſcis & venor & ſtudeo: quæ interdum alternis, & interdum [1] ſimul facio: nec tamen adhuc poſſum pronunciare, utrum ſit difficilius, capere aliquid, an ſcribere. *Vale.*

XIX. C. PLINIUS PAULINO SUO S.

Petit ut Paulinus villam ſuam commodet liberto Zoſimo, donec curatus ſit à tuſſi, quam recitando contraxerat, & inde ſanguinem evomuerat.

VIdeo quam molliter tuos habeas, quo ſimplicius tibi confitebor, qua indulgentia meos tractem. Eſt mihi ſemper in animo & Homericum illud, [2] πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, & hoc noſtrum, *paterfamilias*. Quod ſi eſſem natura aſperior & durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei [3] Zoſimi: cui tanto major humanitas exhibenda

dicerent, eos Domitianus paratarum contra ſe inſidiarum inſimulans, in inſulam deportavit, Nervam quoque Tarentum ſecedere juſſit, ubi tanquam vitam tranſacturus ocium ſuum diſpoſuerat, quanquam Apollonius ei prædixiſſet omnino imperaturum. Comparativum hic majus ſignificatum habet ſuperlativo. Vult enim oſtendere vitam Nervæ privati fuiſſe beatiorem, quam poſtquam princeps eſt creatus. *Catan.*

1 *Simul.*] Eodem tempore ad Tacitum ſcripſit ſe cepiſſe tres apros, & inter venandum plura ſcripſiſſe. *Idem.* Vide Epiſt. VI. libri I.

2 Ἑκυρὸς δὲ &c.] *Socer autem pater, quam mitis erat.* ſumptum ex ultimo Iliad. ubi Helena conqueritur, Priami filios ſibi aliquando infenſos extitiſſe: ſocerum vero Priamum ſemper ſe mitem præſtitiſſe, memorat. magis tamen placet, ut legas: πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, pater autem ut mitis erat, ſumptum ex II. Odyſſeæ ut repetitum libro quinto. *Catanæus.* Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος, &c.] Ut pater erat mitis, vel: Mitis erat, ut pater. Hemiſtichium iſtud in aliquot Homeri locis exſtat: ſed invenitur in quodam exemplari ἑκυρὸς δὲ πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν, quæ ſunt ex Il. ω. ſed legitur ibi αἰεὶ non ἦεν. *Stephanus.*

3 *Zoſimi.*] Erat hic recitator bonus & literatus, cithara callens, & domino ſuo multa præſtans officia. Ejus memoria adhuc Comi extat in templo divi Andreæ tribus verbis notata: ZOSIMVS CONJVGI INCOMPARABILI. Pariter Veronæ legimus, Zoſimum Viriatium extantem in curru triumphali Zoſimum Alexandrinum & philoſophum, & alium Gazæum ſive Aſcalonitam declamatorem recitat Suidas. Ad Zoſimum primatem ſcripſit in epiſtolis Æneas Rhetor. *Catan.*

1 *Quanto*

benda est, [1] quanto nunc illa magis eget. Est homo probus, [2] officiosus, literatus, & ars quidem ejus, & quasi [3] inscriptio, comœdus, [4] in qua plurimum facit. Nam pronunciat acriter, sapienter, apte, decenter etiam, utitur & [5] cithara perite, ultra [6] quam comœdo necesse est. Idem tam commode orationes, & historias, & carmina legit, ut hoc solum didicisse videatur. Hæc tibi sedulo exposui, quo magis scires, quam multa unus mihi, & quam jucunda ministeria præstaret. Accedit huc longa jam charitas hominis, quam ipsa pericula auxerunt. Est enim à natura comparatum, ut nihil æque amorem incitet & accendat, quam carendi metus, quem ego pro hoc non semel patior. Nam ante aliquot annos, dum intente instanterque pronunciat, sanguinem rejecit, atque ob hoc [7] in Ægyptum missus, à me post longam peregrinationem

1 *Quanto illa magis eget, est homo probus.*] In secunda lectione fuit, *quanto nunc major venit debilitas, jam angitur homo probus.* Fuit tertia scriptura, non absurda, *quanto nunc utilior* (humanitas) *ægrotanti.* Cat. *Quanto nunc &c.*] Palat. *quanto utilior humanitas jam agi se: & homo &c.* Mediolanensis editio: *quanto nunc utilior humanitas ægrotanti:* Nulla melior est vulgata. *Gruter.*

2 *Officiosus.*] Qui se immiscet officiis juvandi gratia: & non officiosus, id est quietus & domi residens. Interdum pro eo quod nocet intelligimus officiosum ab officiendo. Mart.

Omnes prosequeris Prætorum Cotta libellos;
Accipis & ceras, officiosus homo es.

Catan.

3 *Inscriptio.*] Nam vænales servi scriptis monstrabantur, in qua præstarent arte. *Idem. Inscripto.*] Titulus: cujusmodi in mercibus & aliis rebus, quarum notitia ex inscriptione capienda sit, fieri amat. *Buchner.*

4 *In qua multum facit.*] Id est, multum potest: plurimum valet. Vide Glossas. *Idem.*

5 *Cithara.*] Dicta παρὰ τὸ κινεῖσθαι quod facile moveatur, aut, quod auditores in amorem moveat. Servius testudinem dictam credit. Est autem vocabulum græcum, & pro lyra à Suida interpretatur. Vid. & Apulejus in secundo Floridorum. *Catan.*

6 *Quam comœdo necesse est.*] Nam inter actus comœdiarum concinebatur, quod Horatius in arte præcipit, ut opportune fiat:

Tibia non ut nunc oricalcho juncta, tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis. —

Diomedes, Pantomimi & Choraules, in comœdia canebant inter actores comœdiarum pro facultate: & arte potiores principatum sibi artificii vendicabant. Insuper legimus Flaccum modulasse tibiis Terentianas comœdias. *Idem.*

7 *In Ægyptum.*] Ubi Zosimus natus erat: ideo remittebatur in patriam, & ad

tionem confirmatus rediit nuper. Deinde dum per continuos dies, [1] nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus, rursus sanguinem reddidit. Qua ex causa destinavi eum mittere in prædia tua, quæ [2] Forojulii possides. audivi enim te sæpe referentem esse ibi, & aërem salubrem, & [3] lac hujusmodi curationibus accommodatissimum. Rogo ergo scribas tuis, ut illi villa, ut domus pateat: offerant etiam sumptibus ejus, si quid opus erit: erit autem opus modico. est enim tam parcus & continens, ut non solum delitias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat; [4] ego proficiscenti

& ad suos, cum valetudinarii curentur mutatione aëris, præsertim si transferantur in consuetudinem prioris victus, & cœli. Sic enim restituuntur veluti nutrici ac parenti. Alioquin Ægyptius aër purior & minus pestilens: inde multitudine hominum fere cæteras orbis partes superavit. auctores sunt Diodorus & Josephus. *Catan.*

In Ægyptum missus à me.] Nam inter curationes phthiseos & navigatio ponebatur: probabaturque maxime, quæ in Ægyptum institueretur. Corn. Celsus lib. III. cap. XXII, quo de tabe præcipit: *Si mali*, inquit, *plus est, & vera φθίσις est, inter initia protinus oc currere necessarium est, neque enim facile is morbus cum inveteraverit, evincitur. Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, cœli mutatione sic, ut densius, quam id est, ex quo discedit æger, petatur. Ideoque aptißime Alexandream ex Italiâ itur. Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe gestari commodißimum est. Si navigationem aliqua res prohibet, lectica vel alio modo corpus dimovendum est.* Buchner.

1 *Nimis imperat voci.*] Ultra modum exercet, plus ab eâ exigit (hoc cuim nimis *imperare* est) quam ferre per valetudinem queat. Columella lib. III. cap. III. *Fructum vero plerique quam uberrimum præsentem consectantur, nec provident futuro tempori, sed quasi plane in diem vivant, sic imperant vitibus, & eas multis palmitibus onerant, ut posteritati non consulant.* Fundus hujus elegantiæ Virgilius, cujus illud Georgicorum I. est:

Exercetque frequens tellurem at imperat arvis. Idem.

2 *Forojulii.*] Forojulienses cognomine Concubienses locat Plinius in sexta Italiæ regione, quæ Umbriam, & agrum Gallicum circa Ariminum complectitur: de quibus nunc loquitur Secundus. Scio tamen Strabonem navale Cæsaris Augusti, quod Forumjulii vocant, posuisse inter Olbiam & Antipolim, ut distet à Massilia stad. sex millibus, & Ptolemæum Forumjulii in Histria. Sed diversa oppida eodem nomine appellata, quis nescit? nam & Plin. Forumjulii in Hispania refert. *Catan.*

3 *Lac.*] Lacte tussi per hyemem locis maritimis, per æstatem locis mediterraneis opus est. Tussientem minime oportet lectione uti vehementi: utilis in omni tussi peregrinatio est, cibus ut lac in allio coctum; magis terreri potest aliquis cum sanguinem exspuit, sed id modo minus, modo plus periculi habet. *Idem.*

4 *Ego.*] Sensus est; dabo ei tantum nummorum, quantum opus erit in via;

ſcenti tantum viatici dabo, quantum ſufficit eunti in tua. *Vale.*

XX. C. PLINIUS URSO SUO S.

Accuſaverant Bithyni Julium Baſſum repetundarum, qui in ea provincia Proconſulatum geſſerat: contra quem à Senatu impetraverant advocatum Rufum Varenum: is poſtea ſortitus eandem provinciam, repetundarum pariter reus fit. Pro Vareno egit Secundus, cui contradixit Fontejus, Græcus homo. Conceſſa eſt Bithynis inquiſitio, & Vareno poſtulatio.

ITerum Bithyni poſt breve tempus à [1] Julio Baſſo & Rufum Varenum Proconſulem detulerunt: Varenum, quem nuper adverſus Baſſum advocatum, & poſtularant, & acceperant. inducti in Senatum, [2] inquiſitionem poſtulaverunt; tum Varenus petit, ut ſibi quoque defenſionis cauſa [3] evocare teſtes liceret. recuſantibus Bithynis, cognitio ſuſcepta eſt. Egi ego pro Vareno non ſine eventu. nam bene an male, liber indicabit. In actionibus enim utramque in partem fortuna dominatur: multum com-

via: nam domi tuæ nihil opus erit, ergo nihil ulterius addam. *Catan.* *Ego proficiſcenti tantum viatici dabo, &c.*] Sic Palat. ſic edd. vett. neque abit Aldina, quam quod adjecerit ſyllabam *&*, recentiores alia adhuc admiſcuerunt; nimirum *quantum ſufficit, & moderato & eunti in tua.* Gruterus.

1 *A Julio Baſſo.*] Lib. IX. legimus Julium Baſſum reum fuiſſe repetundarum ſub Trajano, quod provinciam Bithyniam expilaſſet, ſed illic ſcriptum *Pomponium Rufum* adverſus Baſſum egiſſe, nunc vero *Rufum Varenum*, niſi malimus intelligere appellatum *Pomponium Rufum Varenum.* *A Julio Baſſo.*] Poſt accuſationem Julii Baſſi. *Catanæus.*

2 *Inquiſitionem.*] Inquiſitio eſt alicujus criminis manifeſti ſaltem per famam ex bono & æquo judicis competentis facta inveſtigatio. Nam cum in jus ventum erat, dicebat accuſator reo, quod injuriam provincialibus feceràt: ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur ut victo: ſi negaſſet, petebat accuſator à magiſtratu dies inquirendorum criminum. *Idem.*

3 *Evocare teſtes.*] E provincia teſtes in rem ſuam vocare: & expectandum donec in urbem venirent. In rem noſtram faciunt Taciti verba ex libro XIII. *Pomponium*, inquit, *Sylvanum magna vis accuſatorum circumſteterat, poſcebatque tempus evocandorum teſtium ex Africa provincia, ubi proconſulare imperium habuerat. Sed reus illico defendi poſtulabat, valuitque pecunioſa orbitate & ſenecta. ſed ſicuti favore & gratia quorundam Sylvanus obtinuerat ſtatim pronunciari, ita jure Varenus impetravit, ut poſſet evocare teſtes.* Idem.

1 *Amor.*]

commendationis & detrahit & adfert memoria, vox, gestus, tempus ipsum: postremo vel [1] amor, vel odium rei. [2] liber offensis, liber gratia, liber & secundis casibus & adversis caret. Respondit mihi [3] Fontejus Magius, unus ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus. [4] Mos est plerisque Græcorum, ut illis sit pro copia volubilitas: tam longas, tamque rigidas [5] periodos uno spiritu quasi torrente [6] contorquent. Ita [7] Julius Candidus non invenuste solet dicere, [8] *aliud esse eloquentiam, aliud loquen-*

1 *Amor.*] Causa quæ agitur, an grata judicibus. Quare non absurde Cæsar apud Sallustium suam orationem sic orditur, *Omnes homines, Patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, atque ira, atque misericordia vacuos esse decet.* Catan.

2 *Liber.*] Oratio mea, quæ nullis affectibus tangitur, nulla etiam fortuna movetur, sive bona, sive mala. *Idem.*

3 *Fontejus Magius.*] Advocatus Græcus à Bithynis in Senatum ductus: cujus fit mentio ab eodem lib. VII. *Id.*

4 *Mos est plerisque Græcorum, &c.*] Asiaticorum: nam Attici pressi & graves, isti inanes ac redundantes. Cicero in Bruto de Claris Oratoribus: *Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre ac incitatum; quale est nunc Asia tota.* Meminit & alibi Petronius: *Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit.* Etiam D. Augustus Asiaticis *inanes sententias & volubilitatem* verborum tribuit, cum M. Antonii dictionem perstringeret, ut Suetonius lib. II. cap. LXXXVI. refert. *Buchner.*

5 *Periodos.*] In lectione. Plena sententia periodus dicitur, cujus partes sunt, commata, & cola. Fit autem in extrema clausula. nec longior esse debet, quam ut uno spiritu proferatur: modum ejus Cicero quatuor senariis pedibus terminavit. Unde libro octavo Secundus data opera longiorem periodum fecit, ut ostenderet se Tacito inferiorem. Nonnulli duo illius genera esse dicunt, unum simplex, cum sensus unius longiore ambitu circumducitur: alterum quod constat ex membris, sive incisis, quod plures sensus habet, ut, *Aderat janitor carceris, carnifex prætoris.* Catan.

6 *Contorquent.*] Jaculantur tanquam telum aliquod in adversarium. Sic Juvenalis de enthymemate,

— Et curtum sermone rotato
Torqueat enthymema. —

Idem.

7 *Julius Candidus.*] Julius Vespronius Candidus, qui Consulatum cum Quadrato gessit quo tempore Adrianus Tribunatum plebis. Hic postea missus est Julius à Senatu legatus ad Septimium Severum, qui in Syria cum exercitibus, quibus præerat, à Juliano desciverat. Erat autem Candidus, vetus Consularis olim militibus invisus ob durum, & sordidum Imperium. Candidi uxorem tanquam adulteram poëta Martialis epigrammate momordit. Julio Candido rescripsisse divum Pium memorat Ulpianus ff. XLVIII. titulo de accusationibus. *Idem.*

8 *Aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam.*] *Loquentia* loquacitas est. Sallustius: *Satis loquentiæ, sapientiæ parum.* Ita enim eum locum legendum Valerius Probus recte existimavit. Vide Gellium lib. I. cap. XV. ubi & de vitio ipso plura habes. *Buchner.*

loquentiam. Nam [1] eloquentia vix uni aut alteri, immo [2] si Marco Antonio credimus, nemini: hæc vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis atque etiam [3] impudentissimo cuique maxime contingit. Postero die dixit pro Vareno Homullus callide, acriter, culte: contra Nigrinus presse, graviter, ornate. Censuit Acilius Rufus, Consul designatus, inquisitionem Bithynis dandam: postulationem Vareni silentio præteriit. Hæc [4] forma negandæ fuit. Cornelius Priscus Consularis, & accusatoribus, quæ petebant, & reo tribuit, vicitque numero. Impetravimus rem, nec lege comprehensam, nec satis usitatam, [5] justam tamen. Quare justam non sum epistola execu-

1 *Eloquentia.*] Ornatus verborum sententiarumque cum prudentia. Is enim eloquens est, qui cum sapientia dicit humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate. Nam cum orator sit vir bonus dicendi peritus, impossibile est eum esse oratorem, qui imprudenter dicit. *Catan.*

2 *Si M. Antonio.*] *M. Antonino* debuerat scribi. Cicer. de Orator. ad Brutum: *M. Antoninus cui vel primas eloquentiæ patrum nostrorum tribuebat ætas: vir natura peracutus ac prudens, in eo libro quem unum reliquit, disertos ait se vidisse multos, eloquentem neminem.* Refert & Quinct. Procemio l. VIII. *Buchn.*

3 *Impudentissimo cuique.*] Quid enim tam furiosum quam verborum, vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec interdum scientia? videas quosdam scatere verbis sine ullo judicii negocio cum securitate multa & profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. Quare Thersiti audacissimo verba *ἄμετρα* Homerus attribuit, & Eupolis vetus poëta consignatissime, id genus hominum retulit, *λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν*, id est blatterare optimus, dicere ineptissimus. Hæc sumpta partim ex Oratore M. Tullii, partim à Gellio. Addo Euripedem in Hyppolito, malos dicere, populo videri eloquentiores: *Οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς φαῦλοι παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.* *Catan.*

4 *Forma.*] Modus, scilicet nullam mentionem facere, ut Vareno liceret testes evocare. *Idem.* *Hæc forma negandi fuit.*] Comior scilicet atque urbanior. Improbat postulationem Varoni: sed id silentio & præteritione ostendere, quam declarare verbis malebat. Similis ars & nonnullorum Consulum fuit, qui cum per discessionem SCtum faciendum esset, eam sententiam, quam prævalere nolebant, rogatione dissimulabant. Observat hoc solertiæ genus Polybius in Aulo Postumio super Achæis detentis Romæ Senatum consulente Excerptis Legat CXXIX. Apud Cæsarem quoque lib. I. de bello Civili cap. II. Lentulus Consul M. Calidii sententiam, se pronunciaturum negat, ut Scipionis valeret. *Buchner.*

5 *Justam tamen.*] Consistentem. Nam erant personæ, & res notæ: ergo causa consistebat, sed vix subsistentem dixit, quia ex altera parte rationes erant validiores ad faciendam fidem, quod optime Hermogenes, & eum secutus Fortunatianus in primo Rhetoricorum tractant. *Catan.*

1. Si

executurus, ut desideres actionem. Nam [1] si verum est Homericum illud,

[2] Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται,

Apud te providendum est mihi, ne gratiam novitatis & florem, quæ oratiunculam meam vel maxime commendant, epistolæ loquacitate [3] præcerpam. *Vale.*

XXI. C. PLINIUS RUFO SUO S.

Dicturi erant advocati apud centumviros, ad quos audiendos Secundus convenerat, sed Licinius Nepos judicia solvit, edicto monens, ut Senatusconsultum servaretur: quo cavebatur, ne quis ante actionem pecuniam acciperet, vel pacisceretur: quod Nepotis factum à quibusdam reprehendebatur, ab aliis laudabatur.

DEscenderam in [4] Basilicam Juliam, auditurus quibus [5] proxima comperendinatione respondere debeam.

1 *Si verum est Homericum.*] Sane & Plato haud omnino probat, quem vide IV. de Rep. quanquam huc Plinius haud respexerit. Cum Homerico isto illud Pindari Olymp. Θ convenit:
---- Αἴνει δὲ παλαιὸν
Μὲν οἶνον ἄνθεα δ' ὕμνων
Νεωτέρων.
---- *Lauda autem vetulum*
Vinum quidem, flores vero hymnorum
Recentium. Buchner.

2 Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον, &c.] *Illam enim cantilenam magis concelebrant homines, quæ audientibus recentissima existat.* Verba sunt Telemachi ex lib. I. Odysseæ. *Catan.* Qui præterea legisse videtur τοῦ οὔτι χρὴ μῦθον ὀφέλλειν. *Ideo nullo modo oportet sermones augere.* Verba sunt (ait) Patrocli ad Merionem ex XVI. Iliad.

3 *Præcerpam.*] Id est deflorem, delibem. *Catan. Præcerpam.*] Alia lectio habet *perdam.* Boxhorn.

4 *Basilicam Juliam.*] In qua judicia publica & privata conficiebantur. Relege à nobis prænotata. *Catan.*

5 *Proxima comperendinatione.*] Actione, quam primum eram acturus. Comperendinatio enim utriusque partis actio. Secundum alios comperendinatio est secunda actio. Item comperendinatio est ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem. Nam cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebant judicem, qui dabatur post XXX diem, quo dato deinde inter se comperendinum diem denunciabant, ut ad judicium venirent: quo cum esset ventum, antequam causa ageretur, quasi per judicem rem exponebant: quod ipsum dicebatur causæ conjectio, quasi causæ suæ in breve coactio. Secundum alios inter comperendinationem & ampliationem hoc interest, quod comperendinatio

beam. Sedebant judices, Centumviri venerant, [1] obversabantur advocati; silentium longum, tandem à Prætore nuncius. Dimittuntur Centumviri: [2] eximitur dies, me gaudente, qui nunquam ita paratus sum, ut non mora læter. Causa dilationis, Nepos Prætor, [3] qui legibus quærit. Proposuerat breve [4] edictum, admonebat accusatores,

dinatio ex una tantùm repetitur parte, cùm ante judex non intelligeret ut omnino suadebatur. Judices, si bona causa, absolvebant eam: si mala, non statim damnabant. Sed hac excusatione parcebant. Nam cùm condemnandi nota esset Θ, litera. A, absolvendi, ampliandi signum N.L. quòd significabat non liquere, inde ampliatio nascebatur. Hæc Asconius. Tacitus comperendinationes liberas olim fuisse memorat. Postea restrictæ sunt legibus, unde alibi Secundus dixerat, *leges, tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur.* Catan.

3 *Obversabantur advocati.*] Simul aderant advocati. Legitur etiam *observabantur*, scilicet ab advocatis & auditoribus. Centumviri venerabantur: nam observatio ad honorem refertur, & in duabus rebus est, obsequio, aut speculando. Aliâs observatio est callida, & diligens annotatio. *Idem.* *Obversabantur.*] Sic & Palat. & edd. vett. non ut vulgata recentior, *observabantur.* Iidem tamen lib. vett. aperte servant, *Decemviri*, pro *Centumviri.* Gruterus.

4 *Eximitur dies.*] Interdictum est eo die litibus, ut judiciis vacarent: sic enim *diem* credit *eximi*, cum justitium indicitur, & jura silent. Contra illorum opinionem, qui volunt *diem eximi* vel *tolli* dicendo, cum hic silendo sit exemptus. *Cat.*

5 *Legibus quærit.*] Secundum leges cognoscit. Nam jus cognoscendi auctore Pediano, erat apud Prætorem. & Paulus de Regulis juris inquit: Ubicunque causæ cognitio est, ibi prætor desideratur, judicandi vero jus apud equites fuit. Prætor autem Urbanus juri dicundo præerat, & in potestate habebat omnium judicum tabellas. *Id.* *Qui legibus quærit.*] Ex altera lectione quorundam librorum puto legendum, *qui lege de muneribus quærit*, hoc est, qui exercet quæstionem illam. Notum, quid sit *quæstionem aliquam exercere in foro Romano*, non recte enim ad Prætorem urbanum videntur hæc referri ab interprete. *Casaub.* *Qui legibus quærit.*] Haud aliter Palat. & edd. vett. verum Modii MSS. *qui legi de muneribus præposuerat breve edictum, admonebat*, scribendumque suspicabatur: *qui lege muneribus quærit. Proposuerat &c.* Gruterus.

6 *Edictum.*] Edicta Prætoris sunt, Dictatorum etiam Imperatorumque, auctore Dionysio in suis antiquitatibus, & Lampridio historico. Adhæc Secundo dicente, edictum Augusti & Trajani, & Martiale Domitiani. *Edicimus* enim, quod jubemus, & uni generi *edicimus* secundum Donatum, & præcepta, præceptionesque justorum & injustorum Romani *edicta* vocant, ut quidam scribunt propter eam quæ tunc fiebat dictionem, in qua diffinitione complectuntur interdicta, quibus vetatur aliquid fieri. *Catan.* *Edictum.*] Edicta non unius generis aut argumenti fuerunt. Nam non pertinebant omnia ad Jurisdictionem, sed quædam ex his monitoria erant, quædam etiam objurgatoria, consolatoria quædam. Imo sunt aliæ innumeræ eorum species, quæ certo alicui generi accepto ferri non possunt. Va-

res, admonebat reos, executurum se quæ [1] Senatusconsulto continerentur. Suberat edicto [2] Senatusconsultum hoc: *Omnes, qui quid negocii haberent, jurare prius, quam agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse.* His enim verbis, ac mille præterea, & vænire advocationes, & emi vetabantur. Peractis tamen negociis, permittebat pecuniam duntaxat [3] decem millium dare. Hoc facto Nepotis commotus prætor, qui Centumviralibus præsidet, deliberaturus, an sequeretur exemplum, [4] inopinatum nobis ocium dedit. Interim tota civitate Nepotis edictum carpitur, laudatur. Multi, *Invenimus, qui [5] curva corrigerent. Quid? ante hunc Prætores non fuerunt? Quis autem hic est, qui emendet publicos mores?* Alii contra, *Rectissime fecit, [6] initurus magistratum: jura*

rie namque prout inciderat, Principes, magistratusve edicebant. *Brissonius* ad Tranq. lib. 11. cap. 53.

1 *Senatusconsulto.*] Quod supra Principis librum dixerat, decretum à Senatoribus referente Trajano. *Cat.* *Senatusconsulto.*] Hujus auctoritas magna erat, ut etiam poterant rescindi acta eorum imprimis, qui male præfuissent, ipsorum etiam Principum. Unicum hic proferam exemplum Domitiani, de quo sic Hieronymus lib. poster. Chronic. Eusebii: *Senatus decrevit, ut omnia, quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur. Itaque multi, quos injuste ejecerat, de exilio reversi, nonnulli bona propria receperunt.* Eodem SC. Julius Bassus à Domitiano relegatus, revocatus est à Nerva. Vide hac de re supra ad Epist. IX. lib. IV. p. 226. a.

2 *Senatusconsultum hoc omnes.*] Ita distinxi, fide Palat. & vett. edd. recens enim, *Senatusconsultum hoc, omnes qui quid.* Gruterus.

3 *Decem millium.*] Secutus est Nepos exemplum Claudii, quem legimus apud Tacitum, posuisse modum advocatis pecuniæ capiendæ usque ad dena sestertia. Idem enim quod decem millia nummûm, quæ egressi repetundarum tenerentur. *Catan.*

4 *Inopinatum.*] Insperatam ab agendo vocationem. Quidam, *inopinatum* referunt ad præcedentem dictionem, *exemplum.* Idem.

5 *Cuncta corrigerent.*] Universum edictum reprehenderent, & arbitrarentur permittendum unicuique dare, & accipere pro advocatione quantum libuisset: Alii legunt, ut *curva*, iniqua: quod magis probo, ut sit ironice dictum. *Idem.* *Invenimus qui curva corrigerent.*] Seneca Ludo de morte *Claudii: Hic nobis curva corrigit.* Quod frustra solicitavit eruditissimus Rhenanus. Nam proverbiale dicterium est in severos atque censorios homines, & tritum communi sermone. Convenit illud patrium: Der wird alles zu boltzen drehen. *Buchn.*

6 *Initurus magistratum.*] Gesturus Prætoris officium. Ex quibus apparet in præcedentibus emendare legi, *Nepotem* Prætorem designatum. *Cat.* *Initurus.*] Sensu haud dispari *inire* consilium

[1] *jura recognovit: Senatusconsulta legit, reprimit* [2] *novissimas pactiones:* [3] *rem pulcherrimam* [4] *turpissime vanire non patitur.* Tales ubique sermones, qui tamen alterutram in partem [5] ex eventu prævalebunt. Est omnino iniquum, [6] sed usu receptum, quod honesta consilia

lium dicimus pro capere, & *inire* causam & rationem rei alicujus, quod alias probare aut æstimare rem aliquam. Liv. lib. IV. Bell. Maced. *Atque ego non nonnullarum cupiditatum ne causam quidem aut rationem inire possum.* Cæsar, *Qua ex die consulatum iniit Lentulus.*

1 *Jura recognovit.*] Pomponius Jurisconsultus asserit Prætorem habuisse facultatem adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi jus civile. *Catan.*

2 *Novissimas.*] Immensas, ultra modum. Magis probo *fœdissimas*, id est turpissimas, maxime indecoras. *Idem* Sic quoque Pal. & edd. omnes ante Aldinam, in qua *fœdissimus.* Gruter.

3 *Rem pulcherrimam.*] Patrocinium, & Orandi majestatem, qua nihil Dii immortales melius homini dederunt, & qua remota muta sunt omnia. Illa nihil in urbe, vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel totius Imperii, atque omnium gentium notitiam illustrius. Non aliunde majores honores, opes, amicitiæ, laus præsens, & futura hominibus contingit. *Catan.*

4 *Turpissime.*] Per quæstum. Nam accusatoriam vitam vivere, & ad defendendos reos præmio duci, proximum latrocinio est. Paciscendi quidem ille pyraticus mos, & imponentium periculis precia, procul abominanda negociatio, etiam à mediocriter, improbis abierit. *Idem.*

5 *Ex eventu.*] Si bonum eventum sortietur edictum Nepotis, pariter bonam famam: sin minus, malam. Nam ab eventu sæpe res judicantur, ut testatur Livius VII. belli Punici, *Ex eventu quo nihil iniquius est, famam homines habent.* A quo idem trahens argumentum inducit Hannonem dicentem, *Eventum* esse veluti justum belli judicem. Nero dicere solitus, *Eventum in manu fortunæ constare.* Hinc Livius: *eventus in manu stultorum versatur.* Nam plerumque vis oratoris, & cæterarum rerum ab imperitis exitu & victoria judicatur. Quare secundum Isocratem cum eventus sit in manu fortunæ, non laudandus is cui res prospere cedunt, sed qui quantum consilio humano licebat eas multo ante prævidit, & providit: tametsi secus, quam intenderat evenirent: sapientes enim & docti fortuita debent excludere. M. Tullius in Rhetoricis, cujuscunque negocii finem eventum diffinit. Donatus tantum bonorum exitum, contra tamen probatissimorum auctoritatem. *Idem.*

6 *Sed usu receptum, &c.*] Cicero pro Rabirio principio statim, *Hoc plerumque facimus, ut consilia, eventu ponderemus: & cui bene quid processerit, multum illum providisse: cui secus, nihil sensisse dicamus.* Vide & lib. IX. ad Attic. Epist. X. Plautus Pseud. act. III. Sc. III.

—Ut quisque fortuna utitur,
Ita præcellit, atque exinde sapere eum dicimus.
Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem cautum
Eum esse declaramus: stultum autem illum cui vertit male.

Buchnerus.


ſilia, vel turpia, prout male aut proſpere cedunt, ita vel probantur, vel [1] reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta, modo [2] diligentiæ, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt. *Vale.*

1 *Reprehenduntur.*] Vere id *uſu receptum* dicit Noſter. Quippe experientia magiſtra, optima quæque reprehenduntur, quique reprehendunt ad rabiem furoris ita ſæpe incitantur, ut bona naſcentia, quæ imitari nolunt, perſequantur. Id malevoli & invidi proprium, qui perfidis calumniis optimorum inſtituta denigrare laborat, & peſſima quæque extollit. Cujus imaginem Poëta, ex vivo plane depingit:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Non recta eſt facies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt: nunquam poteris niſi ferre dolores.

2 *Diligentiæ.*] Nomen, ſi recte interpretentur: vanitatis, id eſt inconſtantiæ, ſi male: opponitur vanitas diligentiæ, & furor libertati. *Ca.*

C. PLI-



tu adhuc in Piceno, multo magis: [1] ex quo ipſa loca, in quibus eſſe una ſolemus, acrius me tui commonent, ſeu, quod deſiderium abſentium nihil perinde, ac vicinitas acuit, quoque propius acceſſeris ad ſpem fruendi, hoc impatientius careas. Quicquid in cauſa, eripe me huic tormento: veni, aut ego illuc, unde [2] inconſulte properavi, revertar, vel ob hoc ſolum, ut experiar an mihi, cum ſine me Romæ cœperis eſſe, [3] ſimiles his epiſtolas mittas. *Vale.*

II. C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

Taxat notabiliter actionem M. Reguli, cum videatur probare, & aperte modum agendi ſuo tempore improbat: poſtquam publicos mores notavit, ad ſuos & Arriani amici revertitur.

SOleo nonnunquam in judiciis quærere Marcum Regulum: nolo enim dicere, deſiderare. [4] Cur ergo quæro? [5] habebat ſtudiis honorem, timebat, palle-

poſt Umbriæ civitates, quæ inter Ariminum Anconemque jacent, extenditur. Profecti ſunt autem Piceni à Sabinorum terra, qui cum auſpicio Pici iter facerent, nomen inde nacti fuere. E montibus uſque in plana & pelagus eorum incipiunt dominia: quorum ager in longum magis, quam in latum excreſcit: bonus ad omnia: cæterum lignariis quam frumentariis fructibus longe præſtat. Inter cæteras urbes inſignem habet Anconem; in quinta Italiæ regione locatur à Plinio, & hominum multitudine abundaſſe idem auctor eſt. A Piceno deducitur Picens; à Picentia vero Picentini, qui & ipſi populi ſunt Italiæ. *Catan.*

1 *Ex quo ipſa loca.*] Id eſt, poſtquam. Aliter, *ſeu quod*, quæ lectio cum ſequentibus apte congruit. *Idem.* *Ex quo loca, &c.*] Ita Pal. ita edd. vett. agnoſcitque Catanæus. Planius nupere impreſſi, *ſeu quod loca*, ſecuti Aldinam. *Gruterus.* *Ex quo ipſa loca.*] Ita MSS. Palatini & Edd. Veteres, obſcure & ſalebroſe: planiſſimum eſt, quod alii Codices repræſentant: *Seu quod ipſa loca, in q. e. n. s. a. me tui commonent: ſeu quod &c.* Buchn.

2 *Inconſulte.*] Catanæus legit *Conſulto*, ſane ſenſu contrario.

3 *Similes.*] Conquerentes de abſentia mea, & efflagitantes adventum in urbem. *Catan.*

4 *Cur ergo quæro?*] Si ſuperius lib. v. Epiſt. 1. videri queat eſſe ab librariis, *cur ampliſſimo gratius?* poteſt & hic quoque ſupervacaneum dici triga iſthæc verborum, *Cur ergo quæro?* Gruter.

5 *Habebat ſtudiis honorem.*] Reverenter tractabat eloquentiæ ſtudia, ſeu

Orn-

[1] pallebat, ſcribebat: quamvis non poſſet dediſcere illud ipſum, quod oculum modo dextrum, modo ſiniſtrum [2] circumlinebat: dextrum, ſi à petitore, alterum, ſi à poſſeſſore eſſet acturus, quod [3] candidum ſplenium in hoc aut illud ſupercilium transferebat: quod ſemper aruſpices conſulebat de actionis eventu, [4] animi ſuperſtitione, ſed tamen à magno ſtudiorum honore [5] veniebat. Jam illa perquam jucunda una dicentibus, quod [6] libera tempora petebat, quod audituros corrogabat. Quid denique

Oratoriam, Quod quomodo fecerit Regulus, in ſequentibus docet. Nam timuit, palluit, ne videretur male dicere, & ſic excideret gloriâ, quam ex eloquentiæ ſtudiis quærebat, quæ faciebat magni & excolebat non orandis cauſis tantum, ſed & libris ſcribendis: ut, quem in Ruſticum recitavit, item quem de obitu filii condidit, de quibus ſupra. *Buchner.*

1 *Pallebat.*] Lib. I. de eodem dixerat, *Expalluit notabiliter quamvis palleat ſemper.* Pallidi enim ſtudioſi creduntur nimia vigilia & vini parſimonia. Quare jocus eſt Valerii Martialis in Oppianum, qui cum eſſet mali coloris, cœpit ſcribere verſus, ut videretur poëta, & illa Juven. vellicatio:

—— *Tunc utile multis*
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri. Catan.

2 *Circumlinebat.*] Quidam frontem linebant unguento vel ceruſa, deinde panniculum ſive faſciam imponebant: quod *ſplenium* dicebatur: à quibuſdam exiſtimatum oculorum operimentum ad arcendam nimiam lucem. Ejus meminit Martialis lib. II & VIII.
Talia lunata ſplenia fronte ſedent.
Et libro X. pro *petiola* videtur uſurpaſſe. Secundum Pollucem numeratur inter medicorum inſtrumenta. Etiam caput ſplenis dicitur ſplenium, quia σπλωιᾷν eſt *ſplenem dolere.* Plinius teſtatur herbam ſplenion lienibus mederi. *Idem. Circumlinebat.*] Hoc frequens erat apud veteres, qui linebant faciem vel ad oculorum ὑπογραφὰς, quibus maxime delectabantur, vel ad glabritiem & lævigationem, vide Sueton. in Othon. vel etiam ad ſollicitandum candorem. Hinc Juvenalis vetus interpres ad Satyr. VI. *Aſinino lacte faciem linit, ut cutim tendat, & candorem eliciat.* Vide hanc in rem *Iſ. Caſaub. not. in Spartian.*

3 *Candidum ſplenium.*] Faſciam albam. *Catan.*

4 *Animi.*] Suſpicor legendum, *anili*, erat, inquit, ſuperſtitioſus in conſulendis aruſpicibus ſuper actionis eventu: ea tamen ſuperſtitio quamvis anilis, ſummum honorem teſtabatur, quem habebat literis. *Caſaubonus. Animi.*] Valde mihi ſatisfacit Caſauboni, *anili ſuperſtitione.* Gruterus. *Animi ſuperſtitione.*] Qua tenebatur animus ejus. Caſaubonus ſuſpicabatur: *anili ſuperſtitione*, quod valde ſatisfaciebat Grutero. Sane ridenti atque taxanti convenit magis. *Buchn.*

5 *Veniebat.*] Id conſulere aruſpices procedebat ex ſumma reverentia, quam ſtudiis habebat. Nam niſi de magnis Deum conſulere non debemus. *Catanaus.*

6 *Libera tempora.*] Non circumſcripta ſpatiis; ſed quanta ipſa cupiebat. Quaſi indignum eſſet dicenti fines ponere, nec dare copiam indulgendi ingenio & explicandi contentæ orationis curſum. *Buchner.*

que jucundius, quam ſub [1] alterius invidia, quamdiu velis, & in alieno auditorio, quaſi deprehenſum commode dicere? Sed utcunque ſe habent iſta, bene fecit Regulus, quod eſt mortuus, melius [2] ſi ante. Nunc enim ſane poterat ſine malo publico vivere ſub eo Principe, ſub quo nocere non poterat. Ideo fas eſt, nonnunquam eum quærere. Nam poſtquam obiit ille, increbuit paſſim, & invaluit conſuetudo, binas vel ſingulas [3] clepſydras, interdum & dimidias, & dandi & petendi. Nam & qui dicunt, [4] egiſſe malunt, quam agere: & qui audiunt, finire [5] quam judicare. Tanta negligentia, tanta deſidia, tanta denique irreverentia [6] ſtudiorum, periculorumque eſt. An nos ſapientiores majoribus noſtris? nos legibus ipſis juſtiores, quæ [7] tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? Hebetes illi, & ſupra modum tardi? Nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religioſius judicamus, qui [8] paucioribus clepſydris præcipitamus cauſas, quam diebus explicari ſolebant. O Regule, qui ambitione ab omnibus obtinebas, [9] quod fidei pau-

1 *Alterius invidia.*] Reguli malevolentia, qui tam impudenter peteret ad dicendum longiſſima tempora. *Catan.*

2 *Si ante.*] Sub Nerone, & Domitiano maxime cum plurimum nocuit, probos & innocentes accuſando. Lege noſtrum ſupra lib. I. Ep. V. & Tacitum IV. Hiſt. cap. XLII. *Buchn.*

3 *Clepſydras.*] Repete annotata in præcedentibus, Nempe ad Ep. XI. l. II. p. 107. a.

4 *Egiſſe malunt.*] Breves eſſe, & jam impoſuiſſe finem, quam eo dicendi tendere. Et judices, pronunciare, quam attendere, deliberareque ac cognoſcere malunt, ſubeunte utriſque tædio, his audiendi, dicendi illis. *Buchner.*

5 *Quam judicare.*] Quam rectam ſententiam pronunciare. Perinde ac ſi diceret, advocati faſtidium capiunt agendo: judices non audiendo male judicant. Quare omnes, quamprimum finem imponi quærunt officio ſuo. *Catan.*

6 *Studiorum periculorumque eſt.*] *Studiorum*, id eſt, dicendi artis: quæ excitatur auditorum ſtudio. *Periculorum*, quæ impendent reis, cum cauſa eorum, nec oratur plene, nec ſatis diligenter cognoſcitur. *Buchner.*

7 *Tot horas.*] Idem auctor eſt accuſatori ſex horas, reo novem ex lege conſtitutas, ſuper qua re jam multa annotavimus. *Catan.*

8 *Paucioribus.*] Minoribus xx. Nam ſi clepſydra pro dimidia hora ſumitur, & reo decem & octo, quando plures concedebantur: reſpectu illius recte dixit paucioribus clepſydris. *Idem.*

9 *Quod fidei.*] *Fidei* tertius caſus eſt. Significat Regulum libera orandi & petiiſſe, & obtinuiſſe ſpatia, non ut clien-

paucissimi præstant! Equidem [1] quoties judico, quod vel sæpius facio quam dico, quantum quis plurimum postulat [2] aquæ do. Etenim temerarium existimo divinare, quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores: præsertim cum [3] primum religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est. At quædam supervacua dicuntur; etiam: sed satius est & hæc dici, quam non dici necessaria. Præterea, an sint supervacua, nisi cum audieris, scire non possis. Sed de his melius coram, ut de pluribus vitiis civitatis. Nam tu quoque [4] amore communium soles emen-

clientibus consuleret, &, quam debebat iis, fidei faceret satis, quod pauci respiciunt; sed ut inserviret gloriæ, quam ambiebat ac affectabat, ut amplitudine orationis ac laxitate eloquens videretur. *Buchner.*

1 *Quoties judico.*] Nam fuit Decemvir Litibus judicandis, ut lapides attestantur. *Idem.*

2 *Aquæ.*] Id est temporis. Nam clepsydris aqua refertis (ut dictum est supra) horas dimetiebantur veteres. Sensus ergo est: concedo totum illud spatium ad dicendum, (quod intelligit per aquam defluentem clepsydra) quantum quis me postulat. Legitur etiam, *qui docet.* ubi indicem intelligit. Nam priusquam causa ageretur, per indicem, qui olim dabatur, post trigesimum diem rem exponebant. Indicem ergo intelligit per eum, qui docet: sensus est, si disceptantes petunt à me plurimum temporis, concedere soleo: sed tantundem do ei qui causam exponit, ut sigillatim, & commode possit me docere. Est autem docere narrare, & argumentis confirmare. Legitur etiam, *qui dicit* non absurde. Sunt tamen, qui non legunt, quantum quis plurimum temporis postulat tamen do ei qui docet, sed quantum quis plurimum postulat aquæ do. *Catan.*

3 *Primum religioni suæ.*] Quam observare imprimis debet inter cætera suæ fidei convenientia. Nam Seneca capite de justitia inquit: de fide, & *religione* scias agi, ubicunque de veritate tractatur. *Pars magna justitiæ:* cum enim justitia sit constans, & perpetua voluntas secundum Justinianum, non immerito patientiam justitiæ magnam partem nominavit. *Idem. Religioni suæ.*] Conscientiæ atque officio suo. Cicero quoque cum Quincto fratri præcepta dat administrandæ provinciæ, *adjungendam facultatem in audiendo, in satisfaciendo ac disputando diligentiam* monet. Et recte *pars magna justitiæ* appellatur hæc patientia. Est enim justitia, ut Plato & Aristoteles pronuntiarunt, ἀλλότριον ἀγαθὸν, *alienum bonum*, hoc est, ad alios quod maxime pertinet. *Buchner. Cum primum religioni &c.*] Lego *primam.* Vide I. Observat. cap. 6. *Gronov.*

4 *Amore communium.*] Reipub. nostræ, Romanæ: vel *communium* scilicet tibi mecum, quemadmodum communem amicum dicimus quo utrinque æque fruimur. *Catan. Amore communium.*] Legitur in quibusdam libris, *communi.* Fortasse ita emendandum; *Nam tu quoque in more communi soles emendari cupere, quæ jam corrigere difficile est*, sententia admodum perspicua. Casaubonus.

[1] emendari cupere, quæ jam corrigere difficile eſt. Nunc reſpiciamus [2] domos noſtras. Ecquid omnia in tua recte? in mea novi nihil. Mihi autem & gratiora ſunt bona, quod perſeverant: & leviora incommoda, quod aſſuevi. *Vale.*

III. C. Plinius [3] Vero Suo S.

Vero agricolationi intento commendat agrum, quem nutrici ſuæ dono dederat.

GRatias ago, quod agellum, quem nutrici meæ donaveram, colendum ſuſcepiſti. Erat, cum donarem centum millium nummûm: poſtea decreſcente reditu, etiam precium minuit, quod nunc te [4] curante, [5] reparabit. Tu modo memineris commendari tibi à me non arbores, & terram, (quanquam hæc quoque) ſed munuſculum meum, quod eſſe quam fructuoſiſſimum non illius magis intereſt, quæ accepit, quam mea, qui dedi. *Vale.*

IV. C. Pli-

1 *Emendari.*] Plus eſt corrigere, quam emendare. Nam, qui corrigit in rectum reducit, qui emendat, vitium operit, & mendæ ſuperinducere conatur velamen aliquod. *Catan.*

2 *Domos noſtras.*] Dictio *domus* non eſt in Pal. aut ulla editione Aldina antiquiore. *Gruterus.*

3 *Vero.*] Veros plures Spartianus, & Capitolinus monumentis tradunt. Hujus autem tanquam obſcurioris nulla apud alios fit mentio. *Catan.*

4 *Curante.*] Excolente. Nam diligenti cultura precia prædiorum ampliantur, quia reditus ſupercurrit: ita ſi negligentius habita ſint, minui ea neceſſe eſt, quod reſcripſerunt divi fratres auctore Calliſtrato de jure fiſci. *Idem.*

5 *Reparabit.*] Reſumet, reſtituetur in precium centum millium nummûm. *Idem.* Ut enim *parare* eſt quærere, ſic congrue *reparare* in priſtinum ſtatum reſtituere, ſicque ſæpe recuperare. Hinc Horat. Oda xxxvii. *Claſſi cita reparavit oras.*

IV. C. PLINIUS CALPHURNIÆ SUÆ S.

Conqueritur non sibi licuisse per occupationes in Campaniam cum uxore Calphurnia secedere: inibique multa amabiliter disserit, & hortatur ut saltem pluribus epistolis timori suo provideat.

NUnquam sum magis de occupationibus meis questus, quæ me non sunt passæ, aut proficiscentem te valetudinis causa [1] in Campaniam prosequi, aut profectam, è vestigio subsequi. Nunc enim præcipue simul esse cupiebam, ut oculis meis crederem, quid viribus, quid corpusculo acquireres, & qui denique [2] secessus, voluptates, [3] regionisque abundantiam [4] inoffensa transmitteres. Equidem etiam [5] fortem te, [6] non sine cura desiderarem. [7] Est enim suspensum & anxium de eo, quem ardentissime diligas, interdum nihil scire. Nunc vero me

1 *In Campaniam.*] Ubi Fabatus Secundi Prosocer villam Camillianam possedit. *Catan.*

2 *Secessus, voluptates.*] Omnium non modo Italiæ, sed pene toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil hospitalius mari: Hic illi nobiles portus Cajeta, Misenus, tepentesque fontibus Bajæ; Lucrinus, & Avernus, quædam maris ostia. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus cunctorum Vesuvius: urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Herculanium, Pompei, & ipsa caput urbium Capua: quæ quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque nominata. *Florus lib.* I. *cap.* XVI. 3. 4. Ubi notat *Camers* hanc Campaniæ laudem sumtam esse ex Plin. III. 5. Solin. c. VIII. Strab. lib. V. Eutrop. II. I. eleganterque Silius Campaniæ laudes canit VIII. 526. Quibus addit *Freinshemius* Polyb. III. 91. Dionys. I. 37. Plin. XVIII. II. Cicer. pro L. Agraria. Inde quoque est, quod Seneca Epist. LI. ait: *Hannibalem indomitum nivibus & Alpibus virum, enervaverunt fomenta Campaniæ.*

3 *Regionisque abundantiam.*] Campania seritur toto anno, panico semel, bis farre. Sed campus, qui circa Capuam est, & Laboriæ vocatur, à Græcis Philegræus, cæteras terras fertilitate superat, & in delitias alicæ politur messis. *Catan.*

4 *Inoffensa.*] Alia lectio insuper addit *valetudine.* Boxhorn.

5 *Fortem.*] Bene valentem. Quamvis sana esses & absens, tamen tibi timerem, quanto magis invalidæ. *Catanaus.*

6 *Non sine cura.*] Male aliæ edd. *& non sine.* neque visitur ea copula in vett. edd. aut Palat. *Gruter.*

7 *Est enim suspensum, &c.*] Facit hominem ambigere, & dubitare, neque parum æstuare. *Catan.*

me cum absentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio, incerta & varia solicitudine exterret. Vereor omnia, [1] imaginor omnia: quæque natura metuentium est, ea maxime mihi, quæ maxime [2] abominor, fingo. Quo impensius rogo, ut timori meo quotidie singulis, vel etiam binis epistolis consulas. Ero enim securior, dum lego, statimque timebo, cum legero. *Vale.*

V. C. Plinius Urso Suo S.

Licinius Nepos postquam Varenus obtinuerat, ut sibi testes pro defensione liceret evocare, cœpit petere, ut legi repetundarum adjiceretur, licere reis denunciare testes: cui relationi multi contradixerunt, sed præsertim Jubentius Celsus, inter quos orta contentione ad lites usque processum est.

SCripseram [3] tenuisse Varenum, ut sibi [4] evocare testes liceret, quod pluribus æquum, quibusdam iniquum, & quidem pertinaciter, visum; maxime Licinio Nepoti, qui sequenti Senatu, cum de rebus aliis referretur, de proximo Senatusconsulto disseruit, finitamque causam [5] retractavit. Addidit etiam, petendum à Consulibus, ut referrent [6] sub exemplo legis ambitus, de lege repe-

1 *Imaginor omnia.*] Abest illud *imaginor omnia*, omnibus edd. veteribus, nec non Palat. & tamen non alienum videtur isto loco. *Gruterus.*

2 *Abominor.*] Quæ omine abjicio, ut puta mortem. *Abominetur*, inquit Columella, *arator herbam, tanquam omen triste expuat.* Catan.

3 *Tenuisse.*] Impetrasse à Senatu, quod paulo ante legimus. *Idem.*

4 *Evocare,*] Ex Bithynia in urbem convocare. Et milites *evocati* auxiliares dicuntur subito tumultu à Consule convocati ad opem Reip. ferendam: ea militia dicitur *evocatio*. Verum apud Macrobium *evocatio* appellatur, quando Dii evocantur ab aliqua urbe excidenda. *Idem.*

5 *Retractavit.*] Renovavit, remisit, recognovit: est enim retractare, quod omiseris repetere & mutare: sic ferrum retractatum, sic scripta jam omissa: deinde emendata dicimus retractata. *Idem.*

6 *Sub exemplo legis ambitus.*] Ad imitationem legis ambitus, qua cavebatur, ut sicut accusatoribus licebat inquirere, & testibus denunciare: ita reis pariter jus esset. De ambitu Liv. VII. ab Urbe condita. M. Tullius in Vatinium tradit se tulisse legem de ambitu ex Senatusconsulto, id quod pro Murena repetit: sed Livii abbreviator lib. XLVII. ante Ciceronem, legem de ambitu latam testatur. Fuit autem ea lex constituta Reip. causa sicut repetundarum;

repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adjici, ut sicut accusatoribus inquirendi, testibusque denunciandi potestas ex ea lege esset: ita reis quoque fieret. Fuerunt quibus hæc ejus oratio, ut sera & intempestiva, & præpostera, displiceret: quæ omisso [1] contradicendi tempore castigaret peractum, cui potuisset occurrere. [2] Jubentius quidem Celsus Prætor, tanquam emendatorem

rum: Tacitus tamen inquit, Candidatorum *ambitus* Julias leges peperit. Sub principe vero cessat lex ambitus: testes sunt Jurisconsulti. *Catan.*

5 *Contradicendi tempore.*] Cum de ea agebatur, & nondum esset decretum Senatusconsultum. *Idem. Contradicendi tempore.*] *Tempus*, hic καιρὸς est: *Opportunitatem temporis* Cicero & Cæsar appellarunt. Communiter *occasionem* dicimus. Sensus itaque est: tum contradicendi occasionem fuisse Licinio, cum ageretur de Vareno & impediri SCtum posset; nunc peracta re, & oportunitate illa dilapsa, præpostere & inutiliter contradici. *Buchner.*

6 *Jubentius Celsus prætor.*] Ulpianus ff. v. pridie Idus Martias, Q. Julius Balbus, & P. Jubentius Celsus Coss. verba fecere de his, quæ Imp. Cæsar Adrianus Trajani Parthici filius proposuit. Idem lib. ff. XXXVIII. de operis libertorum scribit Jubentium Celsum fuisse JCtum: sic Pomponius de juris origine Celsos patrem, & filium Jurisconsultos tradit, & Marcellus ff. XXXII. filium Consulem ponit, & lib. XXIX. extat Plotianæ epistola ad Jubentium Celsum, & ejusdem ad illam. Jubentius Celsus cum primoribus urbis conjurationem iniens contra Domitianum, ideoque accusatus, admirabiliter vitavit periculum: nam cum injicerent ei manus, dixit se quædam secreto velle Domitiano deferre, & supplex Dominum Deumque sæpius invocans, inquit, Nihil tale admisi, verum si mihi dilationem dederis; quorum particeps non sum, omnia explicabo, multosque manifestabo, ac convincam: inde dimissus nullum detexit, aliquando alias causas prætexens, distulit confessionem usque in Domitiani necem. Post quæ Dion in Trajano hæc addidit, Celsum Trajano charum, & statuam ei in publico jussu Imperatoris erectam, virumque optimatem fuisse, & invito Adriano ex decreto Senatus Baiis interfectum, quod necem Imperatori moliretur. Auctores habeo Spartianum, & Dion. quanquam mendose apud Spartianum legatur, Adrianum in consilio habuisse Julium Celsum JCtum: Tu repone Jubentium Celsum. Proinde is fuit rhetor eloquentissimus, quod etiam Juvenalis indicat: tametsi interpretes significasse velint Cor. Celsum, cum is fuerit mediocris orator. Ex codice Plinii transcriptus fuit antiquus hic libellus, sive supplicatio manu Campani: Cum ante hos dies conjugem & filium amiserim, oppressus necessitate corpora eorum fictili sarcophago commendaverim, donec is locus, quem emeram, ædificaretur via flaminia, inter miliarium secundum & tertium parte læva, Rogo domine Imperator permittatur mihi in eodem loco in marmoreo sarcophago, quem mihi modo comparavi, ea corpora colligere, ut quando esse desiero, pariter cum eis ponar. Decretum fieri placet. Jubentius Celsus promagister subscripsi. III. Non. Novembr. Antio Pollione & Opiminio Coss. Ordinales Severo & Subinniano Coss. *Catan.*

rem Senatus, & multis, & vehementer increpuit. Respondit Nepos, rursusque Celsus: neuter contumeliis temperavit. Nolo referre, quæ dici ab ipsis [1] moleste tuli: quo magis quosdam è numero nostro improbavi, qui modo ad Celsum, modo ad Nepotem, prout hic vel ille diceret, cupiditate audiendi cursitabant: & nunc quasi stimularent & accenderent, nunc quasi reconciliarent, componerentque: [2] frequentius singulis, ambobus interdum propitium Cæsarem, ut in ludicro aliquo, precarentur. Mihi quidem illud etiam peracerbum fuit, [3] quod sunt alter alteri, quid pararent, indicati. Nam & Celsus Nepoti ex libello respondit, & Celso Nepos ex pugillaribus. [4] Tanta loquacitas amicorum, ut homines jurgaturi, idipsum invicem scirent, tanquam convenissent. *Vale.*

VI. C. PLINIUS FUNDANO SUO S.

Secundus, pro Julio Nasone honores petiturus rogat Fundanum suum, ut ideo veniat Romam, quia susceperat candidatum: & verebatur, si repulsam pateretur, ne sibi illuderetur.

SI quando, nunc præcipue cuperem esse te Romæ, & sis rogo. Opus est mihi voti, laboris, solicitudinis socio.

1 *Moleste tuli.*] Nam ægre erat, quod disciplinam curis proderent, & senatoriam gravitatem jurgandi levitate adeo prostituerent. Eodem nomine & Senatorum quosdam sequentibus improbat. *Buchner.*

2 *Frequentius.*] Ordo est, frequentius precabantur Cæsarem Trajanum propitium singulis: interdum precabantur ambobus, ut assolet fieri in ludicro aliquo. Dicam apertius: Qui modo stimulabant, modo reconciliabant Celsum & Nepotem, Trajanum tunc in Senatu precabantur, ut vellet favere Celso, vel Nepoti, tanquam si ageretur aliqua res ludicra. Ludicra autem ars, quæ ludi gratia fit, ut scenica, & histrionica. *Catan.*

3 *Quod sunt alter alteri, &c.*] Proditi sibi invicem, quid alter de altero sibi promittere posset. Neque enim forte, & quodam fervore animi, sed præmeditato utrumque eo descendisse, satis arguit, quod conceptis verbis, & alter in libello, alter in pugillaribus perscriptis, contra se invicem egerant. *Buchnerus.*

4 *Tanta loquacitas.*] Futilitas. Familiares Nepotis, cum audiissent, parare ipsum contradicere Celso, hoc detulerunt ad Celsum: & hujus rursus Nepoti significarunt, quid respondere iste

ſocio. Petit honores Julius Naſo, petit cum multis, cum bonis, quos ut glorioſum, ſic eſt difficile ſuperare. Pendeo ergo, & exerceor ſpe, atque afficior metu, [1] & me Conſularem eſſe non ſentio. [2] Rurſus mihi videor omnium, [3] quæ decurri, Candidatus. Meretur hanc curam longa mei charitate: eſt mihi cum illo non ſane paterna amicitia: neque enim potuit eſſe per meam ætatem. Solebat tamen vix dum adoleſcentulo mihi pater ejus cum magna laude monſtrari. Erat non ſtudiorum tantum, verum etiam ſtudioſorum amantiſſimus, ac prope quotidie ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quinctilianum & [4] Niceten Sacerdotem, ventitabat: vir alioqui clarus & gravis, & qui prodeſſe filio memoria ſui debeat. Sed multi nunc [5] in Senatu, quibus ignotus ille, multi, quibus

iſte pararet contra. Sic factum, ut uterque ſciret futurum inter ipſos jurgium, non aliter ac ſi de eo conveniſſet. *Idem.*

1 *Et me conſularem eſſe non ſentio.*] Sic pendeo dubius, ſolicituſque de exitu ſum, ut candidatus ipſe potius, & petere magiſtratum, quam conſulatu jam defunctus mihi videar. Nam *Conſulares*, qui magiſtratu eo functi eſſent, dicebantur. *Idem.*

2 *Rurſus mihi.*] Editiones recentiores præmiſerant, *nam rurſus*, *&c.* ſed non ea etiam in Pal. aut vetuſte cuſis. *Gruterus.*

3 *Quæ decurri.*] Quibus functus ſum. Sunt etiam, qui ſic diſtinguant, rurſus mihi videor Conſularis, id eſt alicujus auctoritatis: quia prædixerat, exerceor ſpe. deinde ſequentia ordinent, candidatus, id eſt Naſo, meretur hanc curam omnium quæ decurri, dignus eſt, ut exerceat ſpe, afficiat metu in petitione omnium honorum, quos ego geſſi. *Catan.* *Quæ decurri.*] Quæſturæ, Tribunatus, Ædilitatis, per quæ ordine, ut ſolebat, ad Conſulatum, qui ſummus & maximus honor, ſe perveniſſe ſignificat. *Buchnerus.*

4 *Niceten Sacerdotem.*] Alia l. *Nicea.* ſed nullum temporibus Trajani alibi legere memini. Nam Nicea Athenienſium Imperator, & Megarenſis alter vetuſtiores fuerunt. Quare libentius legerem *Nicetem*: quo Seneca lib. I. Suaſoriarum, *Memini una nos ab auditione Nicetis ad Meſſallam veniſſe.* Nicetes ſuo impetu valde Græcis placuit: quærebat à Gallione Meſſalla, quid illi viſus eſſet Nicetes: Gallio ait, plena deo: quoties audiverat aliquem ex his declamatoribus, quos ſcholaſtici caldos vocant, ſtatim dicebat, plena deo. Addubito tamen eum non tantum vixiſſe, ut à Cæcilio audiri potuerit. *Catan.*

5 *In ſenatu.*] Nam commendatione Senatus interdum candidati præferebantur. Q. Cicero ad M. Fratrem pro petitione Conſulatus monet comparandos, & confirmandos magiſtratus ex civibus, maxime Conſules, deinde Tribunos pleb. ad conficiendum centurias. Admonendi ſumus, ſuffragia judicio Senatus commiſſa à Trajano, & populo

quibus notus, ſed non niſi viventes reverentur: quo magis huic, omiſſa gloria patris, in qua magnum ornamentum, gratia infirma, ipſi enitendum & laborandum eſt. Quod quidem ſemper, quaſi provideret hoc tempus, ſedulo fecit, [1] paravit amicos, quos paraverat, coluit: me certe, ut primum ſibi ætas judicare permiſit, ad amorem imitationemque delegit. [3] Dicenti mihi ſolicite adſiſtit, aſſidet recitanti: primus etiam & cum maxime naſcentibus opuſculis meis intereſt, nunc ſolus, ante cum fratre, cujus nuper amiſſi ego ſuſcipere partes, ego vicem debeo implere. Doleo enim & illum immatura morte indigniſſime [4] raptum, & hunc optimi fratris adjumento deſtitutum, ſoliſque amicis relictum. Quibus ex cauſis exigo, ut venias, & ſuffragio meo tuum jungas; permultum intereſt mea, te oſtentare & mecum [5] circumire. Ea eſt aucto-

populo adempta, quod aperte taxat Juvenalis dicens:

— Nam pridem ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effugit curas, nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones: omnia, nunc ſe
Continet. —

Catan.

1 *Paravit amicos.*] Faciunt hîc Q. Ciceronis verba ad M. Fratrem: *Amicorum ſtudia beneficiis & officiis & vetuſtate & facilitate, ac jucunditate natura parta eſſe oportet.* Mamertinus pro Conſulatu: *Quis ignorat tum quoque, cum honores populi Rom. ſuffragiis mandabantur, multos fuiſſe candidatorum labores. Ediſcenda omnium nomina tribuum, homines atque etiam ſinguli ſalutandi: prenſandæ obviorum manus, omnibus arridendum: non ſolum cum infimis, ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda.* Idem. (Pone ex Valent. Acidal. *omnes atque ſinguli*, pro eo, quod vulgo legitur *homines atque etiam ſinguli.*)

2 *Me certe.*] Ordo eſt, certe delegit me ad amorem & imitationem, ut primum permiſit ſibi judicare, id eſt, profecto elegit ut me amaret & imitaretur, quamprimum judicium fecit de me. *Catan.*

3 *Dicenti mihi.*] Agenti in foro cauſas: hoc enim hoc loco *dicere* eſt: *recitanti*, in auditorio declamanti. Et nota ibi *aßiſti*, hic *aßideri*. In foro enim ſedebant tantum judices, dicentes ſtabant: itaque illi etiam, qui proſecuti ipſos eo erant honoris cauſa. In Auditorio vero non auditores modo per ſubſellia, ſed ipſi dicentes in ſellis & cathedris etiam conſidebant, & iis proximi, ut hic locus indicat, amici & familiares. Vide, ſi lubet, Creſollium lib. III. Theatri Rhetorum cap. XIII. *Buchner.*

4 *Raptum.*] Rapi proprie dicuntur juvenes, quorum funera ſunt immatura. Scatent hujus verbi innumera apud auctores exempla. *Catan.*

5 *Circumire.*] Ambire ſuffragia. *Idem.* *Circumire.*] Tribus congregatas in campo, & commendare iis Candidatum, ut pro eo ſuffragium ferant. *Buchner.* *Et mecum circumire.*] Quod hic notat

auctoritas tua, ut putem me efficacius tecum etiam meos amicos rogaturum. Abrumpe, si qua te retinent. hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas postulat. Suscepi Candidatum & suscepisse me notum est: ego ambio, ego periclitor. In summa, si datur Nasoni quod petit, illius honor: si negatur, mea [1] repulsa est. *Vale.*

VII. C. PLINIUS CALPHURNIÆ SUÆ S.

Respondet uxori Calphurniæ, quæ tunc erat in Campania, se non minori desiderio pro illa teneri, quam illa pro se.

SCribis te absentia mea non mediocriter affici: unumque habere solatium, quod pro me libellos meos teneas, sæpe etiam [2] in vestigio meo colloces: gratum est, quod nos requiris, quod his [3] fomentis acquiescis. invicem ego epistolas tuas lectito, atque identidem in manus quasi novas sumo; sed eo magis ad desiderium tui accendor. Nam cujus literæ tantum habent suavitatis, hujus sermonibus quantum dulcedinis inest? Tu tamen frequentissime scribe, licet hoc ita me delectet ut [4] torqueat. *Vale.*

VIII.

notat *Buchnerus*, recte se haberent, si Plinius scripsisset ante principatum Tiberii. Nam sub hoc comitia in curiam translata, & tribus in Campo prensari desierunt. *Gronov.*

1 *Repulsa.*] Dedecus, contumelia. Qui enim patiebantur repulsam, despecti & contempti credebantur. *Cat.*

2 *In vestigio.*] Ea lecti parte qua alias ego cubare soleo præsens. *Buchner.*

3 *Fomentis.*] Solatiis, medelis. *Catan.* Eodem modo Cicero 2. Thuscul. *Hæc sunt solatia, hæc fomenta summorum dolorum.* Idem 2. de Finibus: *Fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.*

4 *Torqueat.*] Quia tunc magis subit recordatio, non licere mihi coram frui tanta voluptate. *Catan.* *Torqueat.*] Desiderium tui injiciens. Respicit ad id, quod supra dixerat: *Invicem ego epistolas tuas lectito, &c. sed eo magis ad desiderium tui accendor.* Buchner.

VIII. C. PLINIUS PRISCO SUO S.

Prisco suo enarrat amicitiam suam ab adolescentia cum Attilio Crescente: quod eo tendit, ut Priscus solicitet Maximum Valerii Vari hæredem reddere cum usuris pecuniam, quam Varus Attilio debuerat.

ATtilium Crescentem & nosti & amas. Quis enim illum [1] spectatior paulo, aut non novit, aut non amat? Hunc ego non ut multi, sed arctissime diligo. [2] oppida nostra unius diei itinere dirimuntur, ipsi amare invicem, qui est flagrantissimus amor, adolescentuli cœpimus. mansit hic postea, [3] nec refrixit judicio, sed invaluit. Sciunt qui alterutrum nostrûm familiarius intuentur. Nam & ille amicitiam meam latissima prædicatione circumfert, & ego præ me fero, quam sit mihi curæ modestia, quies, securitas ejus. Quin etiam cum insolentiam cujusdam tribunatum plebis inituri vereretur, idque indicasset mihi, respondi:

Οὔτις

1 *Spectatior paulo.*] Dignior, & paulo clarior tanquam si diceret, notus & prædilectus est omnibus viris auctoritate præditis, qualis tu es. *Catanæus.*

2 *Oppida nostra.*] Patria utriusque. Oppida juxta Comum sunt, quæ uno die inde possunt adiri, Bergomum, Laus Pompeja, Novaria, sed præcipue Mediolanum. Quare adducor Attilium Crescentem potius fuisse Mediolanensem, vel ob illam vetustam memoriam in cœnobio Divi Ambrosii Mediolani, Attilus A. F. CRESCENS. V. P. TABULARIO PALATI. Illæ autem literæ V. P. significant virum perfectissimum: qui dignitatis gradus repetitur in Institutionibus Justiniani. *Idem. Oppida nostra.*] Utriusque patria. Vetus Scholiastes ad illud Juvenal. Satyr. 1. Venusina digna lacerna: *Venusinam ideo dicit, quia hæc fuit civitas Horatii.* Intelligit patriam Horatii Venusium fuisse, & itaque *Venusina lucerna* Poëtam, Horatii in componendis Satyris studium, designasse. Similiter & sua cujusque dicebatur civitas, ubi quis domicilium habebat. Ita Capernaum apud Matthæum cap. IX. ἰδία Christi πόλις appellatur. Cujus locutionis in Jure Romano etiam extare exempla, Summus Vir, Hugo Grotius, ad eum locum observavit. *Buchner.*

3 *Nec refrixit judicio.*] Postquam pervenimus ad eam ætatem qua judicare potuimus, non diminutus est amor, quod alius alium indignum amicitia judicaret: sed potius crevit. *Catan.*

1 Οὔτις

[1] Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

Quorsum hæc? Ut scias non posse Attilium, me incolumi, injuriam accipere. Iterum dices: Quorsum hæc? Debuit ei pecuniam [2] Valerius Varus: hujus est hæres Maximus noster, quem & ipse amo: sed conjunctius tu. Rogo ergo, exigo etiam pro jure amicitiæ, cures, ut Attilio meo salva sit non [3] sors modo, sed etiam [4] usura plurium annorum. Homo est alieni abstinentissimus, sui diligens, nullis quæstibus sustinetur, nullus illi, nisi ex frugalitate reditus. Nam studia, quibus plurimum præstat, ad voluptatem tantum & gloriam exercet: gravis est ei vel minima jactura, quia reparare quod amiseris gravius est. Exime hunc illi, exime hunc mihi scrupulum: sine me suavitate ejus, sine [5] leporibus perfrui. Neque enim possum

1 Οὔτις ἐμεῦ.] Nullus, me vivente & super terram intuente (id est, fruente luce) tibi cavas apud naves manus infestas inferet. Ex Il. α. ubi sequitur: Συμπάντων Δαναῶν. Qui Genit. jungitur cum οὔτις, id est: Nullus ex omnibus Græcis. Sed in quibusdam exemplaribus harum Plinii Epist. legitur tantum Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος. Et magis verisimile est eum, principium duntaxat loci notissimi attulisse, ut solet etiam Cicero. *Stephanus*.

2 *Valerius Varus.*] Vari Syriæ præfecti meminit Josephus. *Catan.*

3 *Sors.*] Prima pecunia, cui supercurrit Fœnus, quod vulgo Capitale dicitur non absurde. *Idem.* Quia vero oraculorum aliquod genus, quorum duo facit Cic. l. 1. De Divinat. & alterum, quod æquatis & paribus sortibus è sitella ducebatur, *sortis* nomine & *Oraculum* venit. Quanquam inter *sortem* & *sortes* hoc interfit, quod *sortes* velut tessellæ quædam aut taleolæ lineæ inscriptæ fuerant, ipsa sortis instrumenta: *Sors* autem ipsa sortitio. Cic. *Et sortes ipsas, & cætera, quæ ad sortem parata erant, disturbavit.* Confer Turneb. Adversl. lib. v.

4 *Usura.*] Reditus & fructus, qui percipitur ex usu alicujus rei, Papinianus de usuris & fructibus cum in judicio bonæ fidei disceptatur arbitrio judicis, usurarum modus ex more regionis ubi contractum est, constituitur, ita tamen ut legi non offendatur. (Fœnus cohibitum est ab antiquis: nam primo duodecim tabulis sancitum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, deinde rogatione tribunitia ad semiuncias redactum, postremo vetita usura, multisque plebiscitis obviam itum. postremo insecuta est lex dictatoris Cæsaris, si Tacito credimus, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavebatur.) *Catan.*

5 *Leporibus.*] Facetiis, venustate. Lepos enim auctoribus Donato & Cicerone, venustas & festivitas est: unde mimo illi quod gratiose saltaret & eloqueretur, nomen inditum Lepori, Lepidus autem, qui politus est. *Idem.*

possum tristem videre, cujus hilaritas me tristem esse non patitur. In summa nosti facetias hominis: quas velim attendas, [1] ne in bilem & amaritudinem vertat injuria. quam vim habeat offensus, crede ei, quam in amore habet. Non feret magnum & [2] liberum ingenium cum contumelia damnum. Verum ut ferat ille, [3] ego meum damnum, meam contumeliam [4] vindicabo: sed non tanquam pro mea, hoc est gravius, irascar. Quanquam quid denunciationibus & quasi minis ago? Quin potius ut cœperam, rogo, oro, des operam, ne ille se, quod validissime vereor, [5] à me, ego me neglectum à te putem. Dabis autem, si hoc perinde curæ est tibi, quam illud mihi. *Vale.*

IX. C. Plinius Tacito Suo S.

Respondet Tacito Nasonem candidatum sibi commendanti, & nescio quantopere illum suscepisset.

Commendas mihi Julium Nasonem Candidatum. Nasonem mihi? quid si [6] meipsum? Fero tamen & ignosco. eundem enim commendassem tibi, si te Romæ morante, ipse abfuissem. Habet hoc solicitudo, quod omnia necessaria putat. Tu tamen censeo alios roges: ego precum tuarum minister, adjutor, particeps ero. *Vale.*

X. C. Pli-

1 *Ne in bilem aut amaritudinem vertat injuria.*] Ne irritatus ingenii vim à facetiis, in quibus multum facit, ad convicia vertat: æque futurus amarus ac mordax jam iratus ac tumens; quam festivus & lepidus, cum hilaris ac remissus. Quid *amaritudo* sit, supra diximus. *Buchner*.

2 *Liberum ingenium.*] Libertate dicendi utens, non blandiens, sed fortiter loquens. Senec. in Proverbiis, *Contumeliam nec fortis potest, nec ingenuus pati.* Item, *Ingenuitas non recipit contumeliam.* Catan.

3 *Ego meum damnum.*] Videtur excidisse particula, cum esset: *verum, ut ferat ille, ego, ut meum damnum, meam contumeliam, vindicabo.* Gronov.

4 *Vindicabo.*] Id est ulciscar. *Cat.* *Vindicabo.*] Sic Vetus editio anonyma, & placuit Catanæo. Ceteræ *judicabo* aut *indicabo*, minus nervose. *Gruter.*

5 *A me.*] Sc. putet neglectum, quod non commendaverim diligenter negocium ejus apud te. quod fieret si nihil cum Maximo perfeceris. *Catanæus.*

6 *Meipsum.*] Mihi commendasses. tanquam inferat, Nasonem æque diligo ac meipsum. *Idem.*

1 Vil-

X. C. PLINIUS ALBINO SUO S.

Conqueritur, Virginio Rufo viro nunquam satis laudato post decimum mortis annum nondum absolutum sepulchrum.

CUm venissem in socrus meæ [1] villam Alsiensem, quæ aliquando Rufi Virginii fuit, ipse mihi locus optimi illius & maximi viri desiderium non sine dolore renovavit. Hunc enim incolere secessum, atque etiam senectutis suæ nidulum vocare consueverat. Quocunque me contulissem, illum animus, illum oculi requirebant. libuit etiam [2] monumentum ejus videre, & vidisse pœnituit. Est enim adhuc imperfectum, nec difficultas operis in causa, modici, ac potius exigui, sed inertia ejus, cui cura mandata est. Subit indignatio cum miseratione: post [3] decimum mortis annum reliquias, neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur. At ille mandaverat, caveratque, ut divinum illud & immortale [4] factum versibus inscriberetur:

Hic

1 *Villam Alsiensem.*] Villæ Alsiensis fit mentio apud Ciceronem pro Milone. Valerius autem inquit: M. Æmilium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine nimis sublime extructæ *villæ in Alsiensi* agro, populus Romanus gravi mulcta affecit. Nam *Alsium* si Dionysio in antiquitatibus credimus, Pelasgi cum Aboriginibus incoluere. Olim sic dictum, postea Agilla scribente Plinio. *Alsium* autem ab Aleso conditore nomen accepit Silio dicente lib. VIII.

Nec non Argolico dilectum littus Aleso Alsion. ——— Catan.

2 *Monumentum.*] Ulpianus ff. xI. sepulchrum est ubi corpus mortui ossave hominis condita sunt: *monumentum* autem dicitur, quod memoriæ servandæ causa exstat. Marcellus titulo de sumptibus funerum. *Monumentum* sepulchri id esse divus Adrianus rescripsit, quod munimenti, id est muniendi ejus loci causa factum sit, in quo corpus impositum sit. Florentinus ibidem: *Monumentum* generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua corpus vel reliquiæ si inferantur, fiet sepulchrum: si vero nihil eorum, monumentum erit, quod Græci cenotaphium appellarunt. Alii monumentum ad memoriam posteritatis, & quicquid ad memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta & carmina. *Idem.*

3 *Decimum mortis annum.*] Per hoc apparet multorum annorum epistolas collegisse Secundum, & diu fuisse sub Trajano, cum alibi Virginii funus celebret, & mortem epistola lugeat. *Idem.*

5 *Factum.*] Quod cum sæpe à legionibus, quibus præerat dictus esset

[1] *Hic situs est Rufus*, [2] *pulso qui Vindice quondam,*
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Tam rara in amicitiis fides, [3] tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere, omniaque [4] hæredum officia præsumere. Nam cui non est veredum, quod videmus accidisse Virginio? cujus injuriam ut indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas facit. *Vale.*

XI. C. PLI-

Imperator, præsertim post interitum Julii Vindicis abnuit, palamque professus non passurum se quenquam imperare, nisi quem Senatus elegisset. *Catan.*

1 *Hic situs est.*] Hujus distichi sensum leges apud Dionem, ex quo nos ista traduximus. Nerva Virginium sæpius Imperatorem nominarum non timuit in Consulatu collegam sibi assumere. In Virginii mortui tumulo tale incisum fuit epitaphium, quod cum vicisset Vindicem, IMPERIUM NON SIBI ASSERUIT, SED PATRIÆ. *Idem.*

2 *Pulso Vindice.*] Omnibus à Nerone ad Galbam deficientibus, Virginius Rufus, qui in Gallia Germanicis copiis præerat cum Julio Vindice conflixit: utrique duces à suis exercitibus, veluti aurigæ, qui frenis dominari non possunt, ad bellum acti: Vindice autem seipsum interimente inter viginti millia Gallorum, qui ceciderant, exivit rumor perinde atque omnes vellent ob hujusmodi victoriam ut Virginius imperium admitteret: at is tunc iisdem quibus initio cogitationibus insistens, electionem Imperatoris Senatui reservabat: sed mortuo Nerone multi rursus, & quidam ex iis Tribunis, qui erant in tabernaculo, districto ense jubebant Virginio, vel imperium, vel ferrum admittere: sed postquam à Senatu Galba Imperator creatus est, vix persuasit militibus, ut eundem principem dicerent, Flaccoque Ordeonio legionem tradidit. Hæc Plutarchus. *Idem.*

3 *Tam parata oblivio.*] Cui malæ consuetudini occurrens Menedemus philosophus post defunctum Asclepiadem amicissimum sibi cum ejus amicus ad convivium venisset, arcerentque illum januis adolescentes, memor etiam post fata Asclepiadis jussit hospitem introduci, dicens, *Asclepiades etiam sepultus ei januas aperit.* Idem. *Tam parata oblivio.*] Tam facilis. Causa est quod libentius homines viventes reverentur & colunt, qui & prodesse possunt. Et solent plerique sua commoda primo loco habere. De hoc & supra queritur Epist. VI. hujus libri. *Buchnerus.*

4 *Hæredum officia.*] Titulus est lib. XI. ff. ubi cavetur ex dignitate funerari ab hærede funera fieri. Nam etiamsi quid impensæ in marmore factum sit, funeris est. Orta autem hæc actio ex bono & æquo. Papinian. ff. v. quamvis stricto jure nulla teneantur actione hæredes ad monumentum faciendum, tamen pontificali auctoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis. *Catan.*

1 APU-

XI. C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

Gratulatur Fuſcum Salinatorem, & Numidium Quadratum juvenes, apud præfectum urbis egiſſe ad imitationem ſui cum ſumma laude & gloria.

O DIEM lætum! adhibitus in conſilium [1] à præfecto urbis audivi ex diverſo agentes ſummæ ſpei, ſummæ indolis juvenes duos, [2] Fuſcum Salinatorem, & [3] Numidium Quadratum, egregium par, nec modo temporibus noſtris, ſed literis ipſis ornamento futurum. Mira utrique probitas, conſtantia ſalva,

1 *A præfecto urbis.*] Tacitus lib. v. teſtatur, primo ſub regibus moxque ſub magiſtratibus, ne urbs ſine imperio foret, deligi ſolitos, qui jus redderent ac ſubitis mederentur. Cæterum Auguſtum bellis civilibus Cillinium Mecœnaten, equeſtris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præpoſuiſſe: mox ipſo rerum potito primum Meſſalam Corvinum eam poteſtatem paucos intra dies quaſi neſcium exercendi tenuiſſe. Tum Taurum Statilium quanquam provecta ætate egregie toleraſſe. Dein L. Piſonem per viginti annos eam præfecturam geſſiſſe. Ulpianus v. ff. 1. omnia crimina præfectura urbis ſibi vindicavit: nec tantum ea quæ intra urbem admittuntur, verum ea quoque quæ extra urbem intra Italiam. Vide initium Epiſtolæ divi Severi, miſſæ ad Fabium Chilonem præfectum urbis. *Catanæus.*

2 *Fuſcum Salinatorem.*] Quem in epiſt. Trajanus teſtatur virum clariſſimum, & plurimum auctoritate apud ſe valuiſſe. Hic eſt ille Salinator, cui poſtea Servianus filiam deſtinavit, & domo patricia genitus, parentes habuit honeſtiſſimos, vir eruditus & eloquens: puer ſimplicitate, comitate juvenis, gravitate ſenex. Fuſcum refert Spartianus in ſumma deteſtatione habitum, quod imperium præſagiis & oſtentis agitatis ſperaret. Ad Fuſcum lib. VIII. Secundi leges binas epiſtolas ſcriptas. Salinatori primum cognomen inditum M. Livio, quia in cenſura novum vectigal ex ſalaria annona ſtatuit. *Idem.* Conf. *Iſ. Caſaub. not. ad Spartian. p.* 39.

3 *Numidium Quadratum.*] Cujus alibi fit mentio. Hic dilectus familiariſſime à Secundo hæres relictus ex beſſe à Numidia Quadrantilla avia, conſpicuus forma fuit, & omnes ſermones malignorum puer & juvenis evaſit: intra XX. annum maritus apud aviam tanta ſeveritate vixit, ut pantomimos illius nunquam ſpectaverit. Lego apud Spart. Quadratum cum Candido geſſiſſe Conſulatum. Quadrati hiſtorici meminit Dion in vita Ant. Pii & Capitolinus cum Vulcatio. Quadratum graviter inſecutus eſt Adrianus, in cujus vita, quam Spart. Latinam ſcripſit, legendum arbitramur, Numidium Quadratum, non *Vinidium.* Sic in Ant. philoſopho apud Julium Capitolinum non *Mummium*: cui ſororis ſuæ filio Antoninus Pius moriens bonorum maternorum partem

ſalva, [1] decorus habitus, [2] os planum, vox virilis, [3] tenax memoria, magnum ingenium, [4] judicium æquale, quæ ſingula mihi voluptati fuerunt: atque inter hæc illud quòd & ipſi me ut rectorem, ut magiſtrum intuebantur: [5] & ii qui audiebant me æmulari, meis inſtare veſtigiis videbantur. O diem (repetam enim) lætum, notandumque mihi [6] candidiſſimo calculo! Quid enim aut publice lætius quam clariſſimos juvenes nomen & famam ex ſtudiis petere? aut mihi optatius, quam me ad recta tendentibus quaſi exemplar eſſe propoſitum? Quod gaudium, ut perpetuo capiam, [7] deos oro: ac eoſdem teſtes peto, ut omnes qui me imitari tanti putabunt, meliores eſſe quam me, velint. *Vale.*

XII. C. PLI-

tem reliquit. In monumentis Brixianorum legi,

L. ANTON. FAB. QUADRATUM DONATUM TORQUIBUS ET ARMILLIS.

Lampridius à Commodo occiſum Quadratum memorat, quod de eo interficiendo conſilium iniiſſet: ſed hanc hiſtoriam melius explicat Herodianus, quanquam opiner fuiſſe filium illius Numidii Quadrati. *Catan.*

1 *Decorus habitus.*] Cultus in oratore debet eſſe ſplendidus & virilis. Nam toga calceus & capillus, tam nimia cura quam negligentia ſunt reprehendenda. Lege quæ ſequuntur apud Fab. lib. XI. *Idem.*

2 *Os planum.*] Experta pronunciatio. Nam Fab. præcipit os facile & expeditum oratori habendum, & Secundus in Regulo notavit in actione os confuſum, Si leges *os Latinum*, interpretaberis Romanum ſermonem. *Id.* *Os planum.*] Sic Palat. ſic omnes edd. ante Aldinam, quæ nobis objecit *os Latinum.* Gruter.

3 *Tenax memoria.*] Qua omnes diſciplinæ continentur. hinc non immerito theſaurus eloquentiæ dicitur. Si quis unam maximamque artem memoriæ quærat, exercitatio eſt & labor, multa ediſcere, multa quotidie ſi fieri poteſt cogitare. *Catan.*

4 *Judicium.*] Secundum Diomedem eſt, quo omnem orationem recte, vel minus quam recte pronunciatam ſpecialiter judicamus. vel eſt æſtimatio, qua poëma cæteraque ſcripta perpendimus, adeo partibus omnibus orationis judicium connexum eſt ac mixtum, ut ne ſententiis quidem, aut verbis ſaltem ſingulis poſſit ſeparari; nec magis arte traditur, quam guſtus aut odor. *Idem.*

5 *Et ii qui audiebant me æmulari, &c.*] Malim *videbant.* Pal. non agnoſcit illud *ii.* Mediolanenſis editio, ut & noſtra anonyma habent, *Etiam qui audiebant.* quod perplacet. *Gruter.*

6 *Candidiſſimo lapillo.*] Mos deductus à Thracibus, qui dies fœlices albo lapillo, infœlices nigro notabant. *Cat.*

7 *Deos oro, &c.*] Hæc eſt ſcriptura Palatini, omniumque editionum ante Aldinam, quæ nobis dederat: *Deos oro, ab iiſdem, teſte te, peto, ut omnes* non male; ſi liceret in alterius opere exercere petulantiam. *Gruterus.*

1 Ve-

XII. C. PLINIUS FABATO PROSOCERO SUO S.

Binis Fabati Prosoceri literis respondet, prioribus, quod suscipiet defendendum Priscum apud centumviros: posterioribus, quod libenter recordatur conviciorum in se, quamvis injustorum.

TU vero non debes suspensa manu commendare mihi, quos tuendos putas. Nam & te decet multis prodesse, & me suscipere quicquid ad curam tuam pertinet. Itaque [1] Vectio Prisco quantum plurimum potuero præstabo, præsertim [2] in arena mea, hoc est apud Centumviros. Epistolarum, quas mihi, ut ais, aperto pectore scripsisti, oblivisci me jubes: at ego nullarum libentius memini. Ex illis enim vel præcipue sentio quantopere me diligas, cum sic [3] exegeris mecum ut solebas cum tuo filio. Nec dissimulo, hoc mihi jucundiores eas fuisse, quod habebam bonam causam, cum summo studio curassem, quod tu curari volebas. Proinde etiam atque etiam rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videbor, (nunquam enim cessabo) convitium facias. Quod & ego intelligam à summo amore proficisci, & tu non meruisse me gaudeas. *Vale.*

XIII. C. PLI-

1 *Vectio Prisco.*] De *Vectio*, & *Prisco* alibi diximus. Legitur etiam *Bettio Prisco*, quem vidimus in memoriis antiquis agri Comensis. *Catan.*

2 *In arena mea.*] Translative arenam suam dixit agendi usum frequentatum apud centumviros, sic Juvenalis,

— Lentaque fori pugnamus arena.

Nam plurimas causas egit apud centumviros, suo & Martialis testimonio. *Catan.*

3 *Exegeris.*] Hoc est debitum petieris. Nam exigere pecuniam dicimus quæ nobis debetur. *Idem.* *Exegeris.*] Alia exemplaria habent *egeris mecum*, quomodo & Catanæus videtur legisse. Sic Senec. de Controvers. *Agere mecum dementiæ etiamnum non pates.*

XIII. C. PLINIUS URSO SUO S.

Cum obtinuisset Varenus, ut sibi liceret evocare testes, Bithyni conati sunt invertere Senatusconsultum per Trajanum, à quo remissi fuerunt ad Senatum.

UNquamne vidisti quenquam tam laboriosum & exercitum, quam Varenum meum? cui, quod summa contentione impetraverat, defendendum, & quasi rursus petendum fuit. Bithyni Senatusconsultum apud [1] Consules carpere & labefactare sunt ausi, atque etiam [2] absente Principe criminari: ab illo ad Senatum remissi, non destiterunt. Egit Claudius Capito irreverenter magis quam constanter, ut qui ipsum Senatusconsultum apud Senatum accusaret. Respondit Fronto Catius graviter & firme: Senatus ipse mirificus. Nam illi quoque qui prius negarant Vareno quæ petebat, eadem danda, postquam erant data, censuerunt. Singulos enim, [3] integra re, dissentire fas esse, peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum. Acilius tantum Rufus, & cum eo septem an octo? septem immo, [4] in priore sententia perseverarunt. Erant in hac paucitate nonnulli, quorum [5] temporaria gravitas, vel potius gravitatis imitatio ridebatur.

1 *Consules.*] Nota impudentiam Bithynorum, qui quod Consules & Senatus decrevissent, auderent apud eosdem carpere. *Catan.*

2 *Absente.*] Qui tunc à Senatu aberat. Legitur non absurde, *Absenti principi*: ut sit sensus, cum rejecti fuissent à Consulibus; confugerunt ad Trajanum, qui tunc non interfuerat Senatui, verum ab illo ad patres remissi sunt. Quidam legunt *absentem*, scilicet Varenum, qui dum accusaretur apud Trajanum, non aderat. *Idem.*

3 *Integra re.*] Nondum decreto Senatusconsulto. *Idem.*

4 *In priore sententia.*] Ut non liceret Vareno testes evocare. *Idem.*

5 *Temporaria.*] Momentanea, & ad breve tempus. Annotavimus hoc verbum bis apud Asinum Apuleji poni in eundem sensum. Nam lib. VII. *temporariam sedem*, & XI. *larem temporarium* dixit: Secundus pariter in panegyrico: *Non ergo temporarium & subitum est.* & Seneca primo epistolarum *temporarias amicitias ad tempus breve comparatas.* & Ulpianus de tutoribus, & curatoribus datis *temporarium* tutorem. Sic Paulus de usufructu, indictiones *temporarias.* & *temporarium* exilium, non in perpetuum, sed ad tempus aliquod irrogatum. Item Ulpianus de aqua quotidiana temporariam possessionem. Ac alibi effractores in opus publicum, vel per-

debatur. Tu tamen æstima quantum nos in ipsa [1] pugna certaminis maneat, cujus quasi [2] prælusio atque præcursio has contentiones excitavit. *Vale.*

XIV. C. PLINIUS MAURICO SUO S.

Promittit adventum suum Maurico in prædium Formianum, modo nihil incommodetur.

SOlicitas me in Formianum. Veniam ea conditione, ne quid contra commodum tuum facias: qua pactione invicem mihi caveo. Neque enim [3] mare & littus, sed te, ocium, libertatem sequor: alioqui satius est in urbe remanere. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium, aut ad suum facere: mei certe stomachi hæc natura est, ut nihil nisi totum & [4] merum velit. *Vale.*

XV. C. PLINIUS ROMANO SUO S.

Exemplo Paßieni monet Voconium recitationibus non adhibendos nisi sanæ mentis auditores. Ille enim dum elegos recitaret, intempestive à Javoleno est interpellatus.

MIrificæ rei non interfuisti: ne ego quidem [m]; sed me

perpetuum, vel temporarium dari solere. *Idem.*

1 *Pugna.*] Contentione. In vetusto exemplari legitur, *Tu tamen existima quantum prælium, quanta pugna certamini maneat.* Idem. *In ipsa pugna certaminis.*] Sic recte Palat. & edd. vett. exclusis cæteris. *Gruterus.*

2 *Prælusio.*] Præmeditatio, præcentio, ut assolent citharœdi antequam cantum exordiantur, præludium emerendi favoris gratia præmittere. Sic tyrones priusquam in veram pugnam descendant, præexercent se ad palum & cursum: quo verbo Virg. utitur in tauro se ad pugnam incitante, & Juvenalis *jurgia præludunt*, id est incipiunt antequam ad veram pugnam veniant. *Catan.*

3 *Mare & littus.*] Loci amœnitatem, quæ pluribus à Mart. celebratur. Sunt autem Formiæ juxta Cajetam & Terracinam in littore ad mare Tyrrhenum. *Idem.*

4 *Merum.*] Solum. Sensus est, sum ea natura, ut vellem nisi uno occupationis genere teneri: verbi causa in urbe amicis inservire, ruri ociari. *Idem.*

1 *Recens*

me [1] recens fabula excepit. [2] Paſſienus Paulus ſplendidus eques Romanus, & imprimis eruditus, ſcribit elegos. [3] gentilium hoc illi. Eſt enim [4] municeps Propertii, atque etiam inter majores ſuos Propertium numerat. Is cum recitaret, ita cœpit dicere, [5] *Priſce jubes?* Ad hoc [6] Jabolenus Priſcus, (aderat enim ut Paulo amiciſſimus) *Ego vero non jubeo.* Cogita qui riſus hominum, [7] qui joci. Eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis: intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam jus civile publice reſpondet: quo magis quod tunc fecit, & ridiculum & notabile fuit. Interim Paulo [8] aliena deliratio ali-

1 *Recens fabula excepit me.*] Audita nuper fabula me excitavit. Fuit in ſecunda lectione, *Mirifica rei interfuiſti-ne? ego quidem, ſed mærens.* Ut cum triſtitia huic fabulæ interfuiſſet Plinius. *Idem.*

2 *Paßienus Paulus.*] Vir optimus & honeſtiſſimus, qui veteres in literis æmulabatur. Elegos ſcripſit ad imitationem Propertii, unde genus trahebat: demum ad lyrica ſe convertit, in quibus Horat. effinxit. Patrem habuit Paſſienum nobilem declamatorem: cujus Euſebius in chronicis & frequenter Senec. meminere. Gellius L. Paulum poëtam memoria ſua doctiſſimum nominat, & alibi Julium Paulum poëtam virum bonum literarumque ac veterum impenſe doctum. Jabolenum autem fuiſſe Pauli præceptorem ff. xl. de manumiſſ. teſtatur, *Idem.*

3 *Gentilium.*] Aliter *Gentile*, ſed magis probo *gentilium*, quod vidimus in antiquo cod. nam *gentile* eſt, quod ex eadem familia eſt, *gentilitium* quod pertinet ad jus familiæ: ſicut familiæ Propertianæ proprium erat elegos ſcribere. & *gentilitia* ſacerdotis à priſcis appellata, quod ædis aut ſacelli juris eſſent à patre familias, ea ratione erecti dedicatique ut & ſacrorum cura, & fructuum ipſius ſacerdotii perceptio ad ſolam gentem familiamque ſuam perpetuis ſucceſſionibus devolveretur. *Idem.*

4 *Municeps Propertii.*] Ex Mevania oppido Umbriæ, patria Propertii. Pepinius in Sylvis

—— Umbroque Propertius antro.

Idem.

5 *Priſce jubes.*] Principium operis Paſſieni. *Idem.*

6 *Jabolenus Priſcus.*] In ff. ubique ſcribitur *Jabolenus* non *Javolenus*, pariter apud Capitolinum. Fuit enim Juriſconſ. quo uſus eſt cum multis aliis Antoninus Pius, & Pomponius de origine juris, *Priſcus*, inquit, *Jabolenus Sabino ſucceßit in ſcientia juris.* Idem.

7 *Qui joci.*] Exorti ſint inter præſentes. Scribit Tranquill. Claudium Imp. cum initio recitationis hiſtoriæ ſuæ deffractis compluribus ſubſelliis obeſitate cujuſdam riſus exortus eſſet, ne ſedato quidem tumultu temperare potuiſſe, quin ex intervallis ſubinde facti reminiſceretur, cachinnoſque revocaret. *Idem.*

8 *Aliena deliratio.*] Jaboleni inſania. Lirare autem, auctore Varrone, eſt cum tertio arant jacto ſemine boves, id eſt cum tabellis ad vomerem. ſimul & ſatum frumentum operiunt. in porcis, & ſulcant foſſas, qua pluvia-lis

[1] aliquantum frigoris attulit. Tam ſolicite recitaturis providendum eſt, non ſolum ut ſint ipſi ſani, verum etiam ut ſanos adhibeant. *Vale.*

XVI. C. PLINIUS TACITO SUO S.

***Corn.** Tacito hiſtorias ſcripturo, petentique obitum avunculi ſui, etiam cauſam ejus altius repetit, ubi illius conſtantiam, ac animi fortitudinem mirum in modum probat.*

PEtis ut tibi avunculi mei exitum ſcribam, quo verius tradere poſteris poſſis. gratias ago. Nam video, morti ejus, ſi celebretur à te, immortalem gloriam eſſe propoſitam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, [3] ut populi, ut urbes memorabili caſu, quaſi ſemper victurus occiderit: [4] quamvis ipſe plurima opera & manſura condiderit, multum tamen perpetuitati ejus ſcriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda aut ſcribere legenda: beatiſſimos vero quibus utrumque: horum

in

lis aqua dilabatur. Columella inquit, lirantur jugera cum in ſubacta jam terra latiores porcæ ſulcantur: lira vero eſt ſimilis ei porcæ, quam in ſationibus campeſtribus ruſtici faciunt. *Catan.*

1 *Aliquantum frigoris.*] Offenſiunculæ ac alienationis animorum. Ita enim *frigoris* ſive *friguſculi* vox aliquando ſumitur. Vide Caſaubonum ad Auguſtum Suetonii cap. LXVI. & Levinum Torrentium ibidem, item ad Claudii cap. XLI. *Buchner.*

2 *Quamvis enim.*] Ordo eſt, tamen æternitas tuorum ſcriptorum addet plura perpetuitati ejus: quamvis quaſi ſemper victurus occiderit memorabili caſu, ut populi, ut urbes occidunt clade pulcherrimarum magis terrarum. *Catan.*

3 *Ut populi, ut urbes.*] Nam populorum, & urbium excidia diutius memorantur, quam alicujus viri interitus. An quia in eo incendio populi & urbes interiere? *Idem.* *Ut populi, ut urbes.*] Lego *urbis.* Ideo autem hæc addit, quia frequentius accidunt populorum aut urbium clades, quam terrarum. Nobilitatur autem eorum mors, qui in aliqua inſigni ſtrage ceciderunt, vel memorabili alicujus urbis caſu. Catanæi vero interpretationi nullus aſſentior. *Caſaub.*

4 *Quamvis ipſe &c.*] Senſus: quamvis tali caſu memorando interierit, quali interdum populi, aut urbes pulcherrimæ concidunt: ut perpetuo victurus videatur: quamvis multa ſcripſerit, per quæ ſibi immortalitatem comparavit: tamen tu tuis ſcriptis facies eum æternum. *Catan.*

1 *Miſiti.*]

in numero avunculus meus & suis libris & tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam quod injungis. Erat [1] Miseni, [2] classemque imperio præsens regebat. Nono Calend. Septembr. hora diei fere septima, [3] mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata & magnitudine & specie. [4] Usus ille sole, mox frigida, gustaverat jacens, stude-

1 *Miseni.*] Promontorium & oppidum Misenum Cumis proximum. Strabo à Miseno socio Ulyssis dictum asserit, ab eo Prochytam, & Pithecusam crediderunt abruptam. Mela à milite Phrygio, sicut Dionysius à quodam illustri Trojano cognomen traxisse tradunt. Virg. à tubicine Æneæ Miseno sub eminenti monte sepulto, &c. Et Solini pat sententia inter auctores ab Æneæ tubicine Miseno Misenum appellatum. *Catan.*

2 *Classemque imperio regebat.*] Præerat classi, quæ stabat ad tutelam maris inferi, non per legatum, sed coram. Legimus apud Tranquill. & Tacitum, instituisse Augustum, classem unam Miseni, alteram Ravennæ: hanc ad superi, illam ad inferi maris tutelam. Hinc Tacitus memorat Misenensem classem à Galba ad Vespasianum transiisse. Sed Veget. lib. IV. hanc rem luculentius tractat. *Idem. Classemque imperio regebat, &c.*] Haud aliter quidem ab Aldo excusi, sed eo antiquiores, *regebat: Novemb. KL. hora &c.* Palatinus vero, *regebat nonum Kal. hora.* cui otium aliquod est, excutiet verum, mihi properanti, vix hæc licet committere papyro. *Gruterus.*

3 *Mater mea.*] Soror Plinii. *Cat.*

4 *Usus ille sole, mox frigida, &c.*] Sic malui cum Palat. quam ut in vulgatis, *frigidam gustaverat jacens.* Plinius enim diserte supra de ipso lib. III. ep. 5. Post solem plerumque frigida lavabatur, dein gustabat, dormiebatque &c. *Gruterus. Usus ille Sole, &c.*] Supra lib. III. Epist. V. eodem ordine de eodem: *Æstate, si quid otii, jacebat in Sole, &c.* Veteres inter quotidiana præsidia valetudinis quoque habebant, sedere in sole, jacere: ut hic Plinius; aut ambulare nudos, ut Spurinna: de quo noster supra lib. III. Epist. I. Hoc est, quod *Sole uti*, isto in loco Plinius vocat. Græcis hoc exercitationis genus ἡλίωσις & ἡλιοκαΐα dicebatur: Latinis *insolatio.* Nam *insolare*, apud Columellam est, in Sole ponere: Et *insolatio*, siccatio in Sole apud Plin. lib. XXI. Nat. Histor. c. XIV. Ac alii quidem uncti utebantur Sole, alii sine unctione. Quod *Solem assum* Cicero, ἥλιον ξηρὸν Plato, appellat: alterum *Solem unctum* dixit, ut præclare Casaubonus ad Persium observat. Huic curæ inservierunt opinor, *Solaria* etiam, sive *Heliocamini*, ut noster lib. II. Epist. XVII. vocat, quos in ædibus habebant, quorum apud Suetonium, Plautum & Ulpianum L. XVII. D. de servitutibus urbanorum prædiorum mentio fit. Post Solem igitur in cellam frigidariam descendit Plinius, & frigida ibi perfusus est. Spurinna post Solem exercebatur pila, deinde lavabatur. Etiam Seneca ab exercitatione in frigidam descendebat, ut ipse refert Epistol. LXXIII. Quod plus ostentationis, quam utilitatis habere, Plutarchus docet de sanitate tuenda. Augustus ungebatur sudabatque ad flammam: deinde perfundebatur aqua egelida, vel Sole multo calefacta, quod Suetonius de eo prodit. Noster de se l. IX. Epist. XXXVI. *Ambulo, ungor, exerceor, lavor.* Sequitur de gustatione. Cæterum gustare est leviter vesci, ut pane sicco, atque aut eo solo, aut cum palmulis

ſtudebatque: poſcit [1] ſoleas, aſcendit locum, ex quo maxime miraculum illud conſpici poterat. Nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, [2] Veſuvium fuiſſe poſtea cognitum eſt) oriebatur, cujus ſimilitudinem & formam non alia magis arbor quam [3] pinus expreſſerit. Nam

mulis aut acinis uvæ paſſæ. Auguſtus de ſe in Epiſtolis apud Suetonium: *Nos in eſſendo panem & palmulas guſtavimus.* Et rurſus: *dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.* Huc pertinet quod ſupra Plinius de avunculo prodit lib. III. *Interdiu*, inquit, *cibum levem & facilem veterum more ſumebat. Interdiu* eſt ante cœnam. *Veterum morem* vocat, quod jentaret tantum, aut ſi pranderet, id parce ac tenuiter faceret: tantum ut reficeret aliquantulum corpus, non ut expleret Ita enim ſolebant veteres, qui intemperantiæ deputabant, bis in die ſaturum fieri: quod vel Platonis locus indicat Epiſtola ad Dionis propinquos, quo Cicero quoque Tuſcul. v. uſus eſt, cum oſtendere vellet, ne mente quidem recte uti poſſe multo cibo & potione completos. Ex hac veterum diſciplina Horatius lib. I. Sat. VI. de ſe:

Pranſus non avide quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior.

Sed *guſtare* & *guſtatio*, proprie atque primario de jentaculo dicebatur, quod ὀ πτεῖν Salmaſius ad Vopiſci Tacitum docet. Quæ illuſtrandæ conſuetudini veterum, atque ut aliquot Epiſtolarum Plinii loca una exponerentur opera hic annotare in tyronum gratiam, non præter rem exiſtimabamus. *Buchnerus. Mox frigida, &c.*] Merito ſic hic locus reſtituendus, non tantum ex Grutero ſed & Salmaſio, cum ante vulgo, ſed abſque ſenſu legebatur: *Mox frigidam guſtabat, &c.* Utebantur enim ſole, frigida lavabantur, guſtabant, dein prandebant. Confirmat hanc lectionem Epiſt. v. lib. III. *Poſt ſolem plerumque frigida lavabatur, &c.* Confer Salmaſ. in notis ad Vopiſc. p. m. 419. Edit. Pariſ.

1 *Soleas.*] Tegumenta plantæ pedis, quas nunc ſuberes, à ligno interſuto vulgo dicimus, & Columella ſoleas ſparteas de ſparto confectas appellavit: à ſolea ſoleatus deducitur, quo Mart. utitur. Solea autem ex genere planorum piſcium, unde nomen traxiſſe id genus calceamenti autumo. *Catan. Soleas.*] Sidonius pro ſolea ſolum ponit in Paneg. deſcribens id cothurnorum genus, quod in antiquis ſtatuis videre eſt, in quo, ut Gellii verbis utar, plantarum calces tantum infime teguntur, cætera nuda, & teretibus habenis vincta ſunt. Vid. *Jac. Sirmond.* Ut vero ſoleæ calceorum loco ſumebantur viris, ſic fœminis ſandalia. Unde σανδάλια olim in nuptiis adhibita σύμβολον οἰκουρίας, ut docet Plutarch. in Quæſt. Rom. & ex eo Caſaub. ad Tranq.

2 *Veſuvium.*] Quem alii Veſevum, alii Vesbium, nonnulli Veſubium nominant, mons eſt Campaniæ cunctorum pulcherrimus, amœniſſimis habitatus agris, excepto cacumine. Id magna ex parte planiciem habet fructum omnino nullum ferentem, verum ſecundum Dionem arbores & Vites habet: & cineres in proſpectu oſtentans, cavernoſaque monſtrat antra combuſtis ex petris, ut color indicat, quas ignis abroſerit. Hæc Strabo & Eutropius. *Catan.*

3 *Pinus.*] Quæ incipit à trunco, deinde diffunditur in latum, poſtremo in acutum. *Idem.*

Nam longissimo velut trunco elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. credo quia recenti spiritu evecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem evanescebat: candida interdum, interdum sordida & maculosa, prout terram cineremve sustulerat. [1] Magnum propiusque noscendum [2] ut eruditissimo viro visum. Jubet [3] liburnicam aptari: mihi si venire una vellem, facit copiam. Respondi, studere me malle: & forte ipse, quod scriberem, dederat. [4] Egrediebatur domo, [5] accipit codicillos. [6] Retinæ classiarii imminenti periculo exterriti ([7] nam villa ea subjacebat, nec ulla nisi [8] navibus fuga) ut se tanto discrimine eriperet,

1 *Magnum.*] Res magnæ contemplationis. *Idem.*

2 *Ut eruditissimo viro.*] Qualis erat Plinius, qui cognitionem multarum rerum tenens insuper nova & magna conquirebat. *Idem. Ut eruditissimo.*] Malim *id eruditissimo viro visum.* Casaubonus.

3 *Liburnicum.*] Navem, diversæ provinciæ mari plurimum potuerunt quibusdam temporibus, & ideo diversa eis genera navium fuerunt: sed Augusto dimicante Actiaco bello, cum Liburnorum auxilio præcipue victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit Liburnorum naves cæteris aptiores: ergo similitudine & nomine usurpato earundem instar classem Romani principes texuerunt. Hinc lib. IV. Vegetius dixit liburnicis, quæ ad Campaniam stabant præfectus classis Misenatium erat. Eutropius liburnicas rostratas appellavit. Liburnia autem Dalmatiæ pars est Andecrinæ subjacens civitati, cujus exemplo nunc naves bellicæ fabricantur, & appellantur liburnicæ, remorum singulos ordines habentes paulo majores, binos idoneæ mensuræ, ternos vel quaternos, interdum quinos, Actiaco etiam prælio senos octonosque. *Catan.*

4 *Egrediebatur.*] Malim, *Egreditur domo, accipit cod.* nisi accipias pro, quum egrederetur domo, & referas ad illud *orabant*, quod sequitur. *Casaubonus.*

5 *Accipit codicillos.*] Quibus notaret, quæ oculis deprehenderat. *Buchnerus.*

6 *Retinæ classiarii.*] Milites qui erant Retinæ. Est autem hæc villa subjecta Miseno: cum cognovissent jussu præfecti parari Liburnicam ad inspiciendum Vesuvii incendium, orabant Plinium, ut non solum desisteret ab incœpto, sed etiam Miseno subterfugeret. Sunt autem classiarii milites comparati ad tutandam classem: de quibus lib. XV. Tacitus, *Primorum classiariorum Misenensium labore contixa est.* Cæsar III. commentariorum: *Equites prohibuerunt classiarios aqua.* Quanquam sciam à Modestio classiarios appellari buccinatores, qui cornu ducunt exercitum, non à classe dictos, sed à classico, quod canitur Imperatori. *Catan.*

7 *Nam villa ea.*] Pal. *nam villa ejus.* Vett. edd. *navicula ejus subjacebat.* Gruterus.

8 *Navibus.*] *Mari.* Catan.

1 Nu

peret, orabant. [1] Non vertit ille consilium, sed quod studioso animo inchoaverat, obit [2] maximo. [3] Deducit [4] quadriremes, ascendit ipse non Retinæ modo, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium. Properat illuc, unde alii fugiunt: rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu; ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, [5] dictaret enotaretque. Jam navibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior & densior, jam [6] pumices etiam, nigrique & ambusti, & fracti igne lapides. Jam [7] vadum subitum, ruina-

1 *Non vertit ille consilium.*] Vett. edd. etiam Aldina: *Vertit ille consilium, sed quod* absque negativa particula. *Gruterus.*

2 *Maximo.*] Franciscus tamen Petrarcha in triumphis suis, tanquam incautum in obitu suo Plinium monstrat. *Catan.*

3 *Deducit.*] Immittit mari: at subducit, extrahit. Contraria enim sunt inter se. *Idem. Deducit quad. &c.*] Periodus isthæc, aliquotque sequentes valde obscure, mireque in iis variant edd. vett. item Palatinus. *Gruter.*

4 *Quadriremes.*] Navigia habentia quatuor remorum ordines in singulis transtris. *Catan.*

5 *Dictaret.*] Diceret, quæ notarius exciperet. Nam illi semper ad latus erat, & quæ à Plin. scribenda dicerentur enotabat. *Idem.*

6 *Pumices.*] Auctore Plin. appellantur & cætera saxa erosa annis, quibus utuntur, & ad læviganda corpora. Græci pumicem *cisserim* vocant, si Suidæ credimus, levem & exsuccum perforatumque lapidem ponti. Vitruvius ex incendio Visuvii pumicem Pompejanum excocto lapidis genere in pumicis qualitatem redactum tradit. Pompeji autem oppidum non procul à Visuvio. Plin. lib. XIII. tradit nasci frutices lauro & thymo similes, qui ambo ejecti in pumicem transfigurantur. *Idem.*

7 *Vadum.*] Maris unda brevis. Ex ruina montis littus certe processerat, & mare in se resorberi, & tremore terræ quasi repelli videbatur, multaque maris animalia siccis arenis detinebantur. *Idem. Vadum.*] Duas causas affert, cur tenere littus non potuerit, & sic succurrere periclitantibus. Prima est *vadum subitum*: altera *obstantia litora montis ruina. Vadum*, unda brevis: sive ut Varro apud Servium describit, *ubi ab aqua summa non alta est terra.* Græci hujusmodi loca βράχεα vocant, quos imitatus Maro:

— *Tres*, inquit, *Eurus ab alto*
In brevia & Syrtes urget.

Mox enim hæc ipsa *vada* appellat. Subjicit enim *Illiditque vadis.* Alibi plene *vada brevia* dixit. Quia igitur brevior ibi unda agi naves non sinebat, desidere eas necesse erat *Subitum vadum* dicit, quod per tempestatem subito nascebatur, subducta per æstum & terræ motum unda. Infra Epist. XX. de hoc ipso casu: *mare in se resorberi & tremore terræ quasi repelli videbamus.* Hæc prima causa. Jam ruptus incendio & terræ motu Vesuvius mons multa atque ingentia saxa in littus & mare provolverat. Hoc *ruinam montis* vocat. Quæ cum non sinerent appel-

 lere

ruinaque [1] montis littora obstantia, cunctatusque paulum, an retro flecteret, mox gubernatori, ut ita faceret monenti, [2] *Fortes*, inquit, *fortuna juvat:* [3] *Pomponianum pete.* [4] Stabiis erat, diremptus sinu medio. Nam [5] sensim circumactis curvatisque littoribus mare infunditur. Ibi, quanquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, & cum cresceret, proximo, [6] sarcinas contulerat in naves, certus fugæ, si contrarius ventus resedisset: quo tunc avunculus meus secundissimo invectus complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: utque timorem ejus, sua securitate leniret, deferri se in balineum jubet, lotus accubat, cœnat, [7] atque hilaris, aut, quod est æque magnum, [8] similis hilari. Interim è Vesuvio

lere navem, sane obstabant littora, id agitanti. Hoc alterum est, quod institutum Plinii frustrabatur. quod illis verbis, *ruinaque montis obstantia littora* expressit noster. *Buchner.*

1 *Montis.*] Vesuvii. Quem scire debemus, non tantum conflagrasse sub Tito, auctoribus Orosio, Martiale, Eusebio in chronicis, Tranquill. in Tito, Papinio in sylvis, ac Dione in primis: sed sæpius ante, secundum Strabonem ac Vitruvium. Verum quia incendium Vesuvii maximum omnium sub Tito fuit, ideo Dion historicus hanc rem luculenter tractat. Hinc libro ultimo Silius,

Sic ubi vi cæca tandem devictus ad astra
Evomuit pastos per sæcla Vesuvius ignes,
Et pelago & terris fusa est Vulcania pestis. Catan.

2 *Fortes.*] Imitatio Virgiliana, qui lib. x. dixerat, *Audentes fortuna juvat.* An magis æmulatio Liviana, qui lib. VIII. belli punici refert: *fortes fortunam juvare?* Idem.

3 *Pomponium pete.*] Dirige cursum Stabias versus, ubi erat Pomponianus Plinii amicus, qui fugam parabat. *Idem.*

4 *Stabiis.*] Plinius in descriptione Italiæ: *Stabiæ*, inquit, *in agro Campano oppidum fuit usque ad Cn. Pompejum, & L. Carbonem Coss. à pridie Kal. Maji, quo die Sylla legatus bello sociali id delevit quod nunc in villas abiit.* Ejus ex agro decurrunt amœnissimi fluvii. *Idem.*

5 *Sensim.*] Non mirum si in tuto erat Pomponianus, quamvis in mari, cum illa loca habeant littora curva, quæ sinum tutum ab æstu reddant, & in ea paulatim mare infundatur. Nam Seneca monumentis reliquit ab altera parte Pompejorum Surrentinum Stabianumque littus, ab altera Herculanense convenire, & mare ex aperto circumductum amœnissimo sinu cingere. *Idem.*

6 *Sarcinas.*] Utensilia, quæ ad cultum pertinent. Interdum pro onere sumitur indiscrete. *Idem*

7 *Atque hilaris.*] Scribe *idque hilaris.* Casaubon.

8 *Similis hilari.*] Magni animi esse significat, non modo vacare metu in discrimine, & hilarem esse adeo; sed regere etiam si quid veremur, & fingere ac simulare posse hilaritatem. Sane qui imperare hoc animo potest, ille nondum succubuit affectui penitus, & sui

Vesuvio monte pluribus locis latissimæ flammæ, altaque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebris [1] noctis excitabatur. [2] Ille agrestium trepidatione, igni relictas desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat: tum se quieti dedit & quievit, verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior & sonantior erat, ab iis qui limini observabantur, audiebatur. Sed area [3] ex qua zeta adibatur, ita jam cinere, mixtisque pumicibus oppleta [4] surrexerat, ut si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano, cæterisque qui pervigilarant, reddit. In commune consultant, an intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque [5] tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Sub dio rursus, quanquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur.

sui adhuc quodammodo potens est. Neque enim fortis & constans, qui nihil timet omnino; sed qui regit timorem, & ita in illo se gerit, ne in ignavum atque degenerem cadat. *Buchn.*

1 *Noctis.*] Caliginis, obscuritatis. Duplex lectio: *Tenebras noctis pellebat*, vel *tenebris noctis excitabatur*, ut fulgor & claritas obscuritate cresceret. *Cat.*

2 *Ille.*] Ordo & sensus: Avunculus, cum videret illucescere, in remedium formidinis, ut se & circumstantes confirmaret, dictitabat, villas relictas desertasque igni metu agrestium virorum qui aufugerant ardere per solitudinem, quod nemo remansisset incendiis opem laturus. Si legis *ignis*, junge cum trepidatione. *Idem.* *Trepidatione, igni &c.*] Sic edd. primæ, agnovitque & Catanæus, recentes ut & Palatinus, *ignis &c.* Gruter.

3 *Ex qua zeta adibatur.*] Sic Pal. & edd. vett. non *diæta*, ut novitiæ. *Idem.*

4 *Surrexerat.*] Excreverat, impleta fuerat, *missis*, ejaculatis. Non displicet *mixtis* loco missis. *Catan.*

5 *Tremoribus.*] Terræmotibus. Dion, vehementes terræmotus subito facti sunt, ut planicies illa universa aquis scaturiret, & montes subsilirent. Caussam, qua terra concutitur, alii in aqua, alii in ignibus, alii in ipsa terra, alii in spiritu putavere, alii in pluribus, alii in omnibus. Quidam liquere ipsis aliquam ex istis caussam dixerunt, sed non liquere quæ esset. Democritus & eum secutus Seneca post longam disputationem crediderunt nullam esse caussam motus majorem, quam spiritum, quo nihil est in rerum natura potentius: sine quo nec illa quidem quæ sunt, vehementissima pollent. Ignem spiritus concitat, aquæ si ventum detrahas inertes sunt. Multa fere in eandem sententiam disserit Lucretius libro ultimo. *Idem.*

batur. quod tamen [1] periculorum collatio elegit; & apud illum quidem [2] ratio rationem, apud alios timorem timor vicit, cervicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum adversus [3] decidentia fuit. Jam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque: quam tamen faces multæ, variaque limina solvebant. Placuit egredi in littus, & è proximo aspicere, ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum & adversum permanebat. Ibi super abjectum linteum recubans, semel atque iterum frigidam poposcit, hausitque: deinde flammæ, flammarumque prænuncius odor sulfuris, alios in fugam vertunt, excitavit illum. [4] innixus servis duodus assurrexit, & statim [5] concidit, ut ego conjecto, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura, [6] invalidus & angustus, & frequenter [7] interæstuans erat. Ubi dies redditus, is ab eo quem novissime viderat, tertius, corpus inventum est integrum, illæsum opertumque ut fuerat indutus. habitus corporis quiescenti, quam defuncto similior. [8] Interim Miseni

1 *Periculorum collatio elegit.*] Eligendum suasit. In eo enim quanquam periculum, tamen minus erat. *Buchn.*

2 *Ratio rationem.*] Id est, quod exierit, id fecit sano mentis consilio: quia etsi in cubiculo tutus erat à pumicibus, tamen majus periculum imminebat, tanquam si diceres excessit, non timore, sed ratione. *Catan.*

3 *Decidentia.*] Scil. saxa, ut se fuga lata in tutum reciperent.

4 *Innixus.*] Quid si *innitens*, ut est in codice antiquo, sicut statim *colligo* pro conjecto? *Catan.* *Innixus.*] Propter molem, seu ut noster supra loquitur, *amplitudinem corporis.* Buchner.

5 *Concidit.*] Cadens interiit anno sexto, & quinquagesimo. Vid. Tranquil. de viris illustribus. *Catan.*

6 *Invalidus.*] Nimia studii intentione. Nam omnes pene studiosi stomachi difficultate laborant. Præsertim qui post cibum statim meditantur: quem domestica, vel civilia officia tenent occupatum. Quæ omnia cum Plinio inessent, non mirum si stomacho erat invalido. *Idem.*

7 *Interæstuans.*] Ebulliens cruditate, quod solet evenire iis qui non bene concoxerunt: unde aqua frigida frequenter utebatur ad id opportuno remedio, si Celso credimus. *Idem.*

8 *Interim Miseni ego & mater.*] Inde enim solverat Plinius major, & ibi nostrum cum matre reliquerat. Noster supra: *Erat Miseni, classemque imperio præsens regebat.* Geminam classem instituerat Augustus; quarum alteram Miseni, alteram Ravennæ, *ad tutelam superi & inferi maris* ut Suetonius scribit, *collocavit:* quod ejus consilium plenius ex Vegetii verbis lib. v. cap. 1.

cogno-

Miseni ego & mater. sed nihil ad historiam, nec tu aliud, quam de exitu ejus scire voluisti. Finem ergo faciam: unum adjiciam, omnia me quibus interfueram, quæque statim, cum maxime vera memorantur, audiveram, vere persecutum: tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam: aliud amico, aliud omnibus scribere. *Vale.*

XVII. C. PLINIUS RESTITUTO SUO S.

Apud Restitutum, præclarum caussidicum, exponit indignationem suam, quam conceperat per quosdam auditores, qui recitanti amico nullum signum lætitiæ dederant.

[1] INdignatiunculam, quam in cujusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare, quo minus apud te, [2] quia non contigit coram, per epistolam effundam. Recitabatur liber absolutissimus: hunc duo, aut tres, ut sibi & paucis videntur, diserti, surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique [3] assurrexerunt saltem lassitudine sedendi. Quæ tanta [4] gravitas? quæ tanta sapientia? quæ immo pigritia, arrogantia, sinisteritas, ac potius amentia? in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas: ad quem tanquam amicissimus veneris? [5] Disertior ipse es? tanto magis ne invideris. Nam qui

cognosces: Misenensi itaque classi Plinius major Præfectus fuit, ut ex hac Epistola cognoscitur. Et attestatur auctor Vitæ Plinianæ, quæ Suetonio vulgo asscribitur. *Buchner.*

1 *Indignatiunculam.*] Lege Plutarchum in libro περὶ τῆς ἀκοῆς, ubi multa reperies ad hanc epistolam facientia. *Catan.*

2 *Quia non contigit.*] Sic malui cum Pal. & edd. vett. litera minus, quam ut recentiores, *contingit*. Gesner.

3 *Assurrexerunt.*] Honoris caussa finita recitatione, ut auctorem honestarent. *Catan.*

4 *Gravitas.*] Ironice dictum, unde statim per correctionem emendat. *Idem.*

5 *Disertior ipse es.*] Si tu es disertior quam recitator, tanto magis non debes invidere, cum qui invideat alicui, necesse est ut sit minor illo; summum enim petit invidia, alienis incrementis inimicissima: alit livorem infelix

 inertia,

qui invidet, minor est. Denique sive plus, sive minus, sive idem præstas, lauda, vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, [1] quia nisi laudandus ille non est, non potes ipse laudari: inferiorem, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri, quem præcedis, vel exæquas. Equidem omnes, qui aliquid in studiis faciunt, venerari etiam, mirarique soleo. Est enim res difficilis, ardua, fastidiosa, & quæ eos à quibus contemnitur, [2] dedignatur. Nisi forte aliud judicas tu. quanquam, quis uno te reverentior hujus operis, quis [3] benignior æstimator? Qua ratione ductus, tibi potissimum indignationem meam prodidi, quem habere socium maxime poteram. *Vale*.

XVIII. C. Plinius Sabino Suo S.

Sabino suum patrocinium pollicetur, id enim exegerat pro patria Firmo.

Rogas ut agam [4] Firmanorum publicam causam; quod ego, quanquam plurimis occupationibus distentus, adnitar. Cupio enim & ornatissimam Coloniam advocationis officio, & te, gratissimo tibi munere obstringere. Nam cum familiaritatem nostram, ut soles prædicare,

inertia, & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere: nam potentes sequitur invidia, miseros contemptus. *Caten.*

1 *Quia.*] Nam si superior non meretur laudem, tanto minus tu, qui es inferior, non potes laudari, ergo lauda ut tu sis aliqua laude dignus. *Idem.*

2 *Dedignatur.*] Spernit. In secunda lectione fuit, *invicem contemnat*. Idem. *Contemnitur, dedignatur.*] Agnoscit hanc scripturam Catanæus, ut & alteram *contemnitur, invicem contemnat*; quæ ipsa quoque in Bas. & vett. edd. Nam Aldina nobis exhibuit, *contemnitur, interimit*. Gruterus.

3 *Benignior æstimator?*] Palatinus quoque noster, & edd. vett. *attestant*. Idem.

4 *Firmanorum.*] Firmum Piceni castellum, auctore Plinio; secundum Strabonem oppidum. M. Tullius in Philippicis, tanquam municipes Firmanos laudat: quod contra M. Antonium principes pecuniæ pollicendæ fuerint. In quibusdam exemplaribus legere *Formianorum*, possessivum à Formiis deductum. *Catan.*

5 Scis

dicare, ad præſidium ornamentumque tibi ſumpſeris, nihil eſt quod negare debeam, præſertim pro patria petenti. Quid enim precibus aut honeſtius piis, aut efficacius amantis? Proinde Firmanis tuis, ac jam potius noſtris, obliga fidem meam, quos labore & ſtudio meo dignos, cum ſplendor ipſorum tum hoc maxime pollicetur, quod credibile eſt optimos eſſe, inter quos tu talis extiteris. *Vale.*

XIX. C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

Petituri magiſtratus conſueverant ſuffragatores invitare, muneribus devincire, depoſita pecunia ſuffragia præſtinare, hoc igitur referente Homulo ad Senatum, Imperator lege lata candidatorum ſumptus reſtrinxit, & cavit ut tertiam patrimonii partem conferrent in ea quæ ſolo continerentur: quare cum multi eſſent emptores, admonet Nepotem amicum, ſi cupiat Itala prædia vendere, & in provinciis comparare, nunc eſſe tempus idoneum.

[1] SCis tu [2] acceſſiſſe precium agris, præcipue ſuburbanis. Cauſa ſubitæ caritatis, res multis agitata ſermonibus, proximis comitiis honeſtiſſimas voces Senatui expreſſit: *Candidati ne conviventur, ne mittant munera, ne pecunias deponant.* Ex quibus duo priora tam aperte quam immodice fiebant: hoc tertium, quanquam occultaretur, pro comperto habebatur. Homulus deinde noſter [3] vigilanter uſus hoc conſenſu Senatus, ſententiæ loco poſtulavit, ut Conſules deſiderium univerſorum notum

1 *Scis tu.*] Lego cum interrogatione: *Scis tu acceſſiſſe precium agris? &c.* Nam re recenti ſcripta Epiſtola, ut quod erat novum nunciaret. *Caſaub.*

2 *Acceſſiſſe.*] Auctum eſſe. *Catanaeus.*

3 *Vigilanter uſus.*] Cum vidiſſet omnes Senatores convenire, ut candidatorum ſumptus reprimerentur: tali occaſione impigre uſus, cum rogatus eſſet dicere ſententiam ſuam ſuper ea re, loco ſententiæ poſtulavit à Coſſ. ut Imperatorem hujus Senatus conſenſus admonerent. *Idem.*

notum Principi facerent, peterentque ſicut aliis vitiis huic quoque providentia ſua occurreret. Occurrit. Nam ſumptus candidatorum, fœdos illos & infames ambitus lege reſtrinxit. Eoſdem patrimonii tertiam partem conferre juſſit in ea quæ [1] ſolo continerentur, deforme arbitratus (ut erat) honorem petituros, urbem, Italiamque, non pro patria, ſed pro [2] hoſpitio, aut ſtabulo quaſi peregrinantes habere. Concurſant ergo candidati certatim, quicquid venale audiunt, emptitant: ut ſint quoque [3] plura venalia, efficiunt. Proinde, ſi pœnitet te Italicorum prædiorum, hoc vendendi tempus, tam Hercule, quam in provinciis [4] comparandi, dum iidem candidati illic vendunt, ut hîc emant. *Vale.*

XX. C. Plinius Cornelio Tacito Suo S.

Incitaverat Secundum Tacitus ad perquirendum quos metus & casus ſuſtinuiſſet ardente Veſuvio, dum Miſeni cum matre relictus fuit ab avunculo, hinc proſequitur jam quæcunque paſſus ſit in illo turbine & caligine.

AIS te adductum literis, quas exigenti tibi de morte avunculi mei ſcripſi, cupere cognoſcere, quos ego Miſeni

1 *Solo continerentur.*] Solum dicitur quod ſubeſt alicui rei. Feſtus ſolum terram dicit & locum. Juſtinianus de interdictis, & Scævola, Quæ in fraudem, ſic alii ſolum ponunt pro re immobili. Nam appellatione ſoli intelliguntur prata, agri, nemora, paſcua, vineæ, horti, domus, areæ, & ſimilia: apud Juriſconſultos circumferuntur hi duo verſus,

Quicquid plantatur, ſeritur, vel ædificatur,
Omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit:

Ut per hos comprehendatur quod appellatione ſoli continetur. *Catan.*

2 *Hoſpitio.*] Diverſorio. *Idem.* Hinc Cicero: *Commorandi nobis natura diverſorium, non habitandi dedit.*

3 *Plura.*] Quia certatim emptitant prædia Italica. Legitur & *ut ſint quoque pluris.* An *plura*, quod cum majus precium polliceantur, quam valeant prædia, multi domini incitantur ad ſua vendenda? *Catan.*

4 *Comparandi.*] Acquirendi, emendi. Tranquillus, *Magiſteria ſacerdotii ditiſſimus quiſque & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabat.* Cato, *Prædium cum comparare cogitabis, ſic in animo habeto, ut ne cupide emas.* Idem.

I Id

Miſeni relictus ([1]id enim ingreſſus littus abruperam) non ſolum metus verumetiam caſus pertulerim. [2]*quanquam animus meminiſſe horret, incipiam.* Profecto avunculo, ipſe reliquum tempus ſtudiis ([3]ideo enim remanſeram) impendi, mox balineum, cœna, ſomnus inquietus & brevis. Præceſſerat per multos dies tremor terræ minus formidoloſus, quia [4]Campaniæ ſolitus; illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, ſed everti crederentur. Irrumpit cubiculum meum mater: ſurgebam invicem, ſi quieſceret, excitaturus. reſedimus in area domus, quæ mare à tectis modico ſpatio dividebat. dubito conſtantiam vocare, an imprudentiam debeam: agebam enim duodeviceſimum annum. Poſco [5]librum Titi Livii, & quaſi per ocium lego, atque etiam ut cœperam, excerpo. Ecce amicus avunculi, qui nuper ad eum ex Hiſpania venerat, ut me, & matrem ſedentes, me vero etiam legentem videt, illius patientiam, ſecuritatem meam corripit; nihilo ſegnius ego intentus in librum. Jam hora diei prima, & adhuc dubius, & quaſi languidus dies, jam quaſſatis circumjacentibus tectis, quanquam in aperto loco, angu-

1 *Id enim littus ingreſſus abruperam.*] Ingreſſus Campaniæ littus Miſenum mihi pro ſeceſſu delegeram. *Idem.*

2 *Quanquam animus, &c.*] Virgilianum carmen ex ſecundo Æneidos, ubi introducitur Æneas dicturus Ilienſe excidium. *Idem.*

3 *Ideo.*] Ut ſtuderem. Jam enim dixerat *mihi, ſi venire una vellem, facit copiam, reſpondi ſtudere me malle.* Idem.

4 *Campaniæ, &c.*] Scribit Seneca, Campaniam nunquam ſecuram à terræmotu: attamen indemnem ante Reguli & Virginii Conſulatum: vexantur enim terræ motu magis propinqua mari. Nam ſpiritus intra terram per occulta foramina intrat; deinde cum obſtructus ille trames, per quem deſcenderat, reditum autem illi à tergo reſiſtens aqua abſtulit, huc illuc fertur, & ſibi ipſi occurrens terram labefactat. Inde Neptuno hæc aſſignata movendi potentia apud Homerum. *Catan.* *Quia Campaniæ ſolitus.*] Exhibere libuit ſcripturam exemplaris Palatini, confirmatam omnibus editionibus vetuſtis, etiam Aldina. Novatores nobis intruſerant, *minus formidoloſus, qui Campaniæ non ſolum caſtella, verum etiam oppida vexare ſolitus: illa nocte, &c.* prorſus contra mentem Plinii: imo contra veritatem. Legatur modo Seneca lib. VI. cap. naturalium quæſtionum. *Gruterus.*

5 *Librum.*] Hiſtorias. Nam & epiſtolas & ſermones compoſuit Livius, ſermones inquam ex profeſſo philoſophiam continentes. *Catan.*

angusto tamen magnus & certus ruinæ metus. Tum demum excedere oppido visum. Sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiæ, alienum consilium suo præfert, ingentique agmine abeuntes premit & impellit. Egressi tecta consistimus, multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula, quæ produci jusseramus, quanquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur: ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem vestigio quiescebant. Præterea mare in se resorberi, & tremore terræ quasi repelli videbamus. Certe processerat littus, multaque animalia maris in siccis arenis detinebat. Ab altero latere nubes atra & horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat, [1] fulgoribus illæ & similes & majores erant. Tum vero ille idem ex Hispania amicus acrius & instantius, [2] *Si frater, inquit, tuus, tuus avunculus, vivit, vult vos esse salvos: si periit, superstites voluit. Proinde quid cessatis evadere?* Respondimus, *Non commissuros nos, ut de salute ejus incerti, nostræ consuleremus.* Non moratus ultra proripit se, effusoque cursu periculo aufertur: nec multo post, illa nubes [3] descendere in terras, operire maria. cinxerat [4] Capreas, & absconderat: Miseni quod procurrit, abstulerat. Tum mater orare, hor-

1 *Fulgoribus.*] Seneca in naturalibus quæstionibus, *Horum*, inquit, *aliqua non patiuntur moram, sed transcurrunt, aut extinguuntur subinde quæ reluxerant: hi fulgores dicuntur, quia facies illorum, & candida est, nec sine injuria decidens.* Heraclitus fulgurationem existimat apud nos incipientium ignium conatus, & primam flammam incertam, modo intereuntem, modo exsurgentem. *Catan.*

2 *Si frater, &c.*] Hæc lectio vera, altera falsa: si frater, inquit, tuus avunculus. Ait, *frater tuus*, respiciens Pliniam, matrem hujus Plinii, *ait Avunculus tuus*, ipsum respiciens, qui hæc scribit. *Casaub.* *Si frater, &c.*] Ita vetus editio omnis, etiam Aldina, repetito illo *tuus*, quod omissum à recentioribus. *Gruter.*

3 *Descendere, operire.*] Infinitiva pro indicativis more historico: *Catan.*

4 *Capreas.*] Insulam juxta Neapolim: cujus secessu delectabatur Tiberius Cæsar. Hanc prius Augustus permutaverat cum Repub. Neapolitanorum Ænaria data. Distat à Surrento octo millibus passuum. A Stephano Capriaria dicta, vel etiam Capriæ. *Idem.*

1 *Con-*

hortari, jubere quoquo modo fugerem. Posse enim juvenem, *se & annis & corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset.* Ego contra, *salvum me, nisi una, non futurum*: deinde manum ejus amplexus, addere gradum cogo: paret ægre, incusatque se quod me moretur. Jam cinis adhuc tamen rarus, respicio, densa caligo tergis imminebat, quæ nos, torrentis modo infusa terræ, sequebatur. *Deflectamus* (inquam,) *dum videmus, ne in via strati, comitantium turba in tenebris obteramur.* Vix [1] consideramus, & mox non qualis [2] illunis, & nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto: audires [3] ululatus fœminarum, infantium [4] queritatus, clamores virorum: alii parentes, alii liberos, alii conjuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant: hi suum casum, illi suorum miserabantur: erant qui metu mortis [5] mortem precarentur. Multi ad deos manus tollere: plures nusquam jam deos ullos, [6] æternamque illam & novissimam noctem

1 *Consederamus.*] Extra viam publicam gressum firmaveramus. Legitur etiam, *viam deserueramus.* Idem.

2 *Illunis & nubila.*] Id est, vel in nocte non lucente luna, vel nubibus obtecta. Est alia lectio, *illunis aut nubila.* Cum scil. Luna inter nubila lucet. *Id.*

3 *Ululatus fœminarum.*] Cæsar in commentariis ululatum etiam ad viros retulit, scribens Gallorum ululatu confirmati animos in prælio. Magis convenienter Tacitus locutus in libello de moribus Germanorum, *Ululatus*, inquit, *fœminarum*, & vagitus infantium. Secundus tamen, *Quiritatus infantium* dixit à verbo quirito, quod est quiritium fidem implorare, auctore Varrone. *Idem.*

4 *Queritatus.*] Scribe. *Quiritatus.* Casaubonus. *Queritatus.*] Alii libri, *Quiritatio*, ac ita Casaubonus quoque emendabat. *Quiritare*, inquit Varro, *dicitur qui Quiritium fidem clamans implorat.* Id fiebat, cum inclamarent, *Porro Quirites*, de qua formula plura Brissonius. Inde ad quosvis clamores miserabiles traducitur hoc verbum. Ut hîc ad infantium ploratus. Glossis veteribus *Quiritans* ἐπιβοώμενος exponitur. *Buchner.*

5 *Mortem precarentur.*] Ut fit in summa rerum desperatione, cum tamen vivere optamus. *Catan.*

6 *Æternamque illam, &c.*] Dio hanc ipsam Vesuvii conflagrationem, quæ sub Tito contigit, lib. LXVI. narrans, καὶ ἐδόκουν, inquit, οἱ μὲν τοὺς γίγαντας ἐπανίστασθαι, οἱ δὲ καὶ ἐς χάος ἢ καὶ πῦρ τὸν κόσμον πάντα ἀναλίσκεσθαι: *Existimabant nonnulli gigantes contra se insurgere: alii, aut mundum in chaos redigi, aut igni consumi.* Nempe Epicuræi & Stoici periturum igne mundum, omniaque in pristinum, unde orta essent, chaos recasura, statuebant. Lucanus in I.

—— Sic, cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos omnia.

Atque

ctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt qui fictis mentitisque [1] terroribus vera pericula augerent. Aderant qui Miseni illud fuisse, illud ardere falso, sed credentibus, nunciabant. Paululum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur: & ignis quidem longius substitit: [2] tenebræ rursus, cinis rursus multus & gravis: hunc identidem assurgentes excutiebamus, operti alioqui, atque etiam oblisi pondere essemus. Possem gloriari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, [3] nisi me cum omnibus, omnia mecum perire misero, [4] magno tamen mortalitatis solatio credidissem. Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum, nebulamve decessit: Mox dies verus, sol etiam effulsit, [5] luridus tamen, qualis esse, [6] cum deficit, solet.

Atque ab hac necessitate nec Deos ipsos excipiebant. Seneca Thyeste:

Trepidant, trepidant pectora magno
Perculsa metu, ne fatali
Cuncta ruina quassata labent;
Iterumque Deos hominesque premat
Deforme chaos. ——

Et eo pertinet, quod nonnulli, ut refert noster, dicerent, *nusquam jam Deos ullos esse.* Buchner.

1 *Terroribus.*] Nam existimabantur gigantes insurrexisse, & effigies illorum apparuisse in fumo, præterea tubarum sonitus audiri. *Catan.*

2 *Tenebræ rursus.*] Tantus fuit ignis & fumus, ut aëra totum obumbraret, totum vero solem occultaret ceu defectum; nox vero ex die, nox & tenebræ ex luce factæ sunt. Eructabat immensus cinis, & occupabat terram, mare, aëra: lædebantur homines, regiones, pecora, pisces, præterea aves absumebantur. *Dion.*

3 *Nisi me cum omnibus.*] Sensus est: si in hoc casu aliqua meliorum spe supra præsentium acerbitatem sustulissem animum, tum possem gloriari nec gemitum mihi nec fortem parum excidisse vocem (etenim magnæ indolis signum sperare semper) nunc cum ex desperatione id fecerim potius, & quia credidi mundi finem instare; constantiæ & fortitudinis laudem mereri haud possum: neque enim virtus est, quod necessitate exprimitur. Interim tamen ignaviæ sese vacare culpa significat, ut qui persuaserit animo, non esse ferendum ægre aut deprecandum interitum, qui omnes eadem involvat ruina. Pari apud Tragicum ratione se consolatur ac erigit chorus in simili casu, cum ait:

Abeant questus, discede dolor!
Vita est avidus, quisquis non vult
Mundo secum pereunte mori.

Buchner.

4 *Magno solatio.*] Cum putarem esse omnes mecum interituros: sola enim necessitate consolabar. *Catan.*

5 *Luridus.*] Lividus, decoloratus, squalidus. Apulejus, *lurore* Socratem deformatum: & alibi, *lurore* ac illuvie collapsa membra dixit *Idem.*

6 *Cum deficit, solet.*] Legimus etiam *cum deficere solet*: id est, cum patitur eclipsin ex interpositione & objectu Lunæ. *Idem.*

ſolet. Occurſabant trepiditantibus adhuc oculis mutata omnia, altoque cinere tanquam nive obducta. Regreſſi Miſenum, curatis utcunque corporibus, ſuſpenſam [1] dubiamque noctem, ſpe ac metu exegimus: [2] metus prævalebat. Nam & tremor terræ perſeverabat, & plerique [3] lymphati terrificis vaticinationibus, & ſua & aliena mala ludificabantur. Nobis tamen ne tunc quidem, quanquam & expertis [4] periculum, & exſpectantibus, abeundi conſilium [5] donec de avunculo nuncius. Hæc nequaquam hiſtoria digna, [6] non ſcripturus, leges, & tibi ſcilicet, qui requiſiſti, [7] imputabis, ſi digna ne epiſtola quidem videbuntur. *Vale.*

XXI.

1 *Dubiamque noctem.*] Sic malui, quod & agnoſceret Catanæus, & reſtaret in Palat. & in edd. antiquis, alias legebatur *mentem*, quod paſſim obtinuit. *Gruterus.*

2 *Metus prævalebat.*] Nec parvus metus fuit per multos dies: neſciebant homines quid factum eſſet: exiſtimabant enim quæ ſupra & infra erant everti, ſolem in terram deſcendere. *Dion.*

3 *Lymphati.*] Phanatici, larvati, inſanientes: quod vulgo creditum fuit, ut quicunque nympham vidiſſet, fugendi finem non faceret. *Catan.*

4 *Periculum, &c.*] Secutus ſunt Modii exemplaria ſcripta, vulgati prius *& exſpectantibus.* Gruterus.

5 *Donec de avunculo nuncius.*] Sic Palat. & edd. vett. neoterica enim verbo amplius *nuncius veniret.* Prorſus ſupervacue: ſuavius enim ſubauditur. *Idem.*

6 *Non ſcripturus, &c.*] Senſus eſt. Tu non ſcripturus, quia non ſunt hiſtoria digna, tantummodo leges hæc noſtra. *Catan.* *Non ſcripturus, &c.*] Verba aliquot habeam pro gloſſa, certe Pal. & vett. edd. ſervant, *nos ſcripturos leges.* Putaverim à Plinio ſolum eſſe: *Hæc nequaquam hiſtoria digna: tibi imputabis, ſi digna ne epiſtola quidem videbuntur.* Grut. *Hiſtoria digna, &c.*] Senſus eſt: hæc, quæ nequaquam hiſtoria digna ſunt, leges quidem, ſed non ſcripturus, hoc eſt, non eo fine, ut tuis hiſtoriis inſeras, ſed tantum ut ſcias. Gruterus putabat nonnulla gloſſemata huc irrepſiſſe; iiſque rejectis ita conſtituendum hunc locum, *Hæc, nequaquam hiſtoria digna, tibi imputabis, ſi digna ne epiſtola quidem videbuntur.* Quæ ut rotunda atque arguta; ſic unice convenire Plinio cenſeam, ut qui virtutes iſtas maxime ſequebatur. *Buchnerus.*

7 *Imputabis tibi.*] Te accuſabis, tibi aſſcribes & objicies. Plinius in præfatione totius operis: *Hanc igitur tibi imputabis.* Seneca in declamationibus, *Imputabitur mihi ſi quid acciderit.* Et de beneficiis: *Multi ſunt tam mala naturæ, ut malint perdere quæ præſtiterunt, quam videri recepiſſe, ſuperbi & imputatores.* Secundus ad Trajanum, *Eidem civitati imputata ſunt terna millia.* Tacitus de Germanis, *Gaudent muneribus: ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur.* Columella: *Longe plus imputant ſeminis jacti, quam quod ſeverint.* Catan.

XXI. C. Plinius Caninio Suo S.

In Virginio Romano & morum probitatem & doctrinam laudat, præsertim in comœdia scribenda tam nova quam prisca, temporum suorum ingenia non despiciens.

Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. [1] Neque enim quasi lassa & effœta natura, ut nihil jam [2] laudabile pariat. atque adeo nuper audii Verginium Romanum paucis legentem comœdiam ad exemplar [3] veteris comœdiæ scriptam, tam bene, ut esse quandoque possit exemplar. Nescio an noris hominem, quanquam nosse debes. Est enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monstrabilis. Scripsit [4] mimiambos tenui-

1 *Neque enim quasi lassa & effœta natura.*] Hoc plures asseruere: sed contra cum nostro Columella sentit Præfatione elegantissimorum de re rusticâ librorum: itemque Quinctilianus lib. 1. cap. 1. Quæ sententia cum ex illorum opinione dependeat, qui mundum, nec ortum nec interiturum, sed æternum ac unâ eademque naturâ semper præditum statuebant; capere conjecturam licet, auctorem nostrum nec Stoïcæ, nec Epicureæ sectæ, cui avunculus deditus fuerat: sed Aristotelicæ Philosophiæ addictum fuisse: qui post Ocellum Lucanum æternitatem mundi inprimis astruxit. Quid Critolaus & Boëthius postea Peripatetici & ipsi asseruere, quorum argumenta Philo, & ipse hujus sententiæ astipulator, περὶ ἀφθαρσίας κόσμου recenset. Nam Stoïci, & Epicuræi sicut origini ac fini, ita & senio obnoxium mundum statuebant. Quo illa Lucretii, qui de familia Epicuri fuit, pertinent lib. II. de natura rerum:

Jamque adeo effœta est ætas, effœtaque tellus
Vix animalia parva creat.

Item cum paulo post, ipso fine libri, ait:

—— Omnia paullatim tabescere, & ire
Ad scopulum spatio ætatis defessa vetusto.

Buchnerus.

2 *Laudabile.*] Ut olim. Perinde ac si diceret, inveniuntur etiam nostris temporibus ingenia similia antiquis: quod probat exemplo Virginii Romani. *Catan.*

3 *Veteris comœdiæ.*] Antiqua illa comœdia cum sinceram sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimæ libertatis. Ejus inventor pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse creditur: non penitus ficta argumenta, sed res gestas à civibus magna dicendi libertate incessens, & admirans. *Idem.*

4 *Mimiambos.*] Mimum comœdiam

tenuitur, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissime. [1] Nullum est enim genus, quod absolutum, non possit eloquentissimum dici. Scripsit comoedias, [2] Menandrum, [3] aliosque ætatis ejusdem æmulatus. licet has inter Plautinas Terentianasque numeres. Nunc primum se in vetere comoedia, sed non tanquam inciperet, ostendit: [4] non illi vis, non granditas, non subtilitas, non ama-

diam constantem versibus jambis, qua Laberius excelluit. Mimus autem sermonis est cujuslibet motus sive reverentia, vel factorum cum lascivia imitatio. Mimus dictus hoc genus comoediæ, quasi solus imitetur, cum & alia poëmata idem faciant: sed solus quasi privilegio quodam quod fuit commune possedit. *Catan.*

1 *Nullum est enim genus.*] Non una eloquentiæ forma ac species est: sed alia aliis argumentis convenit. Quod si quis convenienti usus, atque in ea implevit partes, tum eloquentissime scripsisse existimandus. Exempli gratia: Mimiambis character proprius tenuitas cum venustate argutiaque est: hanc ideam si quis ita expressit, ut nihil desit, hic eloquentissime mimiambos scripsisse statuendus est, licet grandis atque magnificus haud fuerit. Neque enim decet hæc forma id genus carmina. Recederet igitur ab eloquentiæ regula, & sibi corrumperet speratam gloriam, qui ibi adhiberet. Neque enim, qui quam amplissime semper, sed qui pro re apta maxime dixerit, is eloquentissimus omnium est. *Buchnerus.*

2 *Menandrum.*] Menandros plures lego. Nam fuit Menander Atheniensis comicus antiquus, & Menander alius Atheniensis Diopithi, & Hegesistratæ filius, qui à cunctis celebratur, scriptor novæ comoediæ, luminibus strabo, sed ingenii acumine oculatus, in mulieres pronior, cujus comoediarum numerus à Gellio lib. XVI. recensetur, & à Suida, quo auctore alia etiam scripsit. Ejus sepulchrum ex Pireo venientibus offerri Pausanias retulit. *Catan.*

3 *Aliosque.*] Philemona præsertim, quem Gellius asserit sæpius de Menandro palmam retulisse. *Idem.*

4 *Non illi vis, non granditas.*] Omnis dicendi ratio tribus nixa est: ut doceamus, ut conciliemus, ut moveamus. Docemus argumentis, conciliamus moribus, affectibus movemus. *Vis* & *granditas* ad ultimam partem pertinent, & orationis affectæ virtutes propriæ sunt. Nam nascitur ex affectu granditas. Quod Longinus etiam docet: nec sine impetu ac vi, affectus venit, percellitque ac concitat magis, quod & impetum habet, & magnum est. *Subtilitas* tenuitatis, quæ *granditati* opponitur, virtus est, quæ in docendo sive probando versatur, in quo prima dicendi ratio sita. Cicero Oratore: *Is eloquens est, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate potest dicere.* Lib. II. de Oratore: *Tres*, inquit, *in dicendo facultatis rationes, quarum prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat.* Ubi *acumen*, quæ eidem cum nostro alibi *subtilitas* appellatur. Nam & *subtile* atque *acutum* idem conjunxit. Ut in Oratore: *Qui in illo subtili & acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quicquam altius cogitaret, hoc uno perfecto magnus orator est.* *Subtile* atque *acutum* nominat, quod paulo ante *enucleatum*, alias *summissum* vocaverat. Sequitur *Amaritudo*, quam *fellis* nomine designat Noster, cum de Martiale, & ejus obitu ad Priscum scribit:

Erat

amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. [1] Ornavit virtutes, insectatus est vitia, [2] fictis nominibus decenter, veris

Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo & salis haberet & fellis, nec candoris minus. Est autem affectæ dictionis hæc ratio. Nam cum ira & stomachus in convitiorum acerbitates procellasque erumpit, tum *amaritudo* sive maledicentia nascitur. Noster infra Ep. VIII. hujus libri: *vide attendas, ne in bilem aut amaritudinem vertat injuria.* Porro, sicut *amaritudo* affectæ orationis, ut diximus, & granditatis ferme est, ita *dulcedo & lepor*, moratæ atque summissæ orationis dotes propriæ sunt. Cicero Oratore cum de temperato & modico illo genere loqueretur: *Hoc in genere*, inquit, *nervorum vel minimum, suavitatis autem vel plurimum.* Et mox: *plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. Suavitatem* vocat, quam noster *dulcedinem*, Græci γλυκύτητα dixerunt. *Mel* vocat noster lib. III. loco supra allato. Cæterùm tam recte ac eruditè Virginium commendat Plinius, quod in comœdia veteri, in qua ingenium experiri cœperat, has, quas recenset orationis affectiones, diversas licet contrariasque inter se miscuerit; quam inique, ut summi viri existimant, Plutarchus Aristophanem (quem procul omni dubio secutus Virginius fuerat, ut regem & principem Comœdiæ veteris) reprehendit, & inæqualitatis accusat, cum tumidum modo ac grande, modo plebejum ac humile sermonis genus afferat; contra quam fecerit Menander, qui sibi ubique similis sit & æquabilitatis laudem tueatur. Sed frustra Aristophanem, cum ferre de eo judicium vellet, ad Menandrum exigit, frustra ad novam comœdiam respectum habet, cum veteris principem ad partes vocat. Quæ uti genere, sic dictionis quoque idea plane diversa à nova erat: & ita fiebat, ut quæ in altera meræ essent laudes, in altera meræ culpæ fierent. De quo hoc loco tamen agendum pluribus haud est. *Buchnerus.*

1 *Ornavit virtutes, insectatus est vitia.*] Vitæ humanæ speculum comœdia est. Sicut in vita igitur virtutum juxta & vitiorum exempla eveniunt, sic in comœdia eadem repræsentantur. Atqui in nova exhibebantur tantum; eaque ut leviorum virtutum, sic leviorum quoque vitiorum, qualia plebejorum ac privatorum sunt, cujusmodi status personæ & ibi solum inducebantur: in veteri contra non privatorum actiones tantum, sed principum Reip. ac civitatis etiam vocabantur ad partes: nec ostendebantur tantum, verum & acerbissime exagitabantur; modo sub fictis vocabulis, quæ sola in nova obtinebant, modo sub veris, ac illis ipsis eorum, qui taxabantur. Sic apud Aristophanem non Chremylus tantum & Cario aliquis, quæ ficta nomina sunt; sed Cleo, sed Nicias, sed Lamachus, & Socrates ipse cum aliis, qui tum vivebant, quidam & administrabant Remp. & producuntur in scenam & traducuntur. Hoc est, cur Quinctilianus antiquam comœdiam *facundissimæ libertatis*, atque *in insectandis vitiis præcipuam*, dixit. Nec aliunde nascebatur vis illa ac granditas, quam in Virginio hîc laudat Plinius, & non sine eruditorum admiratione Plutarchus, ut diximus, ad cacozeliam in Aristophane interpretabatur. *Idem.*

2 *Fictis nominibus, &c.*] De sensu hujus loci ita mihi videbatur. Constituerat Comœdiam suam Virginius, secutus, ut puto, Aristophanis exemplum maxime, pro statu præsenti civitatis, atque imperii Romani, ut quæ præclare ibi à nonnullis aut secus fierent, vel commendarentur ad æmulandum, vel taxarentur ad fugam. Sed

uti

veris usus est apte. [1]Circa me tantum benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poëtis mentiri licet. In summa extorquebo ei librum, legendumque, immo ediscendum mittam tibi. Neque enim dubito futurum, ut non deponas, si semel sumpseris. *Vale.*

XXII. C. PLINIUS TYRONI SUO S.

Calestrium Tyronem, Proconsulatum Baticæ sortitum, monet exemplo Bruttiani ne cui suorum facile credat. Is enim dum esset in provincia, & de flagitiis socii sui Atticini Cæsari scripsisset, accusatus ab eo est absolutus, damnato Atticino.

MAgna res acta est omnium, qui sunt provinciis præfuturi, magna omnium, qui se [2]simpliciter credunt amicis. [3]Lustricus Bruttianus cum [4]Montanum Atti-

uti actiones hominum sunt, ita nominibus homines dignoscuntur. Quare cum intelligeret auctores comœdiæ veteris, ex eo reprehendi potissimum, quod viros primarios civitatis sub suis nominibus palam illuserint ac exagitarint (quippe quod id exempli pessimi esset, qua de causa & lege coercita ea licentia fuit) cavendum sibi existimavit, ne idem in vitium incideret, & in scribendis comœdiis versaretur aliter, quam deceret ac fas esset. In quo hoc temperamentum sequutum arbitror, ut quorum libidines rapacitasque atque ambitio, ac fastus & repræsentanda & insectanda essent, fictis nominibus, sed congruentibus tamen, & inducerentur & perstringerentur; at quorum ostentandæ exornandæque virtutes essent, illi ipsi sub suis vocabulis producerentur in scenam. Nam reprehendere vitia, personis parcere, ut cauti ac custoditi hominis est; sic neminem sua privare laude, & est ingenui maxime, & quemvis decet. Itaque fictis decore, veris nominibus apte uti, in loco est uti, ac convenienter: hoc est, ut decet & laudi est. *Buchn.*

1 *Circa me tantum benignitate.*] Hinc colligitur, cum aliis illius temporis principibus ac præclaris viris, tum Plinio etiam in illa fabula datas fuisse partes: ut ejus illustres virtutes non commendarentur tantum, sed vel in majus, ut per modestiam interpretatur ipse urbane, attollerentur: ideo *benignitate nimia modum excessisse* scribit. *Idem.*

2 *Simpliciter.*] Inconsulte & parum caute. Ita enim *simplicitas* aliquando pro stultitia ponitur, & providentiæ opponitur. *Idem.*

3 *Lustricus Bruttianus.*] Hic est ille Bruttianus, de quo ad Thaliam Martial. epig. XXII. lib. IV.

Dum tu lenta nimis diuque quæris,
Quis primus tibi, &c.

Catan.

4 *Montanum Atticinum.*] Monta-

Atticinum [1] comitem suum in multis flagitiis deprehendisset, Cæsari scripsit, Atticinus flagitiis addidit, ut quem deceperat, accusaret. Recepta cognitio est. [2] fui in consilio, egit uterque pro se, egit autem carptim, & [3] κτ' κεφάλαια: quo genere veritas statim ostenditur. Protulit Bruttianus testamentum suum, quod [4] Atticini manu scriptum esse dicebat. [5] Hoc enim & arcana familiaritas, [6] & querendi de eo, quem sic amasset, necessitas indicabatur. Enumeravit crimina fœda manifestaque. Ille quum diluere non posset, [7] ita regessit, ut dum defen-

nos multos comperio. Julium Montanum, Montanum Votienum, Montanum Hisponem declamatores, Montanum Traulum, Montanum Alpinum, Curtium Montanum, ad quem alibi Secundus, Juven. & Tacitus Senatorem fuisse memorat, L. præterea Titium Montanum VI. vir. ædil. II. vir. in memoriis municipii Ticini. *Catan.*

1 *Comitem.*] Legatum. Postea hoc nomen Comitis transiit in nomen dignitatis. Nam loco legati & procos. sæpius juniores comites appellavere: deinde se diffudit ad alia officia, ut pro vicariis comites dicerentur, demum dignitatis nomen obtinuit, sicut primicyrius. *Idem.*

2 *Fui in consilio.*] Electus sum inter judices hujus causæ. *Idem. In consilio.*] *Consilium*, consessus Judicum est. hoc est, qui à Cæsare cognituro hanc causam in consilium adhibiti fuerant. *Buchner.*

3 *Κατὰ κεφάλαια.*] Per capita, id est attingendo tantum capita rerum. Verti potest Capitulatim, ex Plinio hujus avunculo. *Stephanus.*

4 *Atticini manu.*] Sua vel amicorum manu testamenta scribebant. Nam Tranquill. refert Tiberium scripsisse duplex testamentum ante biennium quam obiret, alterum sua, alterum liberti manu. *Catan.*

5 *Hoc enim & arcana familiarit.*] Duas causas affert Plinius, cur productum ab se testamentum suum Bruttianus, Atticini manu scriptum diceret. *Prima* est, ut inde posset constare, quam intime sibi familiarem Atticinum Bruttianus habuerit: cum testamenti scriptura aut ab ipso testatore perfici, aut nonnisi illi committi soleret, quem fidum sibi maxime crederet & haberet testator. *Altera* est: ut inde cognosceretur, quam justas & necessarias Bruttianus querendi apud Cæsarem de Atticino habuisset causas. Non additur tamen quomodo aut qua ratione ex eo constare id potuit. Et id investigandum & indagandum aliis relinquo. *Buchner.*

6 *Et querendi de eo.*] Sic scribendum, non *quærendi*. Sensus est: Bruttianus propter suum testamentum Atticini, accusatoris jam sui manu scriptum protulit, ut esset apud omnes insigne ejus perfidiæ argumentum ac τεκμήριον. *Casaubon.*

7 *Ita regessit.*] Legitur etiam *recessit*, scilicet à proposito, & defensione: an, quod magis probo, abiit in insulam ab urbe? *Catan. Ita regessit &c.*] Sic editio vetustior, nec abit Pal. quam quod ipse, rem gessit. Vulgati hodie *ita recessit*, aut *etiam se gessit*. Gruter. *Ita recessit.*] Excusum oportuit *regessit*. *Regerere* enim, est contra incriminantem

fenditur, turpis: dum accusat, sceleratus probaretur. Corrupto enim [1] scribæ servo, interceperat commentarios, [2] interciderat que, ac per summum nefas utebatur adversus amicum [3] crimine suo. Fecit pulcherrime Cæsar. Non enim de Bruttiano, sed statim de Atticino [4] perrogavit. damnatus & in insulam relegatus: Bruttiano

tem facere verba. Nisi legendum, *rem gessit*, quod in Palatino Gruterus invenit. *Buchner.*

3 *Scribæ.*] Eum in rationibus monumentisque publicis versari testatur M. T. pro domo sua. Hodie cancellarium non inusitato vocabulo appellamus, & auctor est Vopiscus in Carino, fortasse à delendis & superinducendis literis dictum. Scævola ff. 11. cancellato pro deleto posuit. Dionysius lib. IV. antiquit. & Julius Capitolinus in Gordianis, testantur scribas rerum gestarum summam complecti. *Catan.*

4 *Interciderat que.*] *Commentarios* accipio eos, quos *diurnos commentarios*, Suetonius in Augusto; item *diurnos actus*, vel *Acta diurna* alibi vocat. *Quotidiana* Tiberianus apud Vopiscum: alii *Ephimeridas* atque *Diaria* appellarunt, ex eo, quod res quotidianæ ibi annotarentur. In iis igitur Commentariis notaverat etiam Bruttianus Atticini flagitia, quæ in Provincia commiserat. Cum scripsisset de illis, cum dissimulare amplius haud posset, Trajano, atque id intellexisset Atticinus, corrupit Scribam Bruttiani, penes quem cura actorum erat, & interceptis commentariis heri resecavit partes eas & intercidit, quibus de ejus flagitiis agebatur: ne argui inde earum rerum Atticinus, quas ad Trajanum Bruttianus perscripserat, & sic per fraudem convinci Bruttianus posset contra, inique & falso detulisse Atticinum; quo nomine accusationem ejus alio scelere moliebatur. Ideo enim scribit Plinius, *crimine suo adversus amicum usum fuisse*. Crimen *Atticini* vocat, quod corruperat amici scribam, quod interceperat Commentarios ac interciderat: quo usus adversus amicum est, cum fretus hoc scelere accusavit amicum; persuasus, quoniam ex commentariis seu Actis redargui haud posset, se absolutum, & contra invidiam Bruttiano conflatum iri haud parvam. *Buchnerus.*

5 *Crimine suo.*] Quod defraudasset amicum intercidendo commentarios ejus per fraudem. *Catan.*

6 *Perrogavit.*] Id est statuit, quanquam Apulejus in Floridis perrogare usus sit pro diligenter interrogare. Valerius tamen Maximus non perrogare, sed prærogare, nisi menda est lib. id est, fere ad idem quod est pronunciare protulit. *Minos*, inquit, *traductas sibi leges prærogabat*. Idem. *Perrogavit.*] Sic recte Pal. & vett. edd. male recentiores, *pronunciavit*. Consulit enim Cæsar Senatores ipsos, voluitque pronunciarent in Bruttianum: Sic de Augusto Suetonius cap. 35. *Sententias de majore negotio, non more, neque ordine, sed prout libuisset perrogabat.* Hæc scribo, quia minus intellexit id verbi Catanæus. *Gruterus. Perrogavit.*] Ita omnino legendum est, quod & Gruterus monuit. *Perrogare* est omnium ordine, qui ad censendum vocati, rogare sententiam. Quo genere civilitatis uti solebat Trajanus, nobilitatus ea virtute Princeps. Nam superbi & arrogantes auditis paucis, plerisque præteritis, sententiam ferunt. Noster Paneg. cap. LX. *Parum est ut in curiam venias, nisi & convocas; ut intersis Senatui, nisi præsides; ut censentes audias, nisi perrogas.* Idem verbum *perrogare* & apud Suetonium

tiano justissimum integritatis testimonium redditum, quem quidem etiam constantiæ gloria secuta est. Nam defensus expeditissime, accusavit vehementer, nec minus acer quam bonus & sincerus apparuit. Quod tibi scripsi, ut te sortitum [1] provinciam præmonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam satis fidas: deinde scias, si quis forte, quod abominor, fallat, paratam ultionem, [2] qua tamen ne sit opus, etiam atque etiam attende. Neque enim tam jucundum est vindicari, quam decipi miserum. *Vale.*

XXIII. C. PLINIUS [3] TRIARIO SUO S.

Triario promittit se defensurum causam, quam sibi commendaverat, hac conditione, ut secum ageret Cremutius Ruso, quem in forum producere cupiebat.

IMpense petis, ut agam causam pertinentem ad curam tuam, pulchram alioquin & famosam: faciam, sed non gratis. Quî fieri potest (inquis) ut non gratis? [4] tu potes. Exigam enim mercedem honestiorem gratuito patrocinio. Peto atque etiam paciscor, ut simul agat [5] Cremutius Ruso, solitum hoc mihi, & jam in pluribus claris ado-

nium Augusto c. XXXV. & apud Lampridium in Commodo legitur. *Buchn.*

1 *Provinciam.*] Bœticam sc. Hoc habes lib. VIII. *Catan.*

2 *Qua tamen ne sit opus.*] Sensus est: quanquam si falli contingat, hoc assit solatii ex Attici exemplo, paratam deceptores manere pœnam: potius tamen est cavere omnem deceptionem, ut ita nec ultione opus in illos sit, qui deceperunt. *Buchnerus.*

3 *Triario.*] Triarius Maternus, si Capitolino fides, Senator nobilis extitit, cum milites seditione mota adversus Pertinacem, in castra ducere voluerunt, ut rebus Romanis præficerent: sed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in Palatium venit, inde ex urbe decessit: verum *miles Triarius* is dicitur, qui in tertia acie collocatur, id est ultima, cum scutis. Unde cessit in proverbium, *Rem pervenisse ad triarios*, cum in extremum periculum deducta est. *Catan.*

4 *Tu potes.*] Tu in causa es. *Id.* Est alia lectio: *Ut non gratis tu? Potest.*

5 *Cremutius Ruso.*] Cujus nullibi invenio factam mentionem, sed tantum Rusonis liberti Cæsaris Dictatoris: & alterius fœneratoris. Cremutium Cordum commemorat Tranquillus. *Catan.*

1 Na-

adolescentibus factitatum. Nam mire concupisco bonos juvenes ostendere foro, assignare famæ. Quod si cui, præstare Rusoni meo debeo, vel propter [1] natales ipsius, vel propter eximiam mei charitatem: quem magni æstimo in iisdem judiciis, ex iisdem etiam [2] partibus conspici, audiri. Obliga me, obliga antequam dicat. nam cum dixerit, gratias ages. Spondeo, solicitudini tuæ, spei meæ, magnitudini causæ suffecturum. Est indolis optimæ, brevi [3] producturus alios, si interim provectus fuerit à nobis. Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat. *Vale.*

XXIV. C. PLINIUS MACRO SUO S.

Rem verissimam exemplo Arriæ & municipis cujusdam suæ comprobat, multa esse fama & gloria digna, quæ jacent in obscuro, quædam extolli, & per hominum ora ferri.

QUam multum interest, [4] quid à quoque fiat! [5] Eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium,

aut

1 *Natales ipsius.*] Quia nobilis. Claritas namque natalium auctoribus Euripide & Plutarcho solet afferre audaciam & bonos mores: contra obscuritas. Natales etiam pro nobilitate poni receptum est: nam Tranquillus scribit Lectorium deprecatum adulterii pœnam propter natales, id est majorum suorum nobilitatem. Hermogenianus, Consideranda est origo natalium. Et codice de jure annulorum Natales antiquos, & jus ingenuitatis non ordo præstat decurionum, sed à nobis petitur, Imperator ait. *Catan.*

2 *Partibus.*] Ut mecum causam defendat. Plures enim causidici ab utraque parte eandem causam tuebantur. *Idem.*

3 *Producturus.*] Foro assignaturus. Sic legimus apud Tranquil. Sæpius principum filios die virilis togæ *productos in forum* ad causas agendas. *Idem.*

4 *Quid à quoque.*] Scribo, *Quam multum interest, quid à quo fiat.* Casaub.

5 *Eadem.*] Paria, & ex æquo præstantia. Agathia de Zenone scribens monstrat vilium hominum facta jacere, principum etiam minima quæque extolli,

Οὐ πολλοὶ μερόπων εἰ καὶ μέγα ῥέξομεν ἔργον,
Οὔ τινος εἰς μνήμην δηρὸν ἐπερχόμεθα.
Οἱ δ' ἀγαθοὶ κλῶ μηδὲν, ἀναπνεύσωσι δὲ μοῦνον,
Ὡς λιβὺς εἴπον ἀνὴρ, τοῦτ' ἀοίδιμα πάντα,

Id est, *obscuri homines, etsi magnum gerimus opus, nullius ad memoriam diu de-*

aut tolluntur altissime, aut humillime deprimuntur. Navigabam per [1] Larium nostrum, cum senior amicus ostendit mihi villam, atque etiam cubiculum quod in lacum prominet. *Ex hoc* (inquit) *aliquando municeps nostra cum marito se præcipitavit.* Causam requisivi. Maritus ex diutino morbo circa velanda corporis ulceribus putrescebat: Uxor, ut inspiceret, exegit: neque enim quenquam fidelius [2] judicaturum, possetne sanari. Vidit, desperavit. hortata est, ut moreretur, comesque ipsa mortis, dux, immo & exemplum & necessitas fuit. Nam se cum marito ligavit, abjecitque in lacum. Quod factum, ne mihi quidem, qui municeps, nisi proxime, auditum est: non quia minus illo clarissimo [3] Arriæ facto, sed quia minor est ipsa. *Vale.*

XXV. C. PLINIUS HISPANO SUO S.

Robustus Ocriculum cum Scauro tendens postea nusquam comparuerat: quare Vipsanus rogaverat Secundum, ut à Scauro de omnibus certior fieret; itaque per epistolam pollicetur se Scaurum advocaturum, & omnia diligenter interrogaturum: vereri tamen ne idem acciderit Robusto, quod Metilio Crispo, qui post impetratos ordines nusquam comparuerat.

SCribis, Robustum, splendidum equitem Rom. cum [4] Attilio Scauro amico meo Ocriculum usque commune iter peregisse: deinde nusquam comparuisse: petis ut Scaurus veniat, nosque, si potest, in aliqua inquisitionis vesti-

venimus: verum clari, etsi nihil, respiraverint solum
Ut dixit vir Libs, hoc adamante manet. Catan.

1 *Larium nostrum.*] *Nostrum*, quia apud Comum erat hic lacus, Plinii patriam. Ita & alibi vocat. *Buchner.*

2 *Judicaturum.*] Melior lectio ex sequentibus, quam *indicaturum*. Cat.

3 *Arriæ facto.*] Quæ se confodiens Pæto marito pugionem porrexit; ut suum exemplum sequeretur. *Idem.*

4 *Attilio Scauro.*] Sic & Pal. & edd. vett. nisi quod quædam *Acilio*, aliæ *Caro*. *Commune iter peregisse.*] Ita iidem libri non *iter fecisse*, ut recentius vulgati. *Gruterus.*

[1]vestigia inducat. Veniet, vereor ne frustra. Suspicor enim tale nescio quid Robusto accidisse, quale aliquando Metilio Crispo, municipi meo. Huic ego [2]ordines impetraveram, atque etiam [3]proficiscenti quadraginta millia nummûm ad instruendum se ornandumque donaveram: nec postea aut epistolas ejus, aut aliquem de exitu nuncium accepi. [4]Interceptusne sit à suis, an cum suis, dubium: certe non ipse, non quisquam ex servis ejus apparuit. utinam ne in Robusto idem experiamur! tamen accersamus Scaurum. Demus hoc tuis, demus optimi adolescentis honestissimis precibus, qui pietate summa, mira etiam [5]sagacitate patrem quærit: dii faveant, ut sic inveniat ipsum, quemadmodum jam cum quo fuisset, invenit! *Vale.*

XXVI.

1 *Vestigia.*] Signa & indicia inquirendi Robustum. *Catan.*

2 *Ordines.*] Qui decuriis præerant ordinarii dicebantur, & principes, quod primos ordines ducebant. Ælianus centurionem, qui præficitur duabus quadruplaribus à nonnullis dictum ordinarium asserit. Ordinem autem Livius in bello refert habuisse sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum: is lib. VII. ab urbe condita tradit latam esse legem militarem, quæ sacrata appellaretur: & in ea cautum, ne quis ubi Trib. mil. fuisset, postea ordinum ductor esset. Ubi ductor ordinum nihil aliud est, quam primipilaris dignitas, sicut apud M. T. in Philippicis scribitur. *Idem.*

3 *Proficiscenti quadringenta millia nummûm, &c.*] Non me clam est, quam effusa liberalitate fuerit Plinius: Puto tamen veriorem esse lectionem, quæ in nonnullis codicibus reperitur, *quadraginta.* Nam etiam hæc summa (accedit ad mille aureos nostræ monetæ) munus amplissimum esse videtur. Plinius sane liberalis fuit, non prodigus, ut testatur epist. IV. lib. II. neque uni huic benefaciendum habuit; sed multis, quod ex his epistolis sæpe ab eo factum apparet. Postremo vix est, ut grandiore summa ad instruendum se opus haberet, qui ad ducendos ordines proficisceretur. Non enim is tantus honos fuit. Sic *Quintiliani filiæ nupturæ quinquaginta millia nummûm confert*, infra eodem. *Casaub.* *Quadraginta.*] Nupere vulgati: *quadringenta*, sed præter Pal. & edd. exoletas. *Gruterus.*

4 *Interceptus.*] Interfectus, mortuus. Tranquill. in Augusto, *Intercepto communis filii pignore.* Est enim intercipere quasi totum capere. Terentius in Eunucho: *Quod nos capere oportet, hæc intercipit.* Catan.

5 *Sagacitate.*] Astutia, industria. De canibus sagacitas proprie dicitur, qui advenientem sagaciter adoriantur. Seneca prudentiam à sagacitate distinguit. *Idem.*

XXVI. C. Plinius Serviano Suo S.

Serviano principi viro gratulatur, quod filiam suam Fusco Salinatori uxorem dare decrevisset, cujus virtutes plurimum probat, optatque filios similes ei nasci.

Gaudeo & gratulor, quod Fusco Salinatori filiam tuam destinasti. Domus [1] patricia, pater honestissimus, mater pari laude. Ipse est studiosus, literatus, etiam disertus, puer simplicitate, comitate juvenis, senex gravitate: neque amore decipior. Amo quidem effuse (ita officiis, ita reverentia meruit) [2] judico tamen, & quidem tanto acrius, quanto magis amo: tibique, ut qui exploraverim, spondeo habiturum te generum, quo melior fingi, ne voto quidem potuit. Superest, ut avum te quam maturissime [3] simillimum sui faciat. Quam fœlix tempus illud quo mihi liberos illius, nepotes tuos, ut meos vel liberos vel nepotes ex vestro sinu sumere, & quasi [4] pari jure tenere continget! *Vale.*

XXVII.

1 *Patricia.*] Est Salinatori domus Senatoria, cujus majores patres, id est Senatores, fuerunt. *Idem. Patricia.*] Senatorum enim progenies, & qui à primis Senatoribus oriundi erant, Patricii dicebantur. Liv. *Romulus centum creat Senatores, qui Patres ab honore, & Patricii progenies eorum appellati.* Vid. Schegkius ad Vellej. Paterc. lib. 1.

2 *Judico.*] Examino diligenter caussas cur eum laudo: nec amore decipior, neque enim soli maligni judicant. *Catan.*

3 *Simillimum sui.*] (Te) optimum virum sicut ipse Fiscus est. *Idem. Simillimum sui, &c.*] Inepta lectio, si quid judico. Ac miror eruditum virum Catanæum hoc esse secutum. Lege *simillimus sui*, vel *simillimi.* Sic lib. v. *Videas avos proavosque juvenum.* Placet tamen magis in sexto casu. *Casaubonus.*

4 *Pari jure.*] Tanquam si mei essent, quia amo te, tanquam parentem, & illum tanquam filium. *Catanæus.*

1 Desi-

XXVII. C. PLINIUS SEVERO SUO S.

Severum Cos. à Trajano designatum consulentem quid censeret in laudem Principis, docet Secundus exemplo suo quid faciendum, sed illi datam materiam censendi, & nova & majora rebus nuper ab Imperatore præclarioribus gestis.

ROgas, ut cogitem, quid [1] designatus Consul in honorem Principis [2] censeas. Facilis inventio, non facilis

1 *Designatus Consul.*] Qui gerendo Consulatui & aliis magistratibus destinabantur, solenni & proprio in ista re verbo, *designari* dicebantur: quod ad hunc Plinii locum observent tyrones. Gratianus Imperator Epistola ad Ausonium: *Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, atque ut facere debui, ut velle te scivi, consilium meum ad Deum retuli. Ejus auctoritati obsecutus, te Consulem* DESIGNAVI, *&* DECLARAVI, *& priorem* NUNCUPAVI. Ad quæ Ausonius Gratiarum actione ad Imperatorem: *Cujus orationis*, inquit, *ordo lucidior? quæ doctrina tam diligens* PROPRIIS COMITIORUM VERBIS *loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miscere.* Et mox: *Quis hæc verba te docuit? ego tam propria & tam Latina nescivi*, DESIGNAVI *&* DECLARAVI *&* NUNCUPAVI. Sic & in aliis honoribus muniisque solennia verba erant, quibus deligebantur, qui capessere deberent. Sic proprie NOMINARI dicebantur Sacerdotes, Vestales CAPI. *Buchner.*

2 *Censeas.*] Decernas: nam Consules designati in honorem principis aliquid decernebant. *Catan. Censeas.*] *Censere* curiæ verbum est. Nam cum sententiam rogati Senatores dicebant, CENSERE perhibebantur. Obtinuerat autem in libera quoque adhuc Rep. ut qui Relationes præclaras fecissent, aut qui salubria vel fortia maxime censuissent, à Senatoribus, cum censerent, collaudarentur, quod sub Principibus postea, & circa ipsos cumprimis ita invaluit viguitque, ut in turpissimum adulationis genus degeneraret: cum semper & in levissimis rebus, atque immodice id facerent, & vel falsissimis laudibus immorarentur. Nam semper inveniuntur, *quibus*, ut Taciti verba sunt, *omnia principum honesta & inhonesta laudare mos est*; præcipue tamen sub malis principibus; cum & libertas periculosa, & ipsum silentium quoque suspectum. Quare ut levitate tunc arguendi alii sunt, ita plerique necessitate excusandi. Atreus apud Tragicum:

—— Maximum hoc regni bonum est,
Quod facta Domini cogitur populus sui
Quam ferre, tam laudare.

Luculentus in hanc rem locus apud nostrum est Panegyrici cap. LIV. Sed quia prolixus, ibi legendus. Sed cum in Principem laudes congerere, cæteri Senatores solebant; tum eos cumprimis id facere, qui designati modo consules essent, obtinuisse, hæc ipsa Epistola arguit. Ac iis sane præ aliis imponi videbatur necessitas, digrediendi in laudes Principis: quod & obnoxii essent collati honoris beneficio, (nam penes Imperatores Jus nominandi Consules erat) & primi sententiam rogarentur. Ne aliorum urbanitas pudorem ipsis excuteret, qui nec obligati, tamen laudarent. *Buchner.*

cilis electio. Est enim ex virtutibus ejus larga [1] materia, tamen quod sentiam, indicabo, si prius hæsitationem meam ostendero. Dubito, num idem tibi suadere, quod mihi debeam. Designatus ego Consul, omni hac, & si non [2] adulatione, specie tamen adulationis abstinui: [3] non tanquam liber & constans, sed tanquam intelligens Principis nostri: cujus videbam hanc esse præcipuam laudem, si nihil quasi ex necessitate decernerem. Recordabar etiam plurimos honores [4] pessimo cuique delatos, [5] à quibus hic Optimus separari non alio modo magis poterat, quam diversitate censendi: quod ipsum [6] dissimulatione & silentio non

1 *Materia, tamen quod sentiam, &c.*] Pal. *materia tam vel quod malo quodam indicabo.* Editio prima: *tamen quod malo indicabo.* Gruterus.

2 *Adulatione.*] Id est, Laudibus iis, quæ sententiæ dictioni à designatis Coss. in Principis honorem atteri solebant. Cæterum omnis ficta falsaque laudatio, adulatio est: vera, semper non est: suspicionem tamen incidere potest, quod veræ etiam laudes non semper admiratione virtutum, sed & non raro captandæ gratiæ (quod adulatorium) institui soleant. Quo respectu Trajanum quoque laudare, *speciem adulationis* habere poterat; quamvis non esset adulatio: quippe qui propter virtutum, quibus præditus, excellentiam, neque laudari satis posset, & laudari ab omnibus mereretur. *Buchnerus.*

3 *Non tanquam liber, &c.*] Non abstinui adulatione, quod libertate dicendi & constantia usus sim, sed quia intelligebam Trajani virtutes eas esse, quæ non indigerent blanditiis. *Catan.* *Non tanquam liber, &c.*] *Liber est*, qui nihil coacte aut metu facit, & sua sponte agit omnia: *Constans*, qui tuetur propositum animi, nec à probata ratione semel dimoveri temere se patitur; itaque & facili ac leni opponitur. *Intelligens Principis*, qui mores atque ingenium Principis novit ac tenet: quemadmodum alibi quoque locutus noster, Ut lib. VIII. Ep. XXIII. *Quem Legatum Tribunus ita & intellexit & cepit, ut ex Germania in Pannoniam transeuntem, non ut comilito, sed ut comes affectatorque sequeretur.* Buchner.

4 *Pessimo cuique.*] Imperatori, non princeps enim Caligula, sed monstrum, cognominatus est Pius, castrorum filius, pater exercituum, & optimus maximusque Cæsar. *Catan.*

5 *A quibus hic Optimus, &c.*] *Optimus*, Trajanus, cui hæc laudis appellatio in cognomen vertit. Per *pessimum quemque*, Tiberium, Caligulam, Neronem, atque imprimis Domitianum, qui proxime antecesserat, intelligit. Sub quibus cum inolevisset maxime laudare in dictione sententiæ Principem; non honor id amplius, sed consuetudo videri poterat; quam nunc migrare sub optimo, atque silere inter censendum de Principis laudibus, honor & reverentia videbatur. Idem sensus in illo panegyrici cap. LV. *Cum jampridem novitas omnis adulatione consumta sit, non alius erga te novus honor superest, quam si aliquando de te tacere audeamus.* Buchnerus.

6 *Dissimulatione & silentio non præterii.*] Quamvis rogatus sententiam primum, jam designatus Consul, Plinius

non præterii, ne forte non judicium illud meum, sed oblivio videretur. [1] Hoc tunc ego, sed non omnibus eadem placent, [2] nec conveniunt quidem. Præterea, faciendi aliquid vel non faciendi vera ratio, cum hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum [3] conditione mutatur. [4] Nam recentia opera maximi Principis præbent facultatem, nova, magna, vera, censendi: quibus ex causis (ut supra scripsi) dubito an idem nunc tibi, quod tunc mihi suadeam. Illud non dubito, debuisse me in partes consilii tui ponere, quid ipse fecissem. *Vale.*

XXVIII.

nius Trajani laudes haud attigerat; non tamen se causas, cur non attigisset, dissimulasse & præteriisse se ait. Et eas adeo allegandas sibi habuisse scribit, ne magis oblitus consuetudinis receptæ, quam judicio & certis adductus rationibus fecisse illud videri posset. *Buchn.*

1 *Hoc tunc ego.*] Censui cum Consul designatus eram. *Catan.*

2 *Nec conveniunt quidem.*] Tum respectu naturæ, quæ alia aliaque in aliis est, (nihil autem invita Minerva faciendum) tum ætatis atque conditionis. Sæpe & ipsum tempus atque necessitas aliam atque aliam personam nobis imponit. Vide Cicer. lib. I. de Officiis cap. XXXI. & seq. *Buchner.*

3 *Conditione.*] Hominum: si fiunt clariores, vel obscuriores, ac deinceps. Nam nisi hominum, rerum, & temporum conditionem recte consideraveris, antequam negotia aggrediaris, facile decipieris. *Catanaus.* *Conditione mutatur, &c.*] Sic Catanæus è Pontificio exemplari, proximeque ei Pal. & vett. edd. in quibus *conditio nunciatur.* Vulgata fere, *conditione initur.* Gruterus.

4 *Nam recentia opera maximi Principis præbent facultatem nova, &c.*] Laudamur & honoramur ex factis atque operibus: quibus præclaris atque egregiis cum principatum suum Trajanus insigniisset recens; haud futilis certa occasio atque facultas laudandi ac honorandi principis præberi omnibus videbatur. Dubitat itaque Plinius, utrum silendum Severo de iis, sicut ipse silnerat, jam designatus Consul, sed qui in talem oportunitatem non incidisset. Cæterum qui inter censendum Principum facta ac laudes attingebant, non illas prosequebantur verborum tantum elogiis; sed nova quædem honoris genera, tituli, statutæ, arcus ut decernerentur iis ornandi causa, fiebant auctores. Eo itaque pertinent verba illa, *nova, magna, vera censendi.* *Nova*, nondum communicata cum aliis; *magna*; quæ operibus principis respondent; *vera*, id est, non ficta & falsa: quemadmodum sub malis principibus haud raro veniebat usu. Exempli gratia: cum Domitianus Germanici appellatione ornatus est; & ei decretus triumphus: quasi vicisset eam gentem, à qua tantum non victus erat. *Buchnerus.*

1 Prær.

XXVIII. C. PLINIUS PONTIO SUO S.

Admittit Pontii excusationem, quod sibi non occurrisset: & fructus quos miserat scribit recepisse, denuntians, in futurum ut modum donis imponeret.

SCIO quæ tibi causa fuerit impedimento, quo minus [1] præcurrere adventum meum in Campaniam posses: sed quanquam absens totus huc migrasti, tantum mihi copiarum tam urbanarum quam rusticarum, nomine tuo oblatum est, quas omnes [2] improbe quidem, accepi tamen. Nam me tui, ut ita facerem rogabant: & verebar ne & mihi & illis irascereris, si non fecissem. In posterum nisi adhibueris modum, ego adhibebo. Etiam tuis denuntiavi, si rursus tam multa attulissent, omnia relaturos. Dices, *oportere me tuis rebus ut meis uti.* etiam: sed perinde illis ac meis parco. *Vale.*

XXIX. C. PLINIUS QUADRATO SUO S.

Numidium Quadratum, quem jam foro assignaverat, exemplo sui monet quas causas agere debeat: imprimis ut multum studeat, ut quoties opus fuerit, sit paratus ad dicendum: interdum tamen standum necessitati, quod ipse quandoque fecisse testatur, dum mandatis Senatus paret: cujus jussu refert orationes à se habitas.

[3] AVidius Quietus, qui me unice dilexit, &, quo non

1 *Præcurrere.*] Prævenire, ut me susciperes. *Catan.*

2 *Improbe.*] Rustice feci accipiendo eas. *Idem.*

3 *Avidius Quietus.*] Avidii fit mentio apud Africanum JC. Avidium Nigrinum Procos. sub Domitiano testantur epistolæ Secundi & Trajani: & Ventidium Quietum lego fuisse Severo imperante. Lusius vero Quietus, quanquam apud Eusebium in Chronicis corrupte legatur Lisias, Judæos rebellantes Mesopotamia exterminavit. Nam adversum eos aciem struens infinita millia interfecit, ob quæ Judææ procurator à Trajano decernitur: postea

[1] non minus gaudeo, probavit, ut multa alia Thraseæ (fuit enim familiaris) ita hoc sæpe referebat, præcipere solitum, suscipiendas esse causas, aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. Cur amicorum? [2] non eget interpretatione. Cur destitutas? quod in illis maxime & constantia agentis, & humanitas cerneretur. [3] Cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum [4] referret, bonum an malum [5] induceretur. Ad hæc ego genera causarum, ambitiose fortasse, addam tamen claras & illustres. Æquum enim est agere nonnunquam gloriæ, & famæ, id est suam causam: hos terminos, quia me consuluisti, dignitati ac verecundiæ tuæ statuo. Nec me præterit, usum & esse, & haberi [6] optimum dicendi magistrum. Video etiam multos parvo ingenio, literis nullis: ut bene agerent agendo consecutos. Sed & illud quod vel Pollionis, vel tanquam Pollionis accepi, verissimum experior, *Commode agendo factum est, ut sæpe agerem, sæpe agendo, ut minus commode*: quia scilicet assiduitate nimia [7] facilitas magis, quam facultas: nec fiducia, sed temeritas paratur. [8] Nec vero Isocrati,

quo

postea sublatis Mauris, quos regebat, quia suspectus imperio fuerat, ab Adriano est exarmatus, auctore Spartiano. *Catan.*

1 *Non minus gaudeo.*] Scilicet, quam me diligeret. *Idem.* *Non minus gaudeo. probavit.*] Sic Pal. & edd. vett. posteriores enim, *& cui non minimum gaudeo, probavit.* Gruter.

2 *Non eget.*] Satis enim manifestum omnia pro amico facienda, modo non excedant verecundiæ terminos. *Cat.*

3 *Cur pertinentes ad exemplum?*] Causas futuras bono exemplo legentibus & audientibus. Nam exemplorum quædam comparata sunt, ut nos instruant ad bonum: quædam ad malum declinandum. *Idem.*

4 *Referret, bonum.*] Sic Pal. & edd. vett. nisi quod Pal. *duceretur*, vett. edd. *diceretur*, vulgatis erat *refert.* Grut.

5 *Induceretur.*] Alia lectio *ducem haberent.* Boxhorn.

6 *Optimum dicendi, &c.*] Hoc frequenter Marcus Tullius testatur, ut primo & tertio de Oratore, item de perfecto oratore, ac pro Corn. Balbo. *Catan.*

7 *Facilitas.*] Secutus est præceptorem Fabium, qui lib. x. inquit, *Scribendo dicimus diligentius, dicendo scribimus facilius.* Idem.

8 *Nec vero Isocrati.*] Non obfuit Isocrati quo minus haberetur summus orator, quod non auderet in publicum prodire ad causas agendas debilitate vocis & pudore. Isocrates Atheniensis rhetor, ut Plutarchus in ejus vita scripsit, sui temporis insignis, in cujus labris Siren insederat, si Philo-

strato

quo minus haberetur summus orator, offecit, quod [1] infirmitate vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret, impediebatur. Proinde multum lege, scribe, meditare, ut possis, cum voles dicere: dices, cum velle debebis. Hoc fere temperamentum ipse servavi, nonnunquam necessitati, [2] quæ pars rationis est, parui. Egi enim quasdam à Senatu jussus, [3] quo tamen in numero fuerunt ex illa [4] Thraseæ divisione, hoc est ad exemplum pertinentes. Adfui Bæticis contra [5] Bæbium Massam. Quæsitum est, an danda esset inquisitio: data est. Adfui [6] rursus, iisdem

strato credimus, in compositione plusquam diligens, nitidus, comptus, & palæstræ quam pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi veneres sectatus est, cujus è ludo, tanquam ex equo Trojano innumeri principes exierunt. Lege vitam ejus apud Plutarchum, Philostratum & Dionysium. *Idem.*

1 *Infirmitate vocis, &c.*] Cicer. II. de Oratore, *Ut ille*, inquit, *pater eloquentiæ de se Isocrates scripsit ipse, pudore à dicendo, & timiditate ingenua refugisti.* Nam Isocrates in oratione, cui titulus παναθηναϊκὸς talia de se fassus: *Scio naturam ad res gerendas infirmiorem & debiliorem, quam opus sit. Nam ad orationes neque exactam, neque omnino inutilem, sed judicare quidem de unaquaque re veritatem magis potentem, quam scire pollicentem: verum agere de his in concione multorum audacter hominum omnibus (ut verum dicam) inferiorem, &c.* Quæ ad verbum traduximus suppressis Græcis verbis, ne in his videamur nimium insolescere. *Idem.*

2 *Quæ pars est rationis.*] Nullis enim subjacet legibus, & feriis caret, tradente Palladio: demum ἀνάγκη οὐδὲ θεοὶ μάχονται, id est, *necessitate ne dii quidem repugnant*, nam cogit ad effectum, quæ à fato dependent: unde in officiis Cicero: *Necessitati esse parendum.* In Græco epigrammate πάνδεινος ἀνάγκη appellata, quod omnia audeat: fit autem sæpius virtutis causa. *Idem.*

3 *Quo tamen &c.*] Lego, *quæ tertio in numero fuerunt, ex illa Thraseæ divisione.* Manifestum est, si quis attente ita legat & supra allatæ divisionis Thraseæ meminerit, ita legendum esse. Fuerat scriptum notis III. pro tertio: imperiti homines putarunt esse *tn.* & *tamen* legerunt: quæ vox ita vulgo scribi per compendium solet. *Casaub.*

4 *Thraseæ divisione.*] Ex ea divisione causarum, quas Thrasea præcipiebat suscipiendas: hoc est, id genus quod pertinebat ad exemplum, ut adesse Bæticis, quod expilati essent à Bebio Massa & Cæcilio Classico. *Catan.*

5 *Bæbium Massam.*] Hanc rem latius complectitur lib. VII. epistola ad Tacitum. *Idem.*

6 *Rursus.*] Secundò. Nam ter egit pro Bæticis, quod lib. III. ad Macrinum testatus est: tertio se munere functum pro illis scribens, unde subjungit iisdem Bæticis lamentantibus, quod Classicus provinciam spoliasset. Contentio fuit an ministri ejus venirent puniendi, quod operam suam ad turpe ministerium præstassent. *Id.*

Iisdem querentibus de Cæcilio Classico.] *Quærere* non actorum, sed judicum est: unde & *Quæstores.* Rescribe *querentibus*, id est, expostulantibus. Noster

iisdem querentibus de Cæcilio Classico. Quæsitum est, an [1] provinciales, ut socios ministrosque Proconsulis, plecti oporteret: pœnas luerunt. Accusavi Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus, utebatur [2] clementia legis, cujus severitatem [3] immanitate criminum excesserat: relegatus est. [4] Tuitus sum Julium Bassum, ut incustoditum nimis & incautum, ita minime malum: judicibus acceptis in Senatu remansit. Dixi proxime pro Vareno postulante, ut sibi [5] invicem vocare testes liceret: impetratum est. In posterum opto, ut ea potissimum [6] jubeat, quæ me deceat vel sponte fecisse. *Vale.*

XXX. C. PLINIUS FABATO SUO S.

Quassata prosoceri sui villa ex vetustate, quærit præficere prædio aliquem virum agrestem, qui intersit operi reficiendo.

DEbemus, me Hercule, [7] natales tuos perinde ac nostros celebrare, cum lætitia nostrorum ex tuis pendeat,

ster lib. III. Epist. IV. *Legati provinciæ Bæticæ questuri de Proconsulatu Cæcilii Classici, advocatum me à Senatu petierunt.* Leve mendum; sed quia editiones omnes obsederat, indicandum fuit. *Buchner.*

1 *Provinciales.*] Bæticos, qui se implicaverant rapinis Proconsulis: neque enim ita defendebantur, ut negarent, sed ut necessitati veniam deprecarentur. *Catan.*

2 *Clementia legis.*] Quæ jubebat ut ablata restitueret, verum majore pœna digna flagitia commiserat, quibusdam crudeliter excarnificatis. *Idem.*

3 *Immanitate.*] Crudelitate, dum accepta pecunia punit Equitem Romanum exilio, & septem ejus amicos morte. Item alium Equitem Romanum multis cruciatibus dilacerat. *Id.*

4 *Tuitus.*] Vocabulum raro inventu. Paulus tamen ff. quinquagesimo titulo de vacatione, *Qui publicum*, inquit, *negocium tuitus sit.* Et cæteri Jurisconsulti frequenter dixere, *tuitionem*, ut Ulp. ff. XLIII. Verbum sane illinc deductum, ut secundum aliquos ædituus. *Idem.*

5 *Invicem vocare.*] Corrige haud dubius *evocare.* Ut & supra lib. V. epistol. XX. *ut sibi quoque defensionis causa evocare testes liceret.* Uti habent veteres editiones. *Gronov.*

6 *Jubeat.*] Catanæus videtur legisse *jubeant*, subi. Senatores. Prædictas enim causas egerat jubente Senatu.

7 *Natales tuos.*] Nobilitatem tuam manifestam per Camillianam villam quam majores tui tibi reliquerunt: an potius, quod ibi natus erat Fabatus? Sunt qui legant *novales tuos*, scilicet agros, propter sequentia, præsertim illud, rusticorum autem prædiorum administratio. *Catan.*

deat, cujus diligentia & cura hîc hilares, istic securi sumus. Villa Camilliani quam in Campania possides, est quidem vetustate vexata, ea tamen, quæ sunt pretiosiora, aut integra manent, aut levissime læsa sunt. Attendemus ergo ut quam saluberrime reficiantur. Ego videor habere multos amicos, sed hujus generis, cujus & tu quæris, & res exigit, prope neminem. Sunt enim omnes [1] togati & urbani: rusticorum autem prædiorum administratio poscit [2] durum aliquem & agrestem, cui nec labor ille gravis, nec cura sordida, nec tristis [3] solitudo videatur. Tu de Rufo honestissime cogitas. Fuit enim filio tuo familiaris. quid tamen nobis ibi [4] præstare possit, ignoro, velle plurimum, credo. *Vale.*

XXXI.

1 *Togati & urbani.*] Belli, elegantes, & urbanis tantum officiis sueti amicitiam colere, ex quibus parum utilitatis redundat. Cicero ad Attic. lib. I. Ep. XV. *Illæ ambitiosæ nostræ fucosæque amicitiæ sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent.* Buchner.

2 *Durum aliquem & agrestem.*] *Durum*, id est, patientem & ad labores obfirmatum. Quemadmodum *duros agrestes*, Virgilius, & *durum Ulyssem* Ovidius dixit, quem in Epodis Horatius *laboriosum* vocat. Cui *labor gravis haud est*, ut ipse Plinius paulo post interpretatur. *Agrestis*, natus in agro & educatus ibi procul deliciis & celebritate urbana: huc enim, quod subjicit mox, pertinet, *cui nec cura sordida, nec tristis solitudo videatur.* Nam urbanis illis & nitidis res rustica, sordidum videbatur opus, de quo conqueritur Columella; quin servile, & pœnæ proximum. Unde Pomponius Tribunus plebis L. Manlio Imperioso apud Livium objicit; *quod filium Juvenem* (quem quod linguâ inpromtus & male facundus esset rure abdiderat) *nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem atque in ergastulum dederit.* Etiam noster *humiles curas & sordidas* vocat, sed respectu Studiorum lib. I. Ep. III. *Idem.*

3 *Solitudo.*] Quod solus & sine urbanorum contubernio vivat. Hinc Columella vetat nundinas villicum frequentare, ut semper in opere sit. *Catan.*

4 *Possit præstare.*] Possit facere. Est alia lectio, *Quid tamen novi sibi præstare possit ignoro*, ut sit sensus: nescio quid novi præterquam consueverat, quod non facit in re præsenti, sibi deposcat, & assumat præstandum, quamvis credam habere bonam mentem præstandi plurima. in antiquo codice pro credo legitur scio. *Idem*,

Centum-

XXXI. C. PLINIUS CORNELIANO SUO S.

Secesserat Trajanus ad Centumcellas, quo consilii gratia Secundum cum multis Senatorum evocaverat: ibique Claudius Aristo ab invidis accusatus absolvitur. Gallita adulterii rea cum adultero condemnatur, tertio die cognoverunt codicillos Julii Tyronis, quæ tamen judicia remissiones variabant. Hæc Secundus Corneliano scribit, ac postremo portum à Trajano jam semistructum summa cum evidentia repræsentari.

EVocatus in consilium à Cæsare nostro ad [1] Centumcellas (hoc loco nomen) longe maximam cepi voluptatem. Quid enim jucundius quam Principis justitiam, gravitatem, comitatem, in secessu quoque ubi hæc maxime recluduntur, inspicere? Fuerunt variæ cognitiones; & quæ virtutes judicis per plures species experirentur. Dixit causam Claudius Aristo [2] princeps Ephesiorum, homo munificus, & [3] innoxiæ popularitatis: inde invi-

1 *Centumcellas.*] Abest à Corneto passuum millia decem, portus celebris arcem habens munitissimam, cui civitati veteri nomen est: olim Centumcellensis portus: parvo enim spatio abest Centumcellensis oppidi locus à Barbaris dirutus, in quo divum Augustinum libros de Trinitate tradunt scripsisse. Neque in hoc Gaspar Blondus est audiendus, cum refert Plinium dicere Adrianum Imperatorem centum judicibus ad audiendas publice causas se præsente institutis cellas totidem ædificasse, cum neque Adrianum, sed Trajanum, neque centum cellas totidem judicibus excitasse tradat. Centumcellas oppidum fuisse Italiæ sæpe fit mentio in libello Gotico, quem Leonardus Aretinus latinitate donavit. Hodie quoque ad Graviscas portus vetustissimus extat, in cujus ostio insulæ forma cum dimidiata turri. Ptolemæus juxta Populoniam Rusellas locat. Strabo post Graviscas regis villam, Malcoti Pelasgi regiam. *Idem.*

2 *Ephesiorum princeps.*] Primus in urbe Epheso. Ephesus civitas Joniæ celeberrima, & portus in sinu. Herodot. Lydiæ esse dicit, vocatur & Smyrna, ab Amazone Smyrna appellata, & Sermona, & Ortygia, & Ptelea: ibi erat templum Dianæ. Urbs in cavo loco condita, tempestate submersa fuit multis interemptis. Lysimachus civitatem transtulit, ubi nunc est, quam ab uxore sua Arsinoën nominavit, sed eo mortuo priorem appellationem resumpsit. *Stephanus.*

3 *Innoxiæ popularitatis.*] Populo gratus sine damno alicujus, vel innoxiæ popularitatis, ad idem. *Catan.*

invidia, & ab dissimillimis dissimilis delator immissus. Itaque absolutus vindicatusque est. Sequenti die audita est Galitta adulterii rea. Nupta hæc Tribuno militum honores petituro, [1] & suam & mariti dignitatem centurionis amore maculaverat. Maritus Legato Consulari, ille Cæsari scripserat. Cæsar excussis probationibus, centurionem [2] exauctoravit, atque etiam relegavit. Supererat crimini, quod nisi duorum esse non poterat reliqua pars ultionis, sed maritum [3] non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor uxoris [4] retardabat: quam quidem etiam post delatum [5] adulterium domi habuerat, quasi contentus [6] æmulum removisse. Admonitus, ut [7] perageret

1 *Et suam.*] Nam mariti honor ad uxores redundat. Ulpianus ff. primo: *Fœmina nuptæ clarissimis personis clarissimarum personarum appellatione tenentur, fœminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt.* Idem.

2 *Exauctoravit.*] Removit à primipilatu secundum leges. Arrianus de re militari, adulterio vel aliquo judicio publico damnati, inter milites non sunt recipiendi. Auctorare autem est pecunia addicere sibi aliquem: exauctorare vero, à mercede constituta removere. Aliquando tantummodo pro repudiare sumitur. Macrobius, Exauctorata, inquit, verba jam desueta & abolita. *Idem.*

3 *Non sine reprehensione.*] Criminis lenocinii, Severus & Antoninus Imperatores, Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt. Marcellus ad legem Juliam de adulteriis, & stupro, Mariti lenocinium lex coërcuit, qui deprehensam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimisit: debuit enim uxori quoque irasci, quæ matrimonium ejus violavit. *Idem. Reprehensione patientiæ.*] Portius Latro apud Senecam lib. II. Controvers. XV. *Quanquam eo prolapsi mores sunt, ut nemo ad suspicanda adulteria nimium credulus videri possit, tamen ego adeo longe ab eo vitio semper fui, ut etiam timeam, ne quis in me aut nimiam patientiam, aut nimium stuporem arguat.* Sic & Tertullianus de patientia cap. ult. Itaque proprio vocabulo conniventia maritorum, & in ferendis adulteris facilitas, *patientia* vocabatur. Ex quo idem Pater Apologetici cap. XXXIX. *Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores. In isto loco consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed & sua amicis* PATIENTISSIME *subministrant.* Buchnerus.

4 *Retardabat.*] Ab accusatione. Domitianus Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, condemnavit. *Catan.*

5 *Adulterium.*] Papinianus ad legem Juliam de adulteriis & stupro: *Lex Julia stuprum & adulterium promiscue appellat, sed proprie adulterium in nuptam committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine.* Idem.

6 *Æmulum removisse.*] Mitiore vocabulo *æmulum* f. rivalem vocat, quem adulterum debebat. *Buchner.*

7 *Peragerет accusationem.*] Ut uxorem Galittam condemnandam curaret.

ageret accusationem, peregit invitus, sed illam damnari etiam [1] invito accusatore necesse erat: damnata, & [2] Juliæ legis pœnis relicta est. [3] Cæsar & nomen centurionis, & commemorationem disciplinæ militaris sententiæ [4] adjecit, ne omnes ejusmodi causas revocare ad se videretur. Tertio die inducta cognitio est multis sermonibus, & vario rumore jactata [5] Julii Tyronis codicillis, quos ex parte veros esse constabat, ex parte falsi dicebantur. [6] Substituebantur crimini Sempronius Senecio, Eques Romanus, & Eurythmus, Cæsaris libertus, & procurator. Hæredes, cum Cæsar esset [7] in Dacia, communiter epistola scripta petierant ut susciperet cognitionem:

ret. Peregisse autem, ut JC. ff. quadragesimo octavo ad legem de adulteriis asserit, non aliter quis videtur, nisi & condemnaverit. Adulterii autem accusatio ex consensu J. Consultorum imprimis ad maritum pertinet: & marito jure mariti accusanti illi præscriptio objicitur: si lege prodidisse dicatur, ob hoc quod aggressus accusationem adulterii accusare destitit, quique in adulterio deprehensam retinuerit, in eum pœna statuta. Cujus metu quanquam invitus Tribunus uxorem ream peregit. *Catan.*

1 *Invito accusatore.*] Nam adulterium publicum crimen est, & reipub. causa constitutum. Unde non in manu mariti erat ab accusatione desistere. Verum ponamus aliquo casu destitisse, alium exercere utile erat: nam & pater adulteræ & alii accusare poterant, si prius adulterum condemnassent. *Idem.*

2 *Juliæ legis pœnis relicta est.*] Ad Legem Juliam de adulteriis, quæ ab Augusto lata est, Digestorum titulus est lib. XLVIII. v. & Cod. lib. IX. sed neque ibi nec aliis locis usquam pœna ipsa diserte exprimitur. Non unam fuisse præsens nostri locus arguit: ac inde causa non unius opinionis. Sed erudite super isto negotio Cujacius lib. VI. Observat. cap. XI. & Justus Lipsius ad IV. Annal. Taciti disputarunt qui consulendi. *Buchner.*

3 *Cæsar & nomen Centurionis &c.*] Tuendæ disciplinæ militaris propria Imperatoris cura est: quæ cum Centurionis adulterio violata esset, ejus cognitio ad Trajanum pertinebat. Hoc itaque in sententia, quam pronunciarat, allegaverat Trajanus: ne omnes in universam hujusmodi causæ suæ cognitionis facere videretur. *Idem.*

4 *Adjecit.*] Postquam pronunciavit de supplicio, adjecit huic sententiæ se suscepisse hanc cognitionem adulterii propter disciplinam militarem, quam corrigere pertinebat ad se: nam post Augustum jam collapsam militarem disciplinam Trajanus severissime restituit. *Catan.*

5 *Julii Tyronis.*] Vel *Julii Tyronis codicillis*: vel, *de Julii T. codicillis* constat legendum. *Casaubonus.*

6 *Substituebantur.*] Accusabantur. *Catan.*

7 *In Dacia.*] Dum bellum gereret contra Decibalum Dacorum regem, cui bis intulit bellum. *Idem.*

nem: susceperat. reversus [1] diem dixerat, & cum ex hæredibus quidam quasi reverentia Eurythmi remitterent accusationem, pulcherrime dixerat, [2] *Nec ille Polycletus est, nec ego Nero.* Indulserat tamen petentibus dilationem, cujus tempore exacto consederat auditurus. A parte hæredum intraverunt duo: omnino postularunt, ut omnes hæredes agere cogerentur, cum [3] detulissent omnes, aut sibi quoque desistere permitteretur. Locutus est Cæsar summa gravitate, summa moderatione: cumque advocatus Senecionis & Eurythmi dixisset, suspicionibus relinqui reos, nisi audirentur, *Non curo* (inquit) *an isti suspicionibus relinquantur,* [4] *ego relinquor.* Dein conversus ad nos, [5] Ἐπίστασθε, *quid facere debeamus? Isti enim queri volunt quod sibi licuerit*

non

1 *Diem dixerat.*] Dederat diem quo in jus convenirent, citaverat partes ad constitutum diem. *Idem.*

2 *Nec ille Polycletus, nec ego Nero.*] Sub prioribus Principibus sic Libertorum potentia creverat, ut sicut principes civium, ita liberti Principum Domini existerent. Cum possent itaque omnia, omnia obtinerent, nihil non agerent liberti impune, æque ac imperatores ipsi metuebantur: aliquando & magis. Trajanus igitur cum intelligeret hæredes Tyronis Eurithmi, liberti sui, accusationem remisisse, quod vererentur ne in ministro & gratioso forte offenderent dominum, corrigere eos & addere animos hoc dicto voluit ut suum jus persequi pergerent. Ostendens eo apud se loco Eurythmum non esse, ut vereri ejus potentiam deberent; nec semetipsum tam sui oblitum, ut in ministri persona suam posse lædi existimaret. Polycletus potens & dives libertus sub Nerone fuit, de quo Dionis Epitomator, & Tacitus quoque non uno loco. Pro tali igitur hoc dicto, per antonomasiam, Polycletus, ponitur: quemadmodum Nero pro usus nullius Imperatore, & qui libertis suis omnia indulgeat. Tale illud Petronii Satyrico: *Si Lucretia es, Tarquinium invenisti.* Item Senecæ Agamemnone: *Ubi Helena est, Trojam puta.* Buchner.

3 *Detulissent omnes.*] Uno consensu accusationem omnes inchoassent: aut si illi desisterent ab accusatione, sibi quoque liceret abire. *Catan.*

4 *Ego relinquor.*] Suspicionibus sinistris, puta. Ac si plus æquo indulgeret liberto faveretque. A quo vitio alienissimus Trajanus erat. Noster de eo Paneg. c. LXXXVIII. *Plerique Principes cum essent civium Domini, libertorum erant servi: horum consiliis, horum nutu, regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur: per hos præturæ & sacerdotia, & consulatus, imo ab his petebantur. Tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tanquam libertis habes: abundeque sufficere his credis, si probi & frugi existimentur. Scis enim præcipuum esse indicium non magni Principis magnos libertos.* Buchner.

5 Ἐπίστασθε.] Vel καθιστήσατε constituite, decernite. *Catan.* Ἐπίστασθε.] Pro hoc verbo, cujus significatio huic loco minime est apta, substituo καθιστήσατε sive καθιστήσασθε, ex quo-

non accusare: [1] tum ex Consulis sententia jussit denunciari hæredibus omnibus, aut agerent, aut singuli approbarent causas non agendi, alioqui se vel [2] de calumnia pronunciaturum. Vides quam honesti, quam severi dies, quos jucundissimæ remissiones sequebantur. Adhibebamur quotidie cœnæ. erat [3] modica, si Principem cogites: interdum [4] ἀκροάματα audiebamus, interdum jucundissimis:

ex quodam veteri exemplari, ut significetur Statuite, constituite: vel decernite. Licet alio potius verbo aut etiam aliis verbis illa significare soleant Græci. *Stephan.*

1 *Tum ex Consulis sententia.*] Ita Palat. & edd. vett. recentiores *ex consilii sententia.* Gruter. *Ex Consulis sententia.*] Quicquid habeat Pal. scribendum *ex consilii sententia:* vel si Consulum aliquis interfuisset, sed non interfuisse credibilius. Cicero Bruto: *Cum Consules re audita amplius de consilii sententia pronunciassent.* Idem ad Capitonem lib. XVI. ad Atticum: *Coss. de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios.* Gronov.

2 *De calumnia.*] Quæ est vexatio alicujus in litibus per fraudem & frustrationem. Et calumniatoribus pœna lege Rhemia irrogatur, contra quos Imperatores Honorius & Theodosius hæc constituerunt: *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Lege enim XII. tabularum cautum erat, ut calumniator idem pateretur quod reus, si convictus esset. Plura ff. tertio & Codice de calumniatoribus. *Catan. Vel de calumnia pronuntiaturum.*] *Calumnia* falsa accusatio est: cui dicta pœna: quam qui subierant, *calumniatores* demum audiebant contrahebantque infamiam. Vide L. Athletas IV. §. Calumniator IV. D. de his qui notantur infamia. *Pronuntiare* est ferre sententiam, sive absolvat ea seu damnet. Itaque *pronuntiare de calumnia* est, calumniæ causa damnare. Sic L. VI. D. ad Legem Juliam peculatus, *pronuntiari* dicuntur *ad bestias*, qui damnantur. *Buchnerus.*

3 *Modica.*] Exemplo D. Augusti, qui cœnam ternis ferculis, aut cum abundantissime senis præbebat, ut non nimio sumptu, ita summa comitate, ut qui tacentes vel summissum fabulantes ad comitatem sermonis provocaret. *Catan.*

4 *Ἀκροάματα.*] Per contractionem fit *acromata*, quæ secundum Suidam & Gellium interpretes, sunt auscultationes. Antisthenes dixisse traditur, cum vidisset adolescentem luxuriosum acromatibus deditum, Miserum te adolescens, qui nunquam audisti summum acroma, id est tuam laudem. Facit hic opportune ut acromata intelligamus histriones & mimos. Marcus Tullius pro Publio Sestio, *Ille ipse maxime ludius, non solum spectator, sed actor, & acroama.* Tranquill. in Augusto: *Et aut acromata & histriones cœnis interponebat.* Plutarchus in symposiis acromata refert solita esse introduci in convivium. Lampridius in Alex. *omnia acromata populo donavit.* Athenæus tradit Antiochum regem in conviviis *acroamatibus* illusisse. *Idem.* *Ἀκροάματα.*] Hoc homines utuntur tam de lepidis quibusdam & ad voluptatem aurium comparatis dictis, quam de iis à quibus ea dicuntur. Possunt autem hæc *auditiones lepidæ* appellari seu *festivæ:* quum Auditio interdum vocetur id quod auditur. Catanæus putat intelligi hic de-

simis sermonibus nox ducebatur. [1] Summo die abeuntibus nobis ([2] quam diligens in Cæsare humanitas !) xenia sunt missa. Sed mihi ut gravitas cognitionum, [3] consilii honor, [4] suavitas simplicitasque convictus, ita locus ipse perjucundus fuit. [5] Villa pulcherrima cingitur viridissimis agris; imminet littori, [6] cujus in sinu quam maximus

bere histriones & mimos. Cui ut assentiar, faciunt hæc quæ proxime sequuntur; *Interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur*. Sed malim de mimis tantummodo intelligere. *Stephanus.*

1 *Summo die abeuntibus nobis.*] Novissimo die consilii discedentibus nobis & redeuntibus domum. *Buchner.*

2 *Quam diligens.*] Haud aliter Pal. & sic quoque MSS. Modii, cæteræque editiones vett. vulgati enim: *tam diligens in Cæsare &c.* Gruter. *Quam diligens.*] Non satis habuit Trajanus, accepisse comiter, quos in consilium vocaverat; muneribus quoque discedentes affecit. Diligenter cavens, ne quam humanitatis partem neglexisse videtur. *Xenia*, munuscula quæ hospitibus dabantur. Vet. Gloss. ξένιον, τὸ δῶρον τὸ πεμπόμενον ξένῳ Hospitale. Martialis de suo libro, quem *Xenia* inscripsit:

Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas,
Si tibi tam rarus, quam mihi nummus erit. Buchner.

3 *Consilii honor.*] Quia constituit Cæsar, quæ Senatores consuluerant. Habitus ergo consulentibus honor. *Catan.*

4 *Suavitas simplicitasque convictus.*] Valerius Max. lib. II. cap. v. *Simplicitatem* veterum *in cibo capiendo* prædicat, & *simul humanitatis ac continentiæ certissimam indicem* tradit, Sed ea huc nihil pertinet. Nam illa simplicitas epulas ipsas & apparatum earum respicit, quem simplicem & minus sumtuosum apud veteres, frugalemque ac modicum fuisse significat. Tacitus de Germania cap. XXIII. *Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem.* Quam Plinius hic commendat, *Simplicitas*, ad convivantes ipsos pertinet, & in sermonibus maxime spectatur. Est enim & appellatur *simplicitas*, cum aperte, candide, libere, & agimus omnia & loquimur; nihil malignitati, fucis, adulationi, relinquimus loci, cum nec insidiamur alios, & de aliis pariter sumus securi. Tacitus Ann. VI. cap. v. *Nec multo post literæ afferuntur, quibus in modum defensionis, repetitis inter se atque Cottam amicitiæ principio, crebrisque ejus officiis commemoratis, ne verba prave detorta, neve convivialium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit.* Plinius cum Paneg. cap. XLIX. Trajanum scribit socialem fuisse in remissionibus, provocasse & reddidisse sermonem, non spectatorem & annotatorem imminuisse convivis, & ejus cœnis adeo nullam affuisse satietatem, quando sincera omnia ac vera essent, hanc ipsam simplicitatem ac suavitatem, de qua hic sermo, celebrat. Eadem convivendi ratio Augusto fuit; contraria Domitiano (quam dicto loco perstringit noster) itemque Tiberio ante fuit. Vide Senecam de Benefic. l. III. cap. XXVI. & XXVII. Buchner.

5 *Villa.*] Centumcellæ tunc villa, postea extructo portu in oppidum auctum propter opportunitatem commeatuum. *Catan.*

6 *Cujus in sinu quam.*] Lectionem hanc arguunt libri scripti, antiquitasque

ximus portus velut amphitheatrum. Hujus sinistrum brachium firmissimo opere munitum est: dextrum elaboratur. In ore portus insula assurgit, quæ illatum vento mare, objacens frangat, tutumque ab utroque latere decursum navibus præstet. [1] Assurgit autem arte visenda: ingentia saxa [2] latissima navis provehit. Contra, hæc alia super alia dejecta ipso pondere manent, ac sensim quodam velut aggere construuntur. Eminet jam, & apparet [3] saxeum dorsum, impactosque fluctus in immensum elidit, & tollit. Vastus illic fragor, [4] canumque circa mare. Saxis deinde [5] pilæ adjiciuntur, quæ procedente tempore [6] enatam insulam imitentur. Habebit hic portus etiam [7] nomen auctoris, eritque vel maxime salutaris. Nam per lon-

que cusi. Palatini enim & vett. edd. *Cujus in sinu fluit. cum maxime portus hujus sinistrum &c.* Aldina: *Cujus in sinu portus, velut amphitheatrum &c.* Gruter.

1 *Assurgit autem arte visenda.*] Ergo non naturalis sed manu & arte facta hæc insula erat: & quomodo facta, mox recenset. VISENDA ARTE, id est, digna visu & admiratione propter artem. Similiter infra lib. VII. Ep. IV.

Lascivum inveni lusum Ciceronis & illo
Spectandum ingenio, quo seria condidit.

Item Paneg. cap. LI. *Hic immensum latus circa templorum pulchritudinem provocat: digna populo victore sedes, nec minus ipsa visenda, quam quæ ex illa spectabuntur. visenda autem cum cætera specie, tum quod æquatus plebis ac principis locus.* Buchner.

2 *Latissima navis.*] Pontonem intelligit, hodie quoque sic appellatum, quo, loco pontis in trajiciendis fluminibus utuntur. Cæsar, *Ad reliquos milites equitesque transportandos: pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lyssi reliquit.* Auctor est Papinianus flumen trajici pontonibus, & hujus generis navium meminit Gellius. *Catan.*

3 *Saxeum dorsum.*] Moles cœpta ex saxis strui, & summis partibus, dorsi instar de mari eminens. Sunt autem ποιητικώτερα, *canum mare, saxeum dorsum*: ut & alia alibi apud nostrum, qui audentia ista, atque ut ipse alibi vocat παράβολα, nec Epistolari genere aliena prorsus & indecora existimabat. *Buchner.*

4 *Canumque circa mare.*] Albescens spumis, quas concitatum agit. *Idem.*

5 *Pilæ.*] Majores lapides. Dionysius Pilam fuisse angularem monstrat lib. III. historiarum, Apulejus vocat pilam mediam, quæ stabuli trabes sustinet, & Vitruvius pilatim agere ædificia, per pilas struere. *Catan.*

6 *Enatam.*] Genuinam. *Idem.*

7 *Nomen auctoris.*] Dicitur Trajanus portus, & Ptolemæus post Populoniam Trajanum locat portum. Nam Trajanus Anconitanum portum ex pecunia sua tutiorem reddidit, sicut testatur vetus elogium, quod adhuc illic extat: sed Centumcellarum portum primus ipse construxit, & appellationem à conditore accepit. Utrumque fere in medio Italiæ, ut ille mari Adriatico, hic Tyrrheno serviret, quem sane

longissimum spatium littus importuosum hoc receptaculo utetur. *Vale.*

XXXII. C. Plinius Quintiliano Suo S.

Offert dono Quintiliani filiæ nuptæ Nonio Celeri quinquaginta millia nummûm: plus oblaturus, si consideret à modestia patris hoc posse impetrari.

Quamvis & ipse sis continentissimus, & filiam tuam ita institueris, ut decebat filiam tuam, [1] Tutilii neptem, cum tamen sit nuptura honestissimo viro, [2] Nonio Celeri, cui ratio civilium officiorum necessitatem quandam nitoris imponit, debet secundum [3] conditiones mariti, veste, comitatu (quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen) instrui. Te porro [4] animo beatissimum, modicum facultatibus scio. Itaque partem muneris tui mihi vindico, & tanquam parens alter puellæ nostræ

sane puto, Juvenalem monstrasse per illa,

Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursus,
Quæ pelago occurrunt medio, longeque relinquunt
Italiam, non sic igitur mirabere &c. Cat.

Nomen auctoris.] Trajani appellabitur; ut alia ipsius opera, quæ plura ac permagnifica, utilia tamen atque salubria, fecit Trajanus, quod notant & laudant Dio, Eutropius, Victor. Sed quoniam omnibus operibus, quæ vel fecisset ipse primum, vel instaurasset ornassetque aliorum, nomen suum inscriberet, falsis hominibus dicterii causam præbuit: quibus *herba parietina* vocabatur, quod Ammianus Marcellinus lib. XXVII. observat. *Buchner.*

1 *Tutilii neptem.*] Filiam Tutilii uxorem duxit Quintilianus, ex qua filiam suscepit, quam Nonio Celeri desponsavit. Idem lib. III. commemorat Tutilium ætatis suæ Rhetoricæ scriptorem. *Catan.*

2 *Nonio Celeri.*] Nonium Celerem cum Junio Quintiliano consulatum gessisse Frontinus Auctor. Martialis ad Auctum scribens, testatur Celerem fuisse virum integrum, & Hispaniæ Proconsulem. *Idem.*

3 *Conditiones mariti, &c.*] Secutus sum exemplar Palatinum cui & astipulantur membranæ à Modio expressæ, & edd. vett. Nupere vulgati Aldinam secuti exhibebant: *veste comitatu augeri; quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen & instruitur.* Gruter.

4 *Animo beatissimum.*] Quia summus dicendi rhetor & artifex. Juvenalis felicem eum vocat, & divitem; hic vero noster modicum facultatibus, respectu sui, qui fuit ditissimus: at Juven. respectu aliorum rhetorum pauperum, & quod ex tenui facultate ad honestas opes processisset. *Catan.*

1 Plin

noſtræ confero quinquaginta millia nummûm : [1] plus collaturus, niſi à verecundia tua ſola mediocritate munuſculi impetrari poſſe confiderem, ne recuſares. *Vale.*

XXXIII. C. PLINIUS ROMANO SUO S.

Gloriatur ſe egiſſe apud centumviros pro Accia Variola vario eventu: Præmittit igitur Romano quicquid in cauſa acciderit, & artes ſuæ orationis detegit, quam refert à quibuſdam comparari ei quam dixit Demoſthenes pro Cteſiphonte, judicemque hujus Romanum facit.

[2] TOllite *cuncta*, inquit, *cœptoſque auferte labores.* ſeu ſcribis aliquid, ſeu legis, tolli, auferri jube, & [3] accipe orationem meam, ut [4] illi arma divina. [5] Num ſuper-

1 *Plus collaturus.*] Majori ſumma te juviſſem. Quam gratus in præceptorem Secundus, qui nec egentem, nec rogantem opibus juvit. *Plus collaturus.*] Contuliſſem. Participium futurum præteriti ſignificationem ſuſtinens. *Catan.*

2 *Tollite cuncta, &c.*] Carmen ex VIII. Æneidos, ubi Vulcanus Æneæ fabricaturus arma, jubet ut Cyclopes, quæ in manibus habebant, deponerent, cum magis urgentia forent elaboranda. *Idem.*

3 *Accipe orationem meam.*] Scribe, *ut illi arma, divinam.* Vocat orationem illam ſuam divinam, & poſtea corrigit ſe, aitque, *ut inter meas pulcram:* ſic in fine, *præcipuam ut inter meas*, tollenda enim ex loco eo ὑποστιγμή. Sed immenſum ſit depravatos in his epiſtolis locos hac ratione, punctis inquam, male collocatis, omnes perſequi. Sane non omnes aſſequuntur elegantiſſimi ſcriptoris argutiam : quæ magnam ſæpe requirit attentionem, quod ſemel dicere placuit, ne exſpectaret Lector, ut de omnibus admoneretur à nobis. *Caſaubon.* *Accipe orationem, &c.*] Probo Caſauboni emendationem legentis : *Orationem, ut illi arma, divinam.* Nam quia *divinam* vocaverat, mox ſubjicit noſter : *Nam quid ſuperbius potui?* Quare ut nimium illud atque ſuperbum corrigeret quaſi reſtringeretque, adjicit: *re vera, ut inter meas, pulchram. Divinam* vocare ſuperbum erat: *pulchram*; neque id tamen ex comparatione illarum, quas alii; ſed quas ipſe ſcripſiſſet, dicere, modeſtiæ erat. Senſus igitur eſt : ut illi, puta Cyclopes, arma Æneæ fabricanda ſepoſitis aliis omnibus accipiebant à Vulcano, qui hoc præcipiens apud Virgilium illo ipſo verſu, quem in principio poſuit noſter, Cyclopes alloquitur; ita tu orationem meam divinam ea conditione legendam accipe, ut cætera omnia longe poſthabeas. *Buchnerus.*

4 *Illi.*] Vulcani miniſtri Brontes & Steropes, & nudus membra Pyragmon, arma divina, ſumma, & Vulcani juſſu decocta in manus acceperunt. *Catan.*

5 *Num ſuperbius potui?*] Loqui de me & rebus meis, cum me Vulcano, mea

superbius potui? revera, ut inter meas pulchram. Nam mihi satis est certare mecum. Est hæc pro [1] Accia Variola & dignitate personæ, & exempli raritate, & judicii magnitudine insignis. Nam fœmina splendide nata, nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra undecim dies, quam ille novercam ei amore captus induxerat, [2] quadruplici judicio bona paterna repetebat. Sedebant Judices [3] centum & octoginta. (Tot enim quatuor consiliis [4] conscribuntur) [5] ingens utrinque advocatio, & numerosa subsellia: præterea densa [6] circumstantium corona, latissimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore

mea vero scripta comparem divinis Æneæ armis? *Certare mecum.*] Contendere ut efficiam meliores orationes, quam antea fecerim, & non superare Demosth. vel Cicer. *Catan.*

1 *Accia Variola.*] Sidonius Apollinaris l. VIII. ad Rauricium hujus actionis mentionem fecit, *C. Plin.* inquit, *pro Accia Variola plus gloria de Centumvirali suggestu domum retulit, quam cum M. Ulpio Trajano incomparabili principi comparabilem panegyricum dixit.* Variam vero Heliogabali aviam Lampridius monumentis protulit. *Idem.*

2 *Quadruplici judicio.*] Apud Centumviros, ubi fiebant quatuor judicia, ideo erant totidem Tribunalia. *Idem.* Vide supra ad l. I. Epist. XVIII. p. 55. a.

3 *Centum & octoginta.*] Opinor legendum *centum quadraginta.* Nam primum terni ex singulis tribubus Judices electi sunt: (cum decuriæ judicum tres tantum essent,) ita ut essent numero centum quinque, postea aucti, usque ad centum octoginta. Obtinuit tamen usus, ut Centumviri dicerentur, Varro enim in Re rustica inquit, *Centumviralis judicii numerus non fuit ad amussim, ut cum dicimus mille naves iisse ad Trojam.* Postea quarta decuria ab Augusto addita, & quinta à Caligula, crevit judicum numerus ad centum septuaginta quinque: qua deinde sublata, restitit numerus intra centum quadraginta, servata semper priore appellatione centumvirorum. Tametsi legerim apud Ciceronem pro Planco cap. XXV. judices equestris ordinis principes sedisse, nisi mendam illic existimare volumus. Tunc enim equitum decuriæ tres tantum erant. *Catan.*

4 *Conscribuntur.*] In antiqua lectione fuit, *colliguntur.* Idem. *Conscribuntur.*] Vulgati *consiliis colliguntur*; sed nolente Palatino & editione antiquissima. *Gruterus.*

5 *Ingens utrinque advocatio.*] Magnus advocatorum numerus advenerat, qui pro utraque parte aderat, & erant innumeræ minorum Judicum sedes. *Catan. Ingens utrinque advocatio.*] Falsi arguunt hanc scripturam Palat. & edd. vett. in quibus, *ingens utrinque advocatorum & numerosa subsellia præstantium corona latissimum &c.* monuitque Catanæus loco præstantium, alias legi prehensantium. *Gruterus.*

6 *Circumstantium.*] Seu *præstantium*, Auditorum existentium ante magna subsellia, quæ sunt minorum judicum sedes. In aliquibus exemplaribus habetur, *prehensantium. Catan.*

periore [1] Basilicæ parte, qua fœminæ, qua viri, & audiendi, quod difficile, & quod facile visendi studio imminebant. Magna expectatio Patrum, magna filiarum, magna etiam novercarum. Secutus est varius eventus. Nam duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus. Notabilis prorsus res & mira, eadem in caussa, iisdem judicibus, iisdem advocatis, eodem tempore tanta diversitas accidit casu quidem, sed non ut casus videretur. [2] Victa est noverca: Ipsa hæres ex parte sexta, Victus [3] Suburranus, qui exhæredatus à patre, singulari impudentia alieni patris bona vindicabat, non ausus [4] sui petere. Hæc tibi exposui, primum, ut ex epistola scires, quæ ex oratione non poteras: deinde (nam detegam artes) ut orationem libentius legeres, si non legere tibi, sed interesse judicio videreris, quam sit licet magna, non despero gratiam [5] brevissime impetraturam. Nam & copia rerum, & arguta

1 *Basilicæ.*] Juliæ, in qua Centumviralia judicia agebantur. *Idem.*

2 *Victa.*] Noverca. Hoc videtur factum contra leges quibus nunc utimur: nam *Martianus ff. quinto.* Si pars, *inquit*, judicantium de inofficioso testamento contra testamentum, pars secundum testamentum sententiam dederit, quod interdum fieri solet: humanius erit sequi ejus partis sententiam, quæ secundum testamentum spectavit: nisi aperte inique secundum scriptum hæredem pronunciasse apparebit, quod fortasse judices in hoc sunt intuiti. *Idem.*

3 *Suburranus.*] Filius novercæ, & privignus senis illius octogenarii. Non tamen credo eundem esse: cujus paulo post fit mentio. Et Spartianus refert sub Trajano bis Consulatum gessisse. In quibusdam exemplaribus legitur *Suberinus.* Sed de nomine quod alibi non reperitur, non contendo. Quamvis in epistolis apud Ciceronem legatur, *C. Suberinus Calenus.* Idem. *Suburranus.*] Pal. & edd. vett. *Suberrimus.* Gruterus. *Victus Suberranus.*] Ex Palatinis legendum videtur *Suberrinus.* Fuit hic novercæ illius filius, quam Acciæ pater octogenarius induxerat: qui, sicut Accia, exhæredatus à patre, non, sicut Accia sui, sed alieni patris, hoc est, Vitrici bona contra Acciam una cum matre, noverca Acciæ, petebat seu vindicabat. *Buchner.*

4 *Sui.*] Bona legitimi sui patris, quæ non audebat petere, quia jure fuerat exhæredatus. *Catan.*

5 *Brevißime impetraturam.*] Mirum est, tot editores non eluisse minimam maculam, quæ sententiæ prorsus turbandæ. Legendum enim erat *brevißimæ*, eo ipso facies periodi honestissima, quæ antea nulla erat. *Gruterus.* *Brevißime.*] Brevi admodum tempore. *Buchner.* *Gratiam brevißime impetraturam.*] Video quid hic optimus Buchnerus. At tu, si verum vis, lege, *brevißimæ*, nempe orationis. *Gronovius.*

1 *Argu-*

Vellem [1] Africanæ, quas coëmeras plurimas, ad præfinitum diem occurrissent, sed licet cessaverint illæ tempestate detentæ, tu tamen meruisti [2] ut acceptum tibi fieret, quod quo minus [3] exhiberes, non per te stetit. *Vale.*

rumpit. Nam parcere pecuniæ videtur, quod humilis atque angusti animi est. Cicero lib. I. de officiis: *Nihil tam angusti animi atque tam parvi, quam amare divitias; nihil honestius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, &c.* Idem.

1 *Africanæ.*] Pantheræ, quas Africanas dici Plin. lib. VIII. cap. XVIII. tradit. Senatus, *inquit*, consultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam vehere: contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Tribunus plebis, permisitque Circensium gratia importari. Celeberrimæ sunt in Africa, vivacitatis adeo lentæ, ut ejectis interaneis diu pugnent. Vid. & apertius lib. XXXVI. Accidit, inquit, Praxiteli, ut cum in navalibus, ubi fere Africanæ erant, per caveam intuens leonem cælaret: ex alia cavea panthera erumperet non levi periculo diligentissimi artificis. Dion in Caligula lybicas feras, quas nostri *Africanas* dicunt, appellavit, & Tranquillus in vita ejusdem testatur venationem *Africanarum* datam, & in Claudio similia refert. *Catan.*

2 *Ut acceptum tibi fieret.*] Ut omnes tibi haberent gratias, perinde ac si illas dedisses. *Idem. Tibi fieret.*] Maluissem, *tibi ferrent*, supra quoque pro illis, *cujus memoria aut opus aliquod aut spectaculum atque hoc potissimum, quod maxime funeri debeatur.* Palat. & edd. vett. tantum habent, *cujus memoria aut opus aliquod, maxime funebre, debeatur*, quod ipsum bene se haberet, si rescriberetur: *cujus memoriæ opus aliquod, maxime funebre, debebatur.* Gruter. *Ut acceptum sibi fieret.*] Ut acceptum sibi ferretur, etiam nondum exhibitum. Significat, quamvis non dedisset Africanas; sic tamen actas ei gratias, ac si fuissent datæ. *Buchnerus.*

3 *Exhiberes.*] In spectaculo dares. Ulpianus ff. XLIII. de libero homine exhibendo: *Exhibere est in publicum producere, & videndi tangendique rei facultatem præbere.* Proprie autem exhibere, est extra secretum habere. Et alibi, exhibere est materiæ ipsius apprehendendæ copiam facere. *Catan.*

C. PLI-

